15. 1. 83

~~Ad usum F. Bernardi Mon. a S. Bartolomeo~~

S. Paolino
N. 10450:

15.1.83

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

E T

IN ACADEMIA PISANA

HUMANIORUM LITTERARUM

CELEBERRIMI PROFESSORIS

ORATIONES OMNES

NUNC PRIMUM IN UNUM VOLUMEN

COLLECTAE.

FLORENTIAE

TYPIS ALLEGRINI, PISONI, ET SOC.

FACULTATE PUBLICA.

AN. CIↃ. IↃ. CC. LXXII.

AVERARDO . MEDICEO
PATRICIO . FLORENTINO
GENERIS . NOBILITATE . MAIORVM . GLORIA
CVM . IN . PACIS
TVM . IN . BELLI . ARTIBVS
LONGE . SPECTATISSIMO
PROBITATE . VERO . SVA . RELLIGIONE
AC . LIBERALITATE
SINGVLARIQVE . IN . DOCTOS . VIROS . BENEVOLENTIA
OMNIBVS . PROBATISSIMO
ALEXANDRI . POLITI
SVMMI . ORATORIS . ET . IN . GRAECA . LATINAQVE
ERVDITIONE
AETATIS . SVAE . FACILE . PRINCIPIS
ORATIONES . OMNES . NVNC . PRIMVM
IN . VNVM . VOLVMEN . COLLECTAS
VIRO
LATINARVM . GRAECARVMQVE . LITTERARVM
STVDIO . EXERCITATIONE
ATQVE . SAPIENTIA
CVM . PAVCIS . TEMPORIS . SVI . COMPARANDO
E. A. EDITOR
AD . GLORIAM . MEDICEI . NOMINIS . SEMPITERNAM
DONAT . CONSECRATQVE.

LECTORI SUO S. P.

EDITOR.

* * * * *

ALEXANDER POLITUS *antequam quadraginta fere ab hinc annis e patrio Scholarum Piarum Collegio ad Graecas litteras in celeberrima Pisana Academia tradendas immortali Principis sui Io. Gastonis Medicei M. E. D. beneficio vocaretur, ea apud omnes florebat doctrinae, atque eruditionis laude, quam adeptus erat Eustathii in Homerum commentariis a se latine redditis, atque illustratis: quorum alterum jam volumen in lucem prodierat. Licet enim qua divinarum, humanarumque rerum singulari plane cognitione praeditus esset, aliis a se conscriptis editisque libris Politus antea ostendisset, in omnium tamen sermonibus tunc versabatur Eustathianum opus illud, ex quo uno apparebat in elegantioris latinae linguae usu paucos, in Graecis autem intelligendis atque explicandis vix quempiam inter Italos parem reperiri posse Polito: quem hac de caussa, exteri quoque Criticum, ac Philologum sapientissimum praedicabant. At postquam in Pisano Lyceo Graecae primum linguae, mox humaniorum litterarum, atque adeo eloquentiae professor creatus, munere aliquandiu suo functus est Politus, ea ipsius in dicendo*

§ 3 *vis*

vis, copia, elegantia visa est, ut gravis, disertus, numeris demum omnibus absolutus Orator jure habitus fuerit. Hoc scilicet cum nomine celebrabant maxime, qui in solemni studiorum instauratione ipsum e superiori loco quotannis dicentem audiebant, viri in quolibet facultatum genere praestantissimi, & qui non solum de doctrina atque eruditione, verum de Oratoria etiam arte, ac vera latini sermonis elegantia rectissime poterant pronunciare. Horum ille judicio gravissimo confirmatus, atque hortationibus etiam impulsus, quam in Academia singulis annis habuisset Orationem, eam typis committere, atque in lucem edere plerumque consuevit. Quae sane ita seorsim impressae Orationes, quum in alias deinde Urbes atque remotas etiam regiones delatae, in aliorum aliae manus inciderent, eam paullatim de Polito ejusque eloquentia in eruditorum animis opinionem ubique excitarunt, ut quicumque amoenioribus praesertim delectabantur litteris, quidquid in hoc genere profectum ab eo fuisset, cupidissime inquirerent. Itaque rem Politus litterarum amatoribus gratissimam fecit, cum anno 1742. octo ex Orationibus suis Romae impressas in lucem prodire jussit, una cum duobus in Eustathium ad Dionysium Periegetam commentariorum suorum libris; multoque majorem ab eruditis hominibus gratiam iniit, cum quatuor alias praeterea Philippo M. Benedinio Lucensi typographo concessit Orationes suas, ut duodecim simul ab eo in lucem edi possent: quod anno 1746. contigit. Quamobrem cum ante viginti annos e vivis ereptus est Politus, hoc a Florentinis cum litterarum, tum Patriae quoque amor postulare omnino visus est, ut quando-

do-

doquidem nullas jam Politus ſcribere in poſterum Orationes poterat, quas ſaltem antea ſcripſerat atque edendas paraverat, in unum veluti corpus collectas, imprimendas ipſi omnes curarent, & quidquid ad Politum Oratorem pertinebat, uno eodemque comprehenſum volumine eruditorum oculis exhiberent. Verum Florentinis diu, & caute deliberantibus, duodecim interea, quae ex Benediniana officina prodierant Orationes, Wratislaviae anno 1759. *iterum imprimendas curarunt Germani, iiſque, ut auctior ipſarum eſſet numerus, panegyricam addiderunt Orationem, quam in Franciſci I. Rom. Imp. laudem anno* 1746. *Politus vulgaverat: has vero XIII. Orationes notis quibusdam illuſtrarunt, multa voluminis illius initio de Politi vita, operibus, & laudibus praefati. Horum diligentia, licet inertiae deſidiaeque nos arguere videatur, tamen eo revera jucundior nobis accidit, quo clarius certiuſque ex ea perſpicimus quid de Oratoria Politi praeſtantia cultiores gentes aliae ſentiant, atque adeo quid de ea nos quoque prudentius ſentire, ac liberius praedicare poſſimus. Cum enim animadvertimus, quae de litteris praeſertim diſſerens exponenda ſibi Politus argumenta propoſuit, non ea plerumque aut nova, aut ſingularia, aut ex penitiore quadam illius, quae tantum nunc in pretio habetur, Critices, & Philoſophiae cognitione eſſe petita, ſed gravitate potius, veritate, ac prudenti quodam communium ceteroquin rerum delectu commendari, facile intelligimus quid in Polito Oratore a Germanis, exteriſque hominibus aliis probatum maxime fuerit. Veram illi ſcilicet Oratoriam facultatem, eamque dicendi artem, quam ex veterum Oratorum aſſidua lectione hauſerat Politus,*

ſu-

suspexere, ac singularem praesertim, qua quum scriberet, usus est Latini sermonis castitatem atque elegantiam, ex qua Latini Oratoris potissima fere laus petenda videtur. De quo sane postremo cum agitur, ex eo nobis gravior Germanorum sententia censetur, quo majus prae ceteris jam omnibus, eruditi gentis illius homines studium atque operam in eo ponunt, ut Latinos aureae aetatis Scriptores imitentur; ut propterea quinam ab optimis illis exemplaribus longius, quinam propius absint, prae ceteris quoque rectissime possint judicare. Haec postquam paullo diligentius perpendimus, justa reprehensione carere jam non posse visi nobis sumus, nisi de omnibus plane, quas soli fortasse nancisci facile poteramus, Politi Orationibus colligendis edendisque cogitaremus: ut nempe Florentini hominis clarissimi quotquot supersunt Orationes, ex Florentinis aliquando typis prodirent. Hoc igitur adgressi tandem sumus: atque ut temporum quoque ratio habeatur, tribus ac decem, quae Wratislaviae impressae fuerant, Orationem praemisimus jam ab anno 1709. *Florentiae Polito habitam, iterumque anno* 1723. *impressam, qua probandum Orator suscepit* longe breviorem esse optimarum omnium artium quam vitae cursum. *Quintodecimo autem loco ac deinceps quinque subjecimus Panegyricas Orationes, quibus Politus in Pisano Lyceo quinque illustrium Etruriae Urbium laudes celebravit: quarum quae duae postremae sunt, Oratore paucis ante mensibus functo, sub finem anni* 1752. *in lucem Liburni prodierunt. Novum enim hoc postremis annis consilium ceperat Politus, qui, ut ad optimas facultates comparandas adolescentum animi inflam-*

flammarentur, in ipsa studiorum instauratione vix opportunius quidpiam esse posse arbitrabatur, quam si coram adolescentibus ipsis eae laudarentur Urbes, quarum laudes ex litterarum doctorumque hominum gloria maxime penderent: quod in caussa etiam fuisse videtur, ut quae Etrusci ad Urbium suarum laudes pertinere putabant, ea non criticorum modo expendere, sed Oratorum potius more efferre Politus voluerit: ne scilicet minus feliciter litterarum caussa ageretur, si fortasse minus jucunda auditoribus nonnullis patriae suae laudatio contingeret. Itaque novendecim, quotquot scilicet aut in lucem edidit, aut ad umbilicum saltem Politus perduxit, Orationes editio haec nostra complectitur. Quarum series atque argumenta in proxima pagina exhibentur. Vale, mi Lector, & fave.

INDEX
ORATIONUM.

ORA-

ORATIO I.

BREVIOREM LONGE ESSE OPTIMARUM OMNIUM ARTIUM, QUAM HUMANAE VITAE CURSUM.

QUUM ab Eloquentiae laudibus ſtudia vertentis anni eſſem feliciter auſpicaturus, ut, ſiquid dicendo poſſem, ad eam artem, cujus incredibilis vis eſt ad animos hominum permovendos, optimos adoleſcentes excitarem, Sereniſſime Princeps, ſummi Etruſcae linguae moderatores, Archiconſul Clariſſime, nobiliſſimi Academici; celebris illa apud veteres Oratores animum quoque inceſſit meum dubitatio, cur, quum in aliis omnibus artibus & diſciplinis permulti magno ingenio viri excelluerint, perfecto tamen Oratore nihil in hominum genere rarius inveniri poſſe videatur. Cogitanti autem, undenam uberrima dicendi facultas tanta Oratorum inopia laboraret, ubi ampliſſima ad Eloquentiam praemia alliciebant; illud unum occurrit, quod & viſum eſt Romanae eloquentiae principi Marco Tullio, rei ſcilicet quaedam incredibilis magnitudo & difficultas. Neque enim ab elegantia doctrinae rerumque majorum ſcientia ſegreganda eſt Eloquentia, ac tantum in judicia & conciones detrudenda, ſicut plerique e Graecis voluerunt: ſed, quod, poſt Mneſarchum & Carneadem, noſtris placuit hominibus, latius longe patet regina rerum oratio, quam ut anguſtis Fori terminis contineatur; &, quemadmodum nihil eſt, quod in hominum diſceptationem ca-

cadere non possit, ita ambitu omnia suo comprehendit. Quare eum demum proponite vobis animo Oratorem, qui, ut quacunque de re copiose ornateque dicat, omnem omnium rerum atque artium ingenuarum scientiam fuerit assecutus. Quid vero magis arduum, atque in hac nostra vita varietateque occupationum difficile, quam ab uno homine sciri omnia, quae orationis lumine illustrentur? eae siquidem sunt, quibus humanae vitae cursus coarctatur, angustiae, ut non, nisi brevissimus, videri possit, si, non dico, ad omnium, sed vel unius etiam artis, magnitudinem conferatur, ut mirandum minime sit, si tam pauci ad veram Eloquentiae laudem pervenerint, quum vix aliquis universum illum disciplinarum orbem, quem Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, percurrere unquam potuerit. Ego vero, Auditores, qui, ingeniorum nostrorum viribus bene accurateque perpensis, nihil humile, nihil abjectum, nihil egregiis maximaeque spei adolescentibus indignum meditor; sed omnibus iis, qui ad Eloquentiam contendunt, absolutam omni ex parte summi Oratoris formam propositam volo, quam aemulentur; communem hanc de longo artis, brevi vitae cursu, humani generis querelam ex hominum mentibus exturbare, si fieri potest, aggredior; atque ita maximum, quo a Sapientiae studio adolescentes deterrentur, impedimentum removere. Demonstrabo itaque, quam potero, brevissime: breviorem longe esse earum omnium artium, quae sunt libero homine dignae, quam humanae vitae, cursum, argumento sane novo & difficili, sed quod neque a meo docendarum publice divinarum humanarumque artium instituto, neque ab hujus loci amplitudine abhorreat, magnoque, ut puto, futurum sit juventuti ad Sapientiam, sine qua de perfecta Eloquentia desperandum nobis sit, incitamento. Atque utinam oratione mea id assequar, ut, hoc auspice stu-

dio-

diorum die, adolescentibus, quos Sapientiae pulchritudine allectos video huc frequentes convenisse, quaedam veluti calcaria ad reliquum cursum admoveantur!

Verum, ipso statim orationis limine, quis mihi vestrum, Auditores, non opponat summam summi viri auctoritatem, cui nisi primum occurram, valde verear, ne frustra sim hoc in argumento laboraturus. Quis enim ab Hippocrate dissentiat, maximo illo totius antiquitatis ac propemodum divino ingenio? cujus tanta tamque admirabilis fuit in exploranda rerum veritate solertia, ut, quo ille non pervenerit, nemo speret se unquam esse perventurum. Immo vero quis principem salutaris adeo humano generi artis auctorem non omni veneratione prosequatur, &, quidquid ille senserit, non nisi verissimum judicet, communique omnium consensione comprobatum? Atque is tamen, cujus sapientiam, veluti e caelo delapsam, admirantur omnes, quum brevissimis acutissimisque sententiis, quas graece aphorismos dicimus, quasi Medicinae oracula esset simul complexurus; ita exorsus est, ut vitam humanam brevitatis, longitudinis artem, incusaverit. Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Sed istud de trivio argumentum, quo a tanto nomine quaeri solet torpori ignaviaeque nostrae patrocinium, neque orationis sese iam explicantis cursum abrumpet, neque a Sapientiae vos studio retardabit, optimi adolescentes, si paullisper consideretis, quod mirum dictu videbitur, sed tamen verum est; caussam inde meam confirmari, unde penitus infringi evertique potuisset. Nam cum oculos ad illum, Medicorum veluti deum, converto Hippocratem, eximiamque ejus omnibus in artibus eruditionem perpendo accuratius; satis jam video, nullum aliud ex tota antiquitate opportunius atque ad rem nostram accommodatius exemplum afferri potuisse, quod vobis ad omnem doctrinam proponeretur. Fuit enim, siquis alius, non in

in arte solum Medica, sed in toto etiam disciplinarum orbe, exercitatissimus; eaque vere dignus laude, qua nescio an major ulli unquam hominum contigit, quod & alios fallere, & ab aliis ipse falli nescieverit. Quapropter, qui volunt, laboriosi scilicet in otio homines, longius multo esse artium liberalium curriculum, quam ut toto vitae tempore perdiscantur, & luculento admodum Hippocratis exemplo, qui eas omnes calluit quam peritissime, refutantur, &, quaenam hominis mens fuerit atque consilium, minime assequuntur. Nisi quis forsan adeo deliret, ut existimet, ea de caussa, longam artem, brevem autem vitam, dictam esse ab Hippocrate, quod hac potissimum ratione vellet a Medicinae studio alios avertere, qua ipse maxime eniteret. Sed, o prava hominum minime ingenuorum, qui de ingenuo viro tam inique senserunt, judicia! quos etiam gravissime olim reprehendit optimus principis Medici interpres, Medicorum & ipse clarissimus, Claudius Galenus. Quid enim a recta ratione magis alienum, quam ad humani generis bonum, Medicas scribere commentationes, quibus nihil utilius aut esse aut excogitari potest, simulque ab arte universa, cujus doctrina te posterorum saluti consulere velle profitearis, legentium animos avocare? Aliud omnino voluit Medicinae parens, Hippocrates, aliud in votis, aliud in mente habuit, dum artis magnitudinem eo protrahendam putavit, ut longissima sit, si unius eam hominis vita metiamur. Non ad fovendum ignavorum hominum otium, sed ad solertium diligentiam excitandam; non ad excusandum torporem, sed ad laborem promovendum; non ad deterrendos abalienandosque a sapientia animos, sed ad exacuendum, proposita artis difficultate, ingenium, eam retulit de vitae brevitate sententiam; ut nempe, quo vita brevior esset, ars autem longior, eo impensiori cura majorique animi contentio-

tione opus sibi esse intelligerent optimarum artium studiosi, ut brevi eas tempore adipiscerentur. Quanquam autem hujusmodi explicationem, veram illam quidem, sed, veluti Hippocratis sensui non satis aptam, minus approbet Galenus; attamen eum ipsum locum ita interpretatur, ut doceat, breve tempus ad artem perdiscendam sufficere, si recta studiorum via constansque labor adhibeatur, non posse quidem ab uno eodemque homine, quantum vultis, diligenti, & studioso, artem aliquam & inchoari & ad complementum usque perduci, quod ad inventionem spectat: sed, postquam reperta fuerit, pluresque multorum annorum decursu ad eam constituendam perficiendamque allaboraverint; nihil jam esse, cur breviori temporis spatio quamcunque artem quisque non comprehendat: eaque de re perbreves conscribi commentationes oportere, quibus omnia, quae magni quique viri multo tempore magnoque labore observarunt, incredibili quodam & temporis & laboris compendio, sub unum veluti adspectum subjiciantur. Sed cur in una tamdiu arte immoramur? quasi non in toto disciplinarum orbe nostra versetur oratio. Age vero, quantus qualisque est quamque hominibus omnibus inditus a natura, cognitionis amor & veritatis! quam nunquam oriatur in nobis haec veri inveniendi cupiditas! quam rerum novitate pueri capimur, & detinemur! quanto discendi ardore impellimur ad studia adolescentes! quam magnam vitae nostrae partem viri, saepe etiam cum maximo rei familiaris detrimento, Litteris rerumque cognitioni impendimus! quo studio, etiam qui a rebus gerendis longe absumus, senes res gestas legimus, & audimus; neque tantum historiis, verum etiam fabellis, recreamur! quam denique in omni aetate, ut aliis vacuus curis animus secum esse permittatur, non quiescit tamen hoc sciendi omnia desiderium! Solonem ferunt, quem in Sa-

Sapientum numero Graecia habuit, quum esset ex hac vita discessurus, assidentesque lectulo amicos, de re quapiam demisse disserentes audisset, rogasse, ut vocem attollerent; exitum quippe vitae jucundiorem sibi fore, si aliquid discens moreretur. Tanta humanum genus discendi cupiditas tenet; tantaque inde est, rebus cognitis, animi nostri oblectatio; id enim, quo uno bestiis maxime praestamus, & homines sumus, mentem scilicet nostram, rerum scientia perficit, honestissimaque complet voluptate. An ergo existimabimus, frustra hunc esse in nobis cognoscendi veri ardorem, eaque in hominum genus iniquitate fuisse naturam, ut, quum tam vehementi perpetuoque impetu nos ad omnium liberalium doctrinarum studia rapiat non repugnantes, adjumenta tamen denegaverit, quibus earundem artium scientiam assequeremur? An totum disciplinarum orbem immensis curis vigiliisque percurrit Galenus, nihil ut in iis proficeret? An Cleanthes Assius, qui noctem hauriendis aquis, diem studiis liberalibus dedisse fertur, nullum alium retulit laboris tanti fructum, nisi ut animum in artibus comparandis despondere? An inane in Euclide Megarico censebimus studium sapientiae adeo eximium ac singulare, ut, veste muliebri indutus, noctu ad Socratem audiendum venire Athenas non dubitaret, quo nemini uni ex Megarensibus, sub poena capitis, pedem licebat inferre? An, ut innumerabiles alios ex tota antiquitate viros doctissimos omittam, quibus tota vita nihil antiquius fuit, quam pulcherrimo instrui optimarum omnium facultatum apparatu; frustra Pythagoram, frustra Democritum, frustra Platonem, quales, Deus bone, viros! dicemus, patriam, ubi summo honore florebant, reliquisse, ultimasque peragrasse terras, ut, periculosissima per barbaras incultasque nationes peregrinatione, nullum non doctrinarum genus a sapientissimis omnium

po-

populorum viris discere vellent, scire autem non possent? O miseram humani generis conditionem! o poenitenda hominum vota, si Sapientiae, qua bonarum omnium artium continetur cognitio, pulchritudinem ardentissime concupiscant, illam quaerant, meditentur, ad illam maximo conatu anhelent, neque unquam tamen complectantur! Sin & nihil frustra molitur optima parens natura, & nulli deest ex reliquis animantibus, ut fines adipiscantur suos; quanto majori cura prospexisse homini reputanda est, animantium ceterorum principi, quem unum ratione uti voluit, omniumque fecit capacem disciplinarum? ut nempe, quemadmodum summam nobis ingeneravit percipiendae veritatis cupiditatem, ita & copiosissime subministret, unde omnium bonarum artium, quanta homini satis sit, scientiam obtineamus. At falsa plerique existimatione decipiuntur, quibus quum omnia ad omnem doctrinarum elegantiam affatim a natura suppetant adjumenta; otio suo & ingenio abutuntur, maluntque ingrati naturam reprehendere, quam suam ipsorum segnitiem emendare. Quae autem quantaque sit humani ingenii facultas, quid in universo artium omnium studio possit, si annitatur; clarissime ii docent, quos summis laudibus celebrandos duximus, sapientissimi antiquorum viri: quos omni disciplinarum genere ornatos instructosque maxime fuisse accepimus. His vero dum Democritum accenseo, cui atomi, nostris his temporibus, magnam in Peripatetico Regno conflarunt invidiam; nolim, cogitetis, Auditores, aliquem de grege Philosophum, qui cum majorum gentium Philosophis non sit conferendus: sed tanta virum eruditione, ut Hippocrati ipsi Coo maximae fuerit admirationi; & quum plurimos, tum discendi ardore, tum rerum omnium doctrina, vicerit, nemini secundus videatur. Etenim, prae sapientiae, quo incendebatur, studio amplissimas opes humanaque omnia con-

contempsit; peregrinatusque est in Persidem ad Magos & Chaldaeos; in Aegyptum ad Mathematicos; in Aethiopiam atque Indiam ad Gymnosophistas; in omni autem Sapientiae parte adeo profecit, ut quinque certaminum victori non absimilis diceretur, quod τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ, τοὺς ἐγκυκλίους λόγους καὶ περὶ τέχνην πᾶσαν ἐμπειρίαν, perfectissime conjunxisset. Jam vero si artes ipsas propius intueamur, &, quarum amore tantopere exardemus, proponamus eas ob oculos; mirum est, Auditores, quanta sit earundem connexio, quantus ordo, quamque uno societatis vinculo coalescant. Non dicam equidem, quod admirabiliter potius, quam vere, dicere visus est Mnesarchus, optimas facultates eodem amicitiae foedere conjunctas inter se esse, & colligatas, atque nectantur copulenturque eae virtutes, quibus humani mores perficiuntur; ut eum, qui una praestat facultate, locupletissimus ceterarum omnium doctrinarum comitatus sequatur: quanquam homo Stoicus nil voluerit aliud, quam, qui esset eloquens, omnes eum virtutes habere, quod bene dicendi scientiam in virtutum numero collocabat. Sed illud dicam, quod a Platone assertum in Epinomide, faciliorem longe contractioremque, quam vulgus existimet, reddit omnium disciplinarum cursum, miro quodam inter se consensu bonas cunctas artes sapientisque viri proprias concordare; & hanc liberalium doctrinarum in unum veluti conspirationem facillime intellectum iri, si quis vim rationis ejus, unde omnia alia pendent & ordine quodam cognoscuntur, antea exploraverit. Quod si altiora haec esse videntur, quam ut infirmo adhuc accommodata sint captui adolescentium (quanquam, ubi de toto doctrinarum orbe loquimur, nihil, nisi excelsum atque a sensibus nostris remotissimum, sapiat, necesse est, oratio) illud tamen constat, non tantam, quantam aliqui volunt, inter disciplinas diversita-

sita-

ſitatem inveniri, quae omnes ad veritatem unam referuntur. Quid enim tandem ſpectant illae ipſae artes, quae aliis omnibus majoribus artibus famulantur, & bene ornateque loqui docent, numeriſque orationem conſtringere, ut majori, quam fieri poſſit, concinnitate, lenocinioque verborum, animi noſtri ſenſa expromamus? veritatem. Quid profitetur bene diſſerendi facultas, quam verbo graeco Διαλεκτικὴν appellamus? veritatem. Quid ſpeculantur unquam Mathematicae diſciplinae, quarum vaſtiſſimo gyro numeri, ſonorum vocumque modulatio; operum, quae vario hominum uſui, tum delectationis, tum neceſſitatis cauſſa, deſerviunt, exacta ratio; caeli, terrae Mundique totius dimenſio, continentur? veritatem. Quid Phyſice in ampliſſimo naturae theatro, ubi infinita rerum varietas, admirabili diſtincta ordine, pulcherrimum ſui ſpectaculum praebet, contemplatur? veritatem. Eae quoque, quae in agendo verſantur, facultates, quo primum, veluti ad certiſſimam quamdam tutiſſimamque actionis cujuſcunque regulam, reſpiciunt, niſi ad veritatem? Veritatem Ethice, ut animum curet; veritatem Medicina, ut corpori ſalubritatem afferat; veritatem Iuriſprudentia, ut aequa civium jura conſervet; veritatem Politice, ut publico civitatis bono conſulat; veritatem Oeconomice, ut rem privatam bene adminiſtret; veritatem artes omnes, ut ſua rite expleant munera, inquirunt. Denique ipſum veritatis fontem ſummumque rerum principium & formas ab omni concretione materiae quam longiſſime alienas, Theologia, conſcia divinarum rerum ſcientia, intuetur. Quum ergo una veritas in omni doctrinarum ſtudio maxime quaeratur, eamque humana mens tanta ſibi cognatione ac neceſſitudine devinctam teneat & copulatam, ut nihil, niſi verum, percipere poſſit, atque in veri perſpicientia beatitudinem aſſequatur ſuam; quaenam illa eſt vana deſidiaeque plena ignavorum atque otio marceſcentium hominum expoſtulatio, quod tanta

disciplinarum in diversa tendentium magnitudine simul ac varietate ingenium confundatur humanum ac propemodum obruatur? Non ita sane existimavit, summus dicendi magister Romanaeque juventutis optimus institutor, Fabius Quintilianus, qui, quum Oratorem, quem instituendum sibi sumpserat, nullius ornamenti expertem esse oportere ostendisset; primam quoque aetatem pluribus simul artibus imbuendam exornandamque esse, affirmavit. Atque utinam tanti apud nos esset Quintiliani auctoritas, ut pueri nostri ea veluti temporum subsidia, quae a Grammatices studio supersunt, erudito illi Geometriae pulveri aliisque hujusmodi amoenioribus studiis, donare docerentur! O longam illam ad discendum aetatem, si non tesseris, non nugis, non otiosis sermonibus, non denique somno, inutiliter conteri, aut potius prodigi, sineretur! est enim maxime docilis & laboris patientissima, tam facilique fruitur ingenio atque in omnem partem veloci, ut periculum nullum sit, ne studiorum onere, plusquam opus sit, fatigetur; sed varietate ipsa reficiatur potius, minusque sentiat, quam si uno in labore perseveraret, difficultatis. Quoniam vero ignavia nostra facit, ut variis simul occupatum Litterarum studiis ingenium distrahi, aut obtundi, non perfici, aut excoli, videatur, & revera humanae mentis facultas, quantacunque illa sit, finita est suisque terminis circumscripta: non id certe oneris adolescentibus nostris imponam, cui sint ipsi impares ferendo, ut pluribus, & quam diversissimis disciplinis eodem simul tempore sufficiant. Satis erit, mihi credite, optimi adolescentes, non confuse aut tumultuaria quadam opera, vestra pertractare studia; sed eum, quem incepistis, cursum doctrinarum certa ratione moderari, ut a facilioribus ad difficiliora progressi, unaque quadam & continua serie unam post aliam adepti facultatem, elegantissimum illum orbem conficiatis. Quemadmodum

enim,

enim, ficui uno fimul intuitu totius Mundi vaftiffima compages fpectanda exhiberetur, obrueretur plane innumera rerum omnium multitudine; neque, quanta quamque admirabilis fit & divina, Univerfi pulchritudo, difcerneret; fi autem ad fingulas partes, quibus Mundi machina coalefcit, oculos cogitationemque converteret, & veluti diftribueret, fimulque fummum illum, quo fuis quaeque aptantur locis, ordinem diftincte confideraret, ei quam facillime tota Univerfitas innotefceret atque admiranda rerum omnium confenfio: ita fane confufus ille atque indigeftus difciplinarum omnium adfpectus, qui primo occurrere tyronibus folet, fua vos magnitudine deterret ac fere opprimit adhuc in limine conftitutos. Sed, fi diligentiae accedat ordo, & per partes difcatur, quod cognofci fimul totum non poteft; brevi vos intellecturos polliceor, atque experturos, quantum artium magnitudines recta ftudiorum partitione minuantur. Hic ego quid praedicem, quam non adeptu fit longa Sapientia? quantum ad ftudiorum omnium metam vobis fuppeditet temporis? quanta fit ingeniorum veftrorum celeritas, atque acumen? Quae omnia fi amplificare velim dicendo, & per fe magna, verborum exaggeratione majora reddere; latiffimus quidem fefe mihi obtulerit campus, in quo expatietur oratio: fed merito reprehendar, quod, dum brevem artium curfum adolefcentibus propono, ut eum alacriter percurrant; tanta orationis longitudine, artis ipfe meae oblitus, peccaverim. Attamen danda haec eft difcentium imbecillitati venia, ut fingula, quae in qualicunque illo liberalium artium itinere properantes non parum remorantur, quam breviffime profequamur. Nam, quod ad exactam rerum omnium cognitionem attinet, ea plerofque fummam in defperationem adduxit cogitatio, quod & Plato teftatur in Amatoribus, & quotidiana docet omnium experientia, femper aliquid in vita difci;

ſemperque aliquid eſſe, quod, quamdiu vivimus, diſcamus. Neque ego, Auditores, tantum ingenio detulerim humano, ut exiſtimem fieri aliquando poſſe, ut nihil omnino ſit, quod homo unus in qualibet arte non comprehendat. Quam multa enim vel in ipſa Grammatica (ut certius inde de majoribus, quarum doctrinam profiteor, facultatibus judicium fiat) non ſolum me latent, qui nunquam ab amoenioribus illis Litteris abhorrui; ſed viros longe doctiſſimos atque in toto Criticae eruditionis genere exercitatiſſimos; & de quibus ſi ſuperbi illi Palaemones interrogentur, erubeſcere cogantur! Haec autem quanquam ita vera ſint atque apud omnes explorata, ut hominem Theologum minime pudeat, in pluribus, quae ad rem Grammaticam ſpectant, inſcitiam fateri ſuam; eo ne tamen deprimenda vobis veſtra erunt ingenia, adoleſcentes, ut exiſtimetis, aut pluribus diſcendis plures eſſe vitas dedicandas, aut unam duntaxat artem pertractandam ſemper eſſe, atque in uno vel leviori ſtudio, cum deſidioſa quadam voluptate, ita conſeneſcendum, ut diſcentes vita deficiat? ipſa enim unius ejuſdemque artis perpetua tractatio ſemper aliquid gignet, quod inveſtigetis. Sin vos unius artis delectatio non tenet, & aliae ſunt, non, opinor, indignae, quae a vobis percipiantur; nequid ego dicam, vos ipſi perſpicitis, quis vobis modus ſit in toto ſtudiorum curſu adhibendus, ut non uſque ad ſeneꝺutem in re aliqua ſuperſtitioſe detineamini; ſed in qualibet arte non diutius immoremini, quam ſobria rei cujuſque cognitio poſtulare videatur. Quis enim cum in aliis omnibus rebus, tum maxime in ſtudiis, modum non requirat, ubi, non ſolum abſque ullo doctrinae detrimento, verum & magna aliquando utilitate, plurima ignorantur, quorum cognitione nihilo melior, aut doctior evadas? Quare is mihi vere ſapiens, non, qui minuta quaeque, immenſo quidem ſtudio, ſed majo-

ri

ri curiositate, quam fructu, perscrutetur; sed, qui ea contentus sit, quae libero homini satis est, scientia: non, qui in puerilibus altercationum nugis, & ceratinis aut crocodilinis quaestionibus semper occupetur; sed, qui breviori, quam fieri possit, compendio, ad unam veritatem collineet: non, qui fabellis conquirendis, Tiberii more, aetatem suam conterat; sed, qui utilissima consectetur: non, qui novus helluo librorum, iis omnibus legendis auctoribus, ad quos, veluti quosdam scopulos, tempestate delatus alliserit, dies noctesque insumat; sed, qui optimos atque in qualibet disciplina praestantissimos auctores vel suo vel alieno judicio seligat, recolat, attente meditetur. Ille itaque, qui mihi sit in omni doctrinarum genere versatissimus, non inutili rerum multitudine mentem obruet, neque librorum farragine, quam minus digerat, se ingurgitabit; sed exacta imprimis solidaque trium principum linguarum, Hebraeae, Graecae, Latinae, notitia, ad omnem tum divinam, tum humanam eruditionem, imbuetur: in paranda eloquentia Demosthenem atque Isocratem inter Graecos; Marcum Tullium & Fabium Quintilianum inter Latinos, auctores habebit; in Poetica, pro vario carminum genere, illos Poetarum principes, Homerum & Virgilium; Pindarum & Horatium; Euripidem, Sophoclem & Senecam; Callimachum, & tres illos Amorum Poetas, Tibullum, Propertium, Catullum; Aristophanem & cum Plauto Terentium leget: in Philosophia totum Platonem atque Aristotelem tenebit: in Mathematicis Euclidem, Ptolemaeum, Apollonium atque Archimedem, comprehendet: in Iurisprudentia, quidquid Civilibus Pontificiisque Legibus continetur, diligentissime discet: in Medicina Hippocratem & Galenum assidue pervolvet, atque ex nostris, Cornelium Celsum, &, rerum arcanarum sagacissimum exploratorem, Cajum Plinium: in Theologia denique, praeter accu-

cu-

curatam Divinorum Librorum lectionem, in animo penitus suo Patrum eruditissimos imprimet, Origenem, Hieronymum, Augustinum & Thomam illum Aquinatem, qui, miro quodam ordine, totius sacrae Doctrinae summam omniumque Patrum sententias, complexus est atque illustravit. Quibus omnibus addet Graecae Romanaeque historiae, ex Herodoto potissimum & Thucydide, &, qui eis a Latinis opponuntur, Livio & Sallustio; atque ex aliis melioribus auctoribus, antiquitatis totius cognitionem. Neque etiam recentiores negliget, qui, post restitutas a barbarie Litteras, & ingenii praestantia & summa rerum omnium eruditione, ad priscorum prope laudes accesserunt. Quanquam eo libentius veteres, quam recentes, auctores annumeraverim, quod a veteribus, veluti a fontibus rivi, omnem omnium doctrinarum copiam acceperimus; gratique animi sit ac maxime ingenui, de iis bene mereri velle, qui primi omnium de humano genere optime meruerunt. Sed tamen non se capi sinet incautus aut decipi a magnificis phaleratisque inscriptionibus, quibus plerique aetate nostra vani scriptores sordidas suas merces, ut fucum ementibus faciant, imperito vulgo ostentant; libros, inquam, tanta horridos barbarie, tam ridiculos & plenos ineptiarum, ut, postquam legeris, tam male te operam collocasse poeniteat. Nam quo quisque doctior sapientiorque auctor, eo quoque solet esse modestior, maximeque simplices & perspicuos libris suis titulos praefigere, ut veterum praesertim exempla testantur. Haec omnia ille praestabit, vir sapiens, quem oratione jamdudum efformo: superflua omnia atque inutilia resecabit studia; nunquam otiosum se esse patietur: sed mercatores, avidissimum hominum genus, imitabitur, ut, sicut ii, opum parandarum caussa, non itinerum difficultate, neque navigationis periculo impediuntur, quominus domum, uxores, liberos, relinquant, vitamque ma-

ri suam committant ac praedonibus ; ita nullum pro adipiscenda sapientia laborem ipse refugiat aut reformidet. Quantum, putatis, temporis facturus est in longissimo illo disciplinarum omnium cursu compendium? quam cito ad Sapientiam perventurus? Latissime aetas nostra patet, Auditores, abundeque ad omnem sufficit scientiam: sed nos ipsi imprudenter contrahimus, dum, ubi minus oportebat, studia nostra occupamus, atque, ut uno omnia verbo dicam cum Poeta,

Exigua pars est vitae, quam nos vivimus.

dolemusque postea, deesse nobis tempus, quum nos tempori defuerimus. An non longum sane tempus iis superaverat, doctis alioqui hominibus & eruditis, qui praeclara sua ingenia argumentis adeo ignobilibus depresserunt, ut in turpium vituperabiliumque rerum commendatione sibi elaborandum esse existimarent? Nam infame illud crudelitatis monstrum, Nero, laudatorem habuit Hieronymum Cardanum, injustitia Carneadem, simius Canterum, Lucianum musca, mus Polycratem. Nec febri, caecitati, insaniae, bello, qui celebrarent, defuerunt. An non longissimam ad meliora studia Graecorum illorum vitam crederes, quibus etiam vacabat, curiose inquirere, quot remiges Ulyssem comitarentur, quum non expressisset Homerus; vel, prior ne scripta esset Ilias, an Odissea? O magnos homines in nihil agendo occupatos! qui tamen perditi temporis culpam, aut in naturae nostrae infirmitatem, aut in circumstantia undique negotia, transferre consueverunt. Tu vero, delicatule adolescens, totum, quod Litterarum studiis impendere debueras, tempus, spectaculis tribuis, intempestivis conviviis, aleae, pilae, aucupio, venationi aliisque hujusmodi voluptatibus: quidquid laboriosam occupationem affert, vehementer refugis, uno otio de-

le-

lectaris, atque ita in summo ingenii animique torpore vivis, ut dormienti propior videaris, quam vigilanti: deinde orationi meae obstrepere audes, quasi ad integrum artium omnium absolvendum cursum vita ipsa tua non sufficiat, quae si sufficeret homini in aliis omnibus, praeterquam in Litterarum studiis, semper occupato, jure miraremur. Tantum vero abest, ut humanae vitae spatium cunctarum artium magnitudine superetur, ut potius totum illum artium cursum intra breviores adolescentiae, primaeque dumtaxat juventutis angustias comprehendam. Quod enim tempus studiis omnibus idoneum magis atque aptum esse potest, quam primus ille adolescentis flos aetatis, qua maxime viget ingenium, doctrinarumque semina facillime in animo imprimuntur, impressa altissime defiguntur, defixa tenacissime inhaerent, & demum liberrima discendi omnia opportunitas suppeditat? Quae contra ad discendum minus accommodata aetas, quam illa maturior, qua induruit ingenium: &, compresso animi vigore, illa percipiendi celeritas evanescit, mentis obtunditur acumen; pudor etiam & vitae ratio saepe prohibet quaerere, quae quis ignorat; &, ut omnia alia adsint doctrinae adjumenta, otium immensa negotiorum turba interpellat, discendi occasio agendi necessitate praevertitur? Sed tu, adolescentior, recte aetatem partire tuam, nec eo tempore apud Grammaticos detinearis, quo, toto percurso Philologiae amoeniorumque omnium Litterarum spatio, gravioribus disciplinis opera tibi impendenda esset; sed, quo breviorem discendi commoditatem breve adolescentiae tempus pollicetur, eo ad sapientiam magis properandum esse, intelligas. Magis te ergo libri, quam spectacula; labor magis, quam ignavia; magis sobrietas, quam compotationes; vigilantia magis, quam somnus; magis Minerva, quam Venus; Litterae magis, quam ludus, delectent. Non equidem improbos a

te

te exigam Didymi labores, quem χαλκέντερον appellaverunt, quod tam assiduus ac propemodum ferreus in scribendo fuerit, ut quatuor librorum millia (mirum dictu!) accumularet; imbecilliores sunt forsan vires tuae, quam ut dies noctibus, noctes diebus, sine ulla vel honestae remissionis interruptione, in disciplinis addiscendis conjungas. Sed illud tamen exigo, ut diligentia, qua una virtute, ut testatur Tullius, reliquae continentur, vitae brevitatem compenses: exigo, ut nulla male collocata diei parte, quam longissimam adolescentiam efficias: exigo, ut tecum versari scias, &, si societatem amas, studiorum tuorum comites, seu duces potius, viros totius antiquitatis doctissimos naciscaris, qui te certissime ad Sapientiam perducant: ut Aldum illum seniorem, hominem in Graecis Latinisque auctoribus recensendis accuratissimum, ante oculos tibi proponas, qui, ne, importunis amicorum confabulationibus, a suis studiis avocaretur; Musaei ostio inscripserat, nequis secum agere, nisi paucis, vellet, nisi forsan, tanquam Hercules, defesso Atlanti humeros depositurus, venisset. Exigo denique, ut tempore uti discas & vivere: quod si, sedatis animi perturbationibus, quae te huc illuc transversum agunt, didiceris; tum demum apparebit, quam in longa vita brevis tibi sit artium omnium cursus futurus. Nunc vero, si vos, adolescentes, maxime commovent exempla, quibus, ad animos quamcunque in partem pertrahendos impellendosque, fortius in humano genere argumentum inveniri nullum potest; totius vetustatis memoriam breviter mecum percurrite: & non solum eos, quos hactenus ita laudavimus, ut omni majores laude viderentur; sed & longe plures invenietis, qui, quum omnibus artibus fuerint liberalibusque disciplinis instructissimi, certissimo posteris documento ostenderunt, ad omnem nos scientiam adspirare posse, si eorum exempla sectemur. Sed

in tanta exemplorum copia, in qua praestantissima seligimus, ne in immensum crescat oratio; quis unquam venerabile sacrosanctumque Philosophiae nomen audivit, cui primus non obversetur animo, Philosophiae hoc tempore princeps, Stagirita Aristoteles? de cujus laudibus eo minus tacere nobis licuit, quo paullo antea impensius Democritum commendabamus: ne Democriticae potius sectae, quam Peripateticae, periculosa apud nostros homines suspicione, favere videamur. Tantae autem sunt, quae Philosophorum maximo, Aristoteli, debentur atque a doctissimis nostrae & superioris aetatis viris tribuuntur, laudes, ut praestet eas omittere, quam minus pro dignitate recensere, ut jure ab omnibus supra modum celebretur, qui non in Philosophia solum, & iis, quae Philosophiae finibus immensis comprehenduntur, facultatibus; sed in ceteris quoque omnibus artibus; neque solum, inveniendi judicandique acumine; sed summa quadam dicendi copia & suavitate, modum ingenii excesserit humani. Quid Aristoteli Anicium Boethium adjungam, qui primus Latinis Litteris Aristotelis Philosophiam ita illustravit, ut simul, quantum in omnibus honestis disciplinis ipse eminebat, ostenderet? Quid Aven-roem, Arabum longe doctissimum, etsi posterioris hominem aetatis, qui, ob summam suam omnibus in artibus eruditionem, Aristotelis mentem, post Alexandrum Aphrodisiensem, tanta fide expressit atque ingenii felicitate, ut magnificam Interpretis nuncupationem, κατ' ἐξοχὴν, promeruerit? Quid Mosem Maimonidem Iudaeum commemorem, qui primus in nugacissima gente sapere incepit, ne apud solos Graecos aut Latinos sedem collocasse Sapientiam arbitremini; Barbarorum autem consortia dedignari? Quid paullo vetustiorem alium Arabem, Avicennam, qui artem Medicam primus in ordinem redegit: tanta autem fuit diligentia, ut anno aetatis decimo, impium su-

per-

perstitiosissimae sectae volumen memoria totum complecteretur; omniumque disciplinarum notitiam adhuc puer, nullo usus magistro, sibi comparaverit? Quid de Marco Terentio Varrone dicam, quem Romanorum omnium eruditissimum veteres commendarunt? Quid ex nostris Origenem repetam atque Augustinum, qui cunctas liberales artes admodum adolescentes didicerunt? Quid? ut ignaviae viros nostrae pudeat, feminae ipsae plurimae omnibus mirum in modum excultae Litteris referuntur, ut, Cratetis uxor Hipparchia, Pulcheria & Eudoxia Augustae, Zenobia Regina, Irene item Augusta, Aspasia, Theano, Catharina, feminarumque clarissima Hypatia Alexandrina, Theonis Philosophi filia, quae in Platonicam Plotini scholam successit, tanta doctrinae fama, ut, quotquot ea aetate Philosophiae studio flagrabant, ad illam undique confluerent. Quin & a Romano lapide Eucharis quaedam, quatuor & decem annorum erudita in omnibus artibus virgo, posterorum memoriae consecrata invehitur. Ad eos veniam, propter quos omnis haec instituta est oratio, nempe ad Oratores, de quibus minime est dubitandum, non potuisse eos existere, quali fuerunt, eloquentia, summa atque admirabili, nisi omnem rerum scientiam animo comprehendissent. Haec est enim vera eloquentia, quae ex omnibus simul artibus omniumque rerum cognitione, in eruditam quandam ornatamque sermonis elegantiam exundat; non, quae, clamoso quodam verborum cursu, aut, composito ad saltationis similitudinem gestu, ex communi hominum opinione vulgarique rerum notitia, quid apud imperitam multitudinem, cum plausu quodam, dicat, mutuatur: &, si obiter licet mihi veteri illa Marci Antonii distinctione uti; ex iis plurimi, quos, e suggestu popularem auram concionando captantes, vulgus hodie eloquentes putat atque admiratur, in disertorum quidem numero reponi, eloquen-

 tes

tes autem dici non possunt, quod ad dicendum non omnibus ingenuis artibus instructi accedant. Sed, ut ad veteres Oratores revertamur, quos in omni doctrinarum genere praestitisse, argumento est non obscuro ipsa illorum ex omnibus disciplinis eruta eloquentia: illustris imprimis est omniumque gentium Litteris celebranda, Leontini Gorgiae & Elei Hippiae memoria, qui etsi arrogantiores impudentioresque fuerint, quam honestos homines decebat; attamen, si artes omnes ingenuas uterque non quam optime calluisset; neque unus, in magna hominum frequentia, de omnibus, de quibus interrogaretur, rebus se copiosissime responsurum professus esset; neque alter toti pene Graeciae, quae ad ludos Olympicos convenerat, non liberalium modo facultatum, Oratoriae, Poeticae, Geometriae, Musicae, Physicae, Politicae reliquarumque omnium, scientiam; sed &, quae sua manu confecerat, annulum, pallium crepidasque, ostentasset. Eos tamen non commemorabo, ne, si a solis Graecis doctrinae petantur exempla, discant ipsi, insolenti quodam fastu, Latinis insultare. Non commemorabo Demosthenem, Graecorum omnium doctissimum simul atque eloquentissimum Oratorem, quem puerum admodum actiones pupillares habuisse tradiderunt. Non Isocratem, nitidissimum dicendi auctorem, cujus ex institutione innumeri eloquentiae principes prodierunt. Non Thrasymachum Chalcedonium, Prodicum Cejum, Protagoram Abderitam, Lysiam, Hyperidem, Aeschinem, Periclem, Phalereum Demetrium, aliosque bene multos, quos in omni studiorum genere praestantissimos, atque, ob singularem rerum omnium peritiam, ad dicendum in utramque partem paratissimos, Athenae praesertim, fecundae eloquentiae bonarumque artium parentes, tulerunt. Neque etiam in Romanorum commendatione nimis dicendo diffundar, quorum orationes cum admiratione legi olim consue-

sue-

ſueviſſe, teſtatus eſt Vipſanius Meſſalla in eo, quem Fabio Quintiliano cum doctiſſimis viris adſcribendum cenſeo, Dialogo de cauſſis corruptae Eloquentiae. Non Lucii Craſſi, quem tantam doctrinarum varietatem in tantis occupationibus adipiſci potuiſſe, ſumme Quintus Catulus mirabatur, qui ſane Craſſus, nono decimo aetatis anno, in Cajum Carbonem dixit ſupra hominum expectationem eloquenter. Non Caii Caeſaris, qui, primo & vigeſimo anno, Dolabellam; non Aſinii Pollionis, qui, ſecundo & vigeſimo, Cajum Catonem; non Calvi, qui, non multo aetate antecedens, Vatinium inſectatus eſſe fertur. Quintum Hortenſium omittam, doctoſque illos viros, Quintum Valerium Soranum, Titum Manilium, Sext. Aelium, Marcum quoque Cenſorium Catonem, in quem unum virum togae militiaeque ornamenta cuncta confluxerunt, ut idem eſſet optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperator; atque, ut nihil non ſciret, quod ſciri poſſet, Graecas Litteras, quas in juventute oderat, ſenex didicerit. Iſtos omnes, quorum non ex aridis Rhetorum praeceptis, ſed ex intimis Sapientiae fontibus, profluxit eloquentia, praeteribo; nec me porro detinebit, qui Romanorum in ſe omnium ora prae ingenii aetatiſque admiratione convertit, Caeſar Auguſtus, quum duodecim natus annos, aviam pro Roſtris laudaverit. Unus ſit nobis Oratorum omnium loco, qui ad ſummum artem dicendi faſtigium evexit, omniaque omnium aliorum, qui ubique locorum & gentium eloquentia floruerunt, decora & virtutes, ad Graeciae invidiam admirationemque Romae, perfectiſſime in ſe complexus eſſe videtur, vim Demoſthenis, ſuavitatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiae, copiam Platonis, Ariſtotelis acumen. Hic eſt, quem non, niſi honoris cauſſa, nominandum puto, Marcus Tullius Cicero, quem, ſive ſummum Oratorem, ſive ſummum Philoſophum, appellare velis,

lis, nunquam satis pro merito commendaveris. Fuit certe utraque in laude summus, in quem totas suas vires Eloquentia simul ac Sapientia profuderunt. Neque enim, ut ipse professus est, illa tanta dicendi ubertas, ut, teste Fabio, Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen habeatur; suppetere illi in tanta varietate rerum potuisset, nisi animum suum doctrina Sapientiaeque studiis excoluisset. Enim vero sic se ab ineunte aetate ad omnem eruditionem paravit, ut, quum a Quinto Mutio Scaevola Ius Civile, a principe Academiae Philone omnem Philosophiae partem, a Stoico Diodoto tum alias artes, tum Dialecticam, a Molone Rhodio Oratoriam, penitus hausisset, doctus in Forum, non docendus, veniret; primamque pro Sex. Roscio caussam, sex & viginti natus annos, maxima audientium commendatione, haberet. Neque hac contentus, Graeciam Asiamque totam peragravit, ut a sapientissimis atque eloquentissimis ejus aetatis viris, & praesertim ab Antiocho, celeberrimo veteris Academiae Philosopho, a Demetrio Syro, a Menippo Stratonicensi, a Dionysio Magnete, atque ab Apollonio Molone Rhodi, de omnibus rebus erudiretur. O virum immortalitate dignissimum, qui, quum jam summus Orator esset, aliorum se disciplinae, veluti recoquendum, tradere non dubitavit! o admirandam hominis industriam, qui felicissimam, quam a natura sortitus est, dicendi facilitatem tanta cura expolivit! o summam cum summa sapientia conjunctam eloquentiam! Etsi vero omnibus iis artibus, quibus Tullius egregie instructus in Forum processit, non semper in dicendo sit usus; apparet tamen, quantum in amoenioribus Litteris, in Geometria, in reliquis Mathematicis, in Dialectica, Physica, Iurisprudentia, Ethica, facultatibus omnibus, eminuerit. Quis enim illo in Historicorum Poetarumque lectione versatior? in regionum locorumque descriptione

ne accuratior? in argumentando acutior? in naturae caussis pervestigandis perspicacior? in civili vita prudentior? in bonis suadendis utilior? in omnibus quacunque de re disputationibus copiosior? Verum quid Ciceronem diutius prosequor, cuius nemo laudes aequaverit, nisi parem illi adhibuerit eloquentiam? quid vetera clarissimaque eorum exempla, quos rerum omnium artiumque scientia brevi tempore exornavit? quasi scilicet Natura, tam pia in priscos homines parens, quam impia in recentiores noverca; illorum, qui nobis docendis elaboraverunt, ditandis ingeniis totam foecunditatem exhauserit suam; posteritatem vero miserabili sterilitate damnaverit. Immo vero, si recentem nostramque aetatem animo reputemus, non habet illa, cur de suorum ingeniorum infelicitate queratur; sed habet potius, unde nostrae nascendi sorti valde invideat antiquitas, quod omnia, quae vetusti rerum inventores agnoverunt, minime nos lateant: plura autem agnoverimus, quae illos latuerunt. Non libet hoc loco, ne patientia vestra abuti velle videar, Auditores, integras Bibliothecas excutere, aut eos libros proferre, quibus, nostra memoria, nonnulli, imbecilliori adhuc aetate, quum nondum fere ex ephebis excessissent, magna eruditi Orbis admiratione, Litterarum Rempublicam locupletarunt. Sciunt omnes, qui Litteras noverunt, quam puer Iosephus Scaliger Oedipum, pulcherrimam tragoediam, elucubraverit. Sciunt, quam parva aetate Hugo Grotius Martianum Capellam, nobilem in paucis scriptorem, ab innumeris mendis expurgaverit notisque illustratum in lucem emiserit. Sciunt, quam adolescentes, Nicolaus Rigaltius Funus Parasiticum, Ioannes Barchlajus Euphormionem, Iustus Lipsius Varias Lectiones, alii opera alia, quae notis eruditissimis adornarunt, ediderint. Nec est, cur huc referatur, quod de Andrea, Petro & Iacobo fratribus Canteriis scribit Henricus Corne-

nelius Agrippa, qui, artis, quam ab auctore Lullianam vocant, beneficio, in omni disciplinarum genere decennes disseruere. Nam quam parum vana ista arte confidendum sit, idem ipse in libro de Artium Vanitate Agrippa, tam verax hac in parte, quam in plerisque aliis fallax auctor, ostendit. Unde quod Petrus Daguinus Mediatus, & Iacobus Ianuarius, quum, graviori jam aetate, incumbere in Litteras cepissent, adeo profecerint, ut doctissimis viris monstri loco haberentur, non id Raymundi arti; sed summae hominum diligentiae studiorumque assiduitati, attribuerim. Utinam vero Agrippa malis artibus optimum ingenium, sub specioso occultae Philosophiae nomine, non corrupisset! in ipsa enim adolescentia tanta artes omnes imbiberat sedulitate, ut non perpetuo silentio damnandus (ut optimo eum jure gravissimi Patres damnarunt;) sed summis ad caelum efferendus laudibus, videretur. Sed omittere tamen non possum clarissima duo seculorum omnium ingenia, Ioannem Picum Mirandulanum, & Iacobum Critonium Scotum, quorum hic alter, vigesimo aetatis anno, decem linguarum peritissimus; Philosophiam insuper, Theologiam, Mathematicas ceterasque omnes disciplinas assecutus fuerat. Picus vero, quem Etrusci sermonis auctorem habere potuissemus, candidum imprimis atque elegantem, nisi amatorios versus, religione tactus, ignibus destinasset; Latinae, Graecae, Hebraeae, Chaldaeaeque & Arabicae linguae cognitioni accuratissimae eam rerum omnium scientiam adjunxerat, ut in omni doctrinarum genere ante fuerit consummatissimus, quam ad aetatis maturitatem perveniret; &, quatuor & viginti vix natus annos, se de omnibus rebus, quae ad Peripateticam, Platonicam, Pythagoricam, Chaldaeam, Hebraeamque, tum divinam, tum humanam, Sapientiam, juxta quarumcunque sectarum & hominum diversa placita, suamque

que

que ipsius sententiam, pertinerent, in principe Orbis urbe, adversus omnes illius aevi Sapientes, quos ex omnibus locis suo sumptu evocabat, disputaturum profiteretur. Quibus exemplis nescio an luculentiora ulla afferri possint, ut jam omnes fateantur, multos ad liberales cunctas artes perdiscendas nobis annos superesse, etiamsi vitam nostram, non senectutis, sed adolescentiae spatio concludamus. Sed, quemadmodum pulchrum illis fuit ad omnem doctrinam praeire; ita etiam atque etiam videte, adolescentes, ne turpissimum vobis sit minime eos sequi, quorum plerisque eadem, quae vobis adsunt, discendi subsidia defuerunt. Nescio quem enim veluti stuporem in aliquorum mihi vultu legere videor, quos, Themistoclis exemplo, cui somnum Miltiadis trophaea excutiebant, maxime ad honestissimam aemulationem excitari oportuerat: ut, quam in aliis admirarentur, doctrinam assequerentur ipsi. At enim tardiora longe esse adolescentium nostrorum ingenia videntur, quam ut cum maximis illis perspicacissimisque ingeniis comparari ullo modo possint. Verum, ut summorum illorum hominum, quos in omnibus disciplinis perfectissimos hactenus praedicavi, laudibus nihil detrahendum putem; quam tamen ingenii tarditatem non vincit amor veritatis, vigilantia, assiduitas, labor, atque, ut uno verbo omnia complectamur, diligentia? Modico vir ingenio fuit Ephorus, in quo se calcaribus uti solere, sicut contra frenis in Theopompo, eloquentissimus inter Graecos Rhetores Orator, Isocrates dictitabat; quam tamen boni scriptoris partes omnes implevit? Tardissimo ingenio fuit Cleanthes, quem arieti Timon comparavit; quam egregius tamen Philosophus evasit, qui Stoicorum principi Zenoni tam sedulo adhaesisse fertur, ut, quae ab illo audierat, testae ossibusque inscribere, chartarum inopia, soleret; neque indignus, qui tanto Philosopho succederet, unus

e multis judicaretur. Mediocri etiam fuit ingenio Cornelius Celsus; qua tamen arte caruit, qui sua de omnibus fere rebus luculentissime scripta posteritati reliquit? Te, Guilielme Budaee, appello, vir eorum omnium, quos Gallia tulit, diligentissime. Quem in rebus primum percipiendis te tardiorem obtusioremque unquam audivimus? quem etiam undequaque doctiorem eruditioremque restitutae Latinae Graecaeque Litterae habuerunt? quid enim fuit in Romana Graecaque antiquitate; quid in Iurisprudentia; quid in Philosophia reliquisque omnibus facultatibus, tam abstrusum, tam difficile, tam singulare, quod tu graece latineque non minus, quam vernacula Gallorum lingua, eruditus, sine magistro ullo, non investigaveris, erueris, cognoveris? Felicem te tanto viro Galliam! sed, o quanto beatiorem uberrimo praestantissimorum ingeniorum proventu Florentiam! Absit enim, quam longissime absit, Auditores, ut hanc genti meae injuriam irrogari imprudenter patiar, ut, aut adolescentes nostri summam rerum omnium scientiam desperare jubeantur, aut Florentinorum ingenia tarditatis a quoquam insimulentur. Quae enim ulla tam exculta humanioribusque omnibus artibus perpolita natio de ingeniorum acumine & felicitate cum Florentinis contendat? quum paucos, & qui digito monstrentur, alibi locorum doctissimos viros enumeres; hic vero tanta sit semperque omnibus retro seculis fuerit maximorum ingeniorum ubertas, ut Athenae Florentiam commigrasse videantur. Quod optimo naturae consilio factum puto, ut ea potissimum regio bonorum sit ingeniorum feracissima, quae, veluti quoddam doctrinarum omnium seminarium, Litteras tum Graecas, tum Latinas bonasque cunctas artes ab interitu vindicavit, e tota Graecia expulsas in hospitium recepit atque in omnem Europam diffudit. Deus immortalis! potest ne quidquam ad gentis alicujus indu-

striam

striam summamque in difficillimis negotiis expediendis dexteritatem comprobandam magnificentius dici aut excogitari, quam ad Bonifacium Octavum, Pontificem Maximum, a duodecim totius Orbis potentissimis Principibus totidem venisse Oratores, a singulis singulos, patria omnes Florentinos? quorum ea cepit Bonifacium, acerrimum illum ingeniorum censorem, admiratio, ut Florentinos, quintum in rebus humanis elementum appellaverit. Hanc vestram patriam, si sapitis, intueamini, adolescentes, quae, perenni immensoque Sapientiae gurgite, in alias omnes terras exundat, easque copiosissime irrigat; ipsa vero beatissima sibi sufficit, atque a nullis aliis irrigatur. Urbium vobis pulcherrimam & doctissimam semper ante oculos patriam observari velim, & qua optimus quisque ex alienis gentibus tantopere capitur, eam animis vestris infixam, ad haurienda inde omnia virtutis & scientiae exempla, penitus inhaerere. Nam si tanta est a natura ipsa charitas patriae, ut Ithacam suam vir sapientissimus Ulysses immortalitati anteponendam censuerit; quo vos tandem studio, honestissimo loco nati adolescentes; hanc eandem urbem prosequi decet, quae, divino quodam beneficio, patria vobis obtigit, ut non aliunde adscitam, sed domesticam, ad propius imitandum, virtutem habeatis? Immortalem intueamini majorum vestrorum memoriam, qui, etsi ad unius aliquando prae aliis disciplinae cultum atque ornamentum studia potissimum sua contulerint; nullius tamen rei scientia caruerunt. Intueamini, non Claudianum aliquem, tumidum magis fortasse quam sanum Poetam, quem tolerabili culpa, patriae amor quibusdam fecit Florentinum videri: sed, Poetarum Etruscorum principem ipsisque Homero & Virgilio (absit verbo invidia) facile aequandum, Danthem Alligherium; Latine Etrusceque doctissimum, Franciscum Petrarcham; nobilissimum historiae scriptorem,

Franciscum Guicciardinium; eloquentissimum simul atque elegantissimum, cujus ex ore melle dulcior fluit oratio, Ioannem Boccaccium; lepidum illum rusticanorum amatoriorumque carminum auctorem, Laurentium Medicem; omnium bonarum artium procerem & patronum, summum in Iurisprudentia virum, Franciscum Accursium, qui, quadraginta natus annos, se ad Iuris studium applicuit, eo doctrinae successu, ut magno esset omnibus documento, nulla vel sera aetate Florentinorum ingenia a Sapientia retardari: celeberrimum Platonicae Philosophiae instauratorem, Marsilium Ficinum; insignem Peripateticae amplificatorem, Cyriacum Strozzam; omni eruditionis genere ornatissimos viros, Petrum Victorium, Bartholomaeum Cavalcantium, Benedictum Averanium, Vincentium a Filicaja aliosque innumeros, quorum illustria nomina nulla unquam delebit oblivio. Oculos per omnes late terras circumferte: & post immensa regionum mariumque spatia, quarta vobis terrarum pars occurret, quam, veteribus ignotam atque a se repertam, nomine inscripsit suo Florentinus Vespucius. Oculos ad caelum extollite: & nova statim sidera suborientur, quae primus detexit Florentinus Galilaeus. Sed quid attinet, homines, externis aliis solutos curis atque uni Sapientiae studio deditissimos, consectari? quando Matthaeo Palmerio Florentino, nobilissimo civi, qui, ut nostrae civitatis tunc erant mores, pharmacopoeus audiebat, nulli laboriosissima ars fuit impedimento, quominus subcisivis, ut ajunt, operis, eos in Litteris progressus faceret, ut Alphonsus, Rex Neapolitanus, excellentem viri doctrinam miratus, quales Florentini medicos haberent, requireret, quum tali pharmacopoeo uterentur. Quod si perlequi singulos patriae nostrae sapientissimos viros piguerit; totas integrasque familias intuemini, quae generis non minus claritatem, quam majorum Sapien-

tiam,

tiam, ad posteros, hereditario jure, transmiserunt: Mediceam in primis gentem, cui, ob summa in Litteras merita, aequissimum Etruriae principatum Sapientia ipsa demandavit: deinde plerasque alias, quas, ne uni plus, quam alteri, me deferre suspicemini, indiscriminatim nominatas volo: Bartholomaeam, Pandolphiniam, Rinucciniam, Guicciardiniam, Strozziam, Alamanniam, Ricasoliam, Niccoliniam, Martiniam, Oricellariam, Datham, Gaddiam, Gyraldam, Bardiam, Salviatam, Capponiam, Martellam, ceterasque, quibus Litterae aeternum nomen pepererunt. Intueamini lectissimum hunc Etruscae nobilitatis, & Sapientiae florem, viros aetatis nostrae clarissimos, qui, pro summa sua artium omnium scientia, dum Florentinam linguam ad pristinum nitorem reducere omnique expolire ornamento, moliuntur; palam cuique faciunt, quam bene de ipsis artibus, quas, Etrusca lingua, auctores nostri explicarunt elegantissime, mereantur. Adest etiam, quem de abstrusissimis quibuscunque rebus atque a vulgari hominum notitia maxime remotis, velut commune quoddam non Italiae solum nostrae, verum & Orbis totius, oraculum, consulatis, singulare patriae ornamentum, vir omnium veterum recentiorumque, post Litterarum memoriam, facile doctissimus, Antonius Maria Salvinius, qui omnes omnium seculorum bibliothecas mente comprehendit sua, ut inexhaustae inde sapientiae thesauros in ceteros diffundat. Me vero, ut libere dicam, quod sentio, valde poenitet, ad inflammandos Sapientiae studio adolescentes nostros, longa exterarum gentium documenta curiosius perquisisse, quum tanta sese nobis offerat domesticorum exemplorum copia, quibus luce ipsa clarius constat, eam esse Florentinorum ingeniorum vim ac praestantiam, ut, quocunque se converterint, summa semper videantur. Agite itaque, ornatissimi adolescentes, pudeat vos a majorum vestrorum gloria de-

degeneres inveniri; pudeat, quam sapientiae laudem vobis Patres tradiderunt, non adaequare; pudeat Florentinorum jure censeri, & Florentinorum dignitati non respondere. Quid ergo vos a summa disciplinarum omnium scientia remoratur? patrium nomen vobiscum ipsi perpendite; & cogitate, in maximis Europae tumultibus, quam pacatum otium & rerum tranquillitatem, incomparabili quadam prudentia animique moderatione, sapientissimus noster Princeps vobis praestiterit: ut, quemadmodum aliae gentes armis, ita sapientia vos certetis; & quam alibi Litterae miserandum in modum faciunt, reparent hic jacturam. Secundos itaque tertiosque gradus generosi altique animi aemulatione despicite; ad summam contendite Sapientiam; summum Sapientiae fastigium spectate. Neque unius vobis satis sit disciplinae cognitio, quum artes omnes liberales brevi tempore comparari possint, quarum mira atque incredibili suavitate labores in discendo vestri levabuntur. Ac, si vos, id quod maxime debet, vestra patria delectat; percipietis etiam illam ex omnium cognitione disciplinarum voluptatem, quod, quantum praestiterint vestri majores doctrina ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si eorum doctrinam imitando in vobis ipsi experiemini. Quod meum fuit, hoc pro viribus executus sum, ut videtis, ut, quibus possem argumentis, ad Sapientiae vos studium excitarem: facilis vobis reliquus erit & brevis, omnium doctrinarum cursus, si persuaderi patiamini.

Habita ea est oratio Florentiae in Sanctae Mariae ad Riccios pridie Nonas Decembris Anno MDCCIX. coram Serenissimo Principe Ioanne Gastone ab Etruria, in magna Excellentissimae Academiae frequentia, Archiconsule, Clarissimo Viro, Ferdinando Bartholomaeo: Consiliariis, Friderico Riccio, & Thoma Bonaventurio: Censoribus, Antonio Maria Salvinio, & Francisco Maria Salvatorio, Viris Clarissimis.

PE-

PETRO. FRANCISCO. RICCIO
EQVITI . PRIORI . PATRICIO . ET . SENATORI
FLORENTINO
VIRO . CLARISSIMO . ATQVE . AMPLISSIMO
ET . NOBILITATE . ET . IVRISPRVDENTIA
ET . CONIVNCTIS . VTRIVSQVE
PALLADIS
ARMATAE . ET . LITTERATAE . STVDIIS
SPECTATISSIMO
ACADEMIAE . PISANAE
ET . ORDINIS . EQVESTRIS . S . STEPHANI
PRAESIDI
PATRONO . OPTIMO . LITTERARVM
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . PRIMAM . SVAM
DE . LITTERARVM . GRAECARVM
NECESSITATE
QVAM . DICTAM . A . SESE
AD . ACADEMIAM . PISANAM
ANNO . MDCCXXXIII.
EI . POSTEA . IN . EVSTATHIO . SVO
IN . HOMERVM
ANNO . MDCCXXXV.
DE . SE . BENE . MERENTI . PVBLICE . DEDICABAT
NVNC . DENVO . EDITAM
PRO . VETERIBVS . ET . RECENTIBVS
SVIS . ERGA . EVM . OFFICIIS
MAXIMISQVE . EIVS . IN . ACADEMIAM . PISANAM
ATQVE . IN . LITTERARVM . STVDIA
PROMERITIS
HONORIS . GRATIQVE . ANIMI . CAVSSA
L. M. Q. ITERVM . CONSECRAT.

ORATIO II.

DE LITTERARUM GRAECARUM NECESSITATE.

Utinam tantum mihi ingenii, Auditores ornatissimi, tantum esset eloquentiae, quantum res ipsa postulat, ut in hoc celeberrimo, atque ad dicendum amplissimo loco, hac litteratorum hominum frequentia, hoc lectissimorum atque honestissimorum adolescentium concursu, verba ego facturus de linguae Graecae, atque adeo de litterarum Graecarum praestantia atque necessitate, parem argumento orationem invenirem! Namque ipsa quidem argumenti magnitudo atque varietas, quo in argumento maxima sese ingenia saepius exercuerunt, ipso statim dicendi initio me ita perturbat ac propemodum obruit, ut, quid ego potissimum dicam, penitus ignorem, &, quae alias mihi, vel quum de gravissimis rebus disputarem, nunquam defuit, oratio hic me mea deficere prorsus videatur. Quid enim lingua Graeca ad omnem eruditionem accommodatius, quae janua quaedam est ad omnes disciplinas? quid Graecis litteris uberius, atque copiosius? quid ad omnem doctrinam magis necessarium? quibus omnes doctrinae uberrime continentur. Nolite enim errare, adolescentes, qui huc Pisas, ad hoc domicilium, ad hanc sedem sapientiae, studio & ardore quodam animi incredibili, sapientiae ipsius addiscendae caussa, quam frequentissimi conveni-

stis. Nolite, inquam, existimare, quum de lingua Graeca agitur, leve quidquam agi, quod ad sapientiam parum pertineat. Agitur in linguae Graecae negotio summa universae doctrinae, agitur orbis omnium disciplinarum, ipsa agitur sapientia, cujus summum certe apicem sine Graecae linguae cognitione attingere nunquam possitis. Quare, sive vos Poeticae atque Oratoriae studia delectant, sive tenet, quae rerum humanarum sapientia est, Philosophia, sive eruditus pulvis ac reliquae Mathematicorum disciplinae invitant, sive Medicorum praecepta alliciunt, sive Iurisprudentia, sive antiquitatis cognitio, sive rerum divinarum scientia, quam Theologiam vocamus, oblectat, quamcunque tandem sapientiae partem sectemini, tum humanae, tum etiam divinae, illud apud vos statuite, ad perfectam atque exquisitam harum omnium rerum notitiam, linguam Graecam non perutilem modo esse, verum etiam pernecessariam. Volo enim, vobis sit penitus persuasum, quod oratione mea breviter ostendam, neminem quemquam sine Graecis litteris fieri posse perfectum, ac consummatum in doctrinis, hoc est, summe perfecteque doctum atque eruditum. Unde facile intelligatis, quo majori vos studio ad sapientiam nitimini, eo magis vobis esse in Graecas litteras incumbendum.

Neque vero, Auditores, Graecae linguae ad omnes doctrinas perfecte acquirendas necessitatem opus est altius repetere ex ipsa ejusdem linguae praestantia, & vi prorsus ejus admirabili ad res quaslibet atque naturas, animique nostri omnes omnino notiones, quae infinitae propemodum sunt, omnesque variae, perfectissime exprimendas. Quam quidem vim tantam esse volunt, ut sapientissimus Plato maximam partem sapientiae in vocabulis Graecis interpretandis, eorumque origine indaganda in Cratylo suo posuerit; eaque ipsa vocabula viri doctissimi proprietate quadam sua res, quas

quas significant, melius repraesentare affirmaverint, quam si res oculis subjicerentur. Nam si vellemus quidem Graecae linguae laudes vel leviter attingere, & quae de Graecae linguae dignitate sunt ab aliis magnifice atque ambitiose jactata, in medium proferre, longius sane excurreret oratio mea, quam coarctatio haec & angustiae temporis patiantur. At enim, quo lingua Graeca ceteris aliis linguis excellentior est, atque praestantior, eo etiam magis, quam aliae linguae, est eadem necessaria. Nisi si forte, quia alia est vocabulorum, quae significant, alia rerum, quae significantur, scientia, linguam quoque Latinam ad bonas litteras, atque ad majorum rerum doctrinas parum necessariam judicemus. Nihil est enim Poeticae, nihil Oratoriae, nihil Dialecticae artis, nihil Physicae, nihil Geometriae, Mathematicarumque disciplinarum, nihil Theologiae, nihil denique reliquarum omnium artium, atque doctrinarum, quod a nostris hominibus non sit Etruscis libris traditum, atque eleganter sermone patrio explicatum. Et tamen quod haec ista maximam partem e Latinis sunt fontibus hausta, nemo fere est, quin fateatur, eum, qui Latine nesciat, tametsi Etrusce omnia didicerit, posse quidem doctum esse, bonisque artibus eruditum; perfectum tamen & consummatum in doctrinis esse non posse. Quod si Latina lingua adeo est ad summam doctrinam necessaria, ut sine ea semidoctorum tantum numero quis habeatur; quid tandem censendum de Graeca, quae ad perfectam Latinae linguae cognitionem summopere est necessaria? Non equidem hic ego detractum quidquam velim linguae Latinae, cui tantam aliquando verborum copiam sermonisque ubertatem asserebam, ut eam Graecae paene exaequarem. Sed dico id, quod maxima doctissimorum hominum consensione receptum comprobatumque est, quidquid est hujus linguae Latinae, sine Graecis litteris a nemi-

ne quoquam sciri posse, certe quidem perfecte atque accurate. Quod ni ita esset, quid tandem in caussa esse existimaremus, quamobrem Quintilianus puerum a Graeco sermone mallet incipere, & doctissimi quique viri unam linguam cum altera conjungendam praeciperent? Scio, illam etiam caussam afferri, quia disciplinae nostrae a Graecis fluxerunt. Sed haec etiam caussa ostendit, perfectam Latinae linguae scientiam a Graeca prorsus lingua pendere. Et profecto quid est in Latinis, quod germane Graecum non sit, aut Graecam certe originem non redoleat? Graeca sunt Latinae linguae vocabula, Graeca Latinae orationis structura, Graeca Grammaticae Latinae praecepta. Nomina ipsa, quibus tum Grammaticen, tum reliquas fere omnes disciplinas appellamus, sunt Graeca: neque ipsas tantum disciplinas, sed & res quaslibet omnium disciplinarum, Graece nominamus, Poeticam, aut Rhetoricam si explicamus, si de Dialectica disserimus, si Physicen, si Ethicen, si Politicen docemus; si Medica, si Mathematica, si Theologica tractamus, quacunque de re, aut arte disputemus, Graecis ubique vocabulis utamur, opus est, quae trito jam usu longaque consuetudine, pro nostris, hoc est, pro Latinis ducuntur. Iam vero si nosmetipsi ad scribenda carmina conferimus, tota haec metrica ratio est Graecorum, neque ad summorum Poetarum laudem adspirare nobis licet, nisi summi Latinorum Poetae Virgilii exemplo, Poetas nobis Graecos imitandos, &, quantum possumus, exprimendos proposuerimus. Operam si damus eloquentiae, ad Graecos oratores unice aemulandos dux nobis & auctor, pater ipse Romanae eloquentiae, M. Tullius, qui sese totum ad Graecorum, atque in primis Demosthenis, exemplum conformavit atque effinxit. Qua de caussa non immerito visa est Quintiliano discipula Graecae, facundia Latina. Dialecticae si studemus, quae scientia

est

est disserendi; regulas omnes hujus artis, totamque inveniendi, & dijudicandi rationem, ut perfecte recteque teneamus, opus nobis est Graecis magistris atque in primis Aristotele. Quae enim de hac arte subtilius disputant Latini, omnia sunt ii a Graecis Aristotelis interpretibus commode atque opportune mutuati. Locus hic admonet, Auditores, ut, quod vulgo discrimen esse statuunt inter hominem Dialecticae artis penitus rudem, & eum, qui totam Dialecticam ex regulis ejus artis accurate diligenterque didicerit, id ego discriminis inter homines ponam, peritum alterum linguae Graecae, alterum ejusdem plane linguae ignarum atque imperitum. Homo enim bono sanoque judicio, ingenioque perspicaci praeditus, sed Dialecticae expers, scit ille quidem multa naturali acumine mentis suae: neque ille tamen est perfecte sciens, quia nescit se scire; quia nimirum rationem illam scientiae ignorat, quae ex certa atque evidenti ratiocinatione colligitur. Ita & homo Latine doctus, sed indoctus Graece, scit ipse etiam multa, quae de Dialectica, ac Philosophia, reliquisque omnibus disciplinis, Latinis sunt litteris copiose sciteque consignata; sed tamen scientia caret, perfecta illa atque exquisita, qua sciat se scire: quia nimirum vim minime intelligit eorum verborum, quae majoribus quibusque doctrinis explicandis assignata sunt a Graecis, religioseque retenta a Latinis. Quid dico verborum? ne sententiarum quidem vim percipit, quae reconditiores quasdam Graecorum doctrinas continent, neque eas tamen doctrinas satis patefaciunt, quum redduntur Latine. Age vero, reliquae etiam disciplinae, ad quas quendam veluti aditum aperire videtur Dialectica, quam apte ex Graecis litteris pendent, & cum iis connectuntur! quam Graeca est tota earum doctrina, nec nisi Graece scientibus nota atque manifesta! Sententia fuit olim Aelii Stilonis de nostro Plauto, Var-

roni valde celebrata, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: tanta in Comico illo Latine loquendi concinnitas atque elegantia. Quanto illud melius ac certius, Musas Graeco sermone usuras fuisse, si disciplinas docere homines vellent! Nam quod est a doctis viris egregie animadversum, Plautinum si sermonem Musae adhiberent, meretricio eae plebejoque more loquerentur. At si Musae Graeco sermone in liberalibus artibus tradendis usae fuissent, sermone certe usae fuissent maxime omnium ad sapientiam apposito atque accommodato. Quid autem dico, Graece Musas locuturas fuisse, si liberalibus artibus, universisque doctrinis erudire homines vellent? Nonne enim & locutae sunt Graece, & nunc etiam Graece loquuntur? Sunt enim Musae, artes ipsae liberales, ex Memoria, & Iove, hoc est, intelligentia procreatae; ideoque novem numero esse dicuntur, quod novem potissimum artibus liberalibus universa doctrina atque eruditio est comprehensa. Atqui artes omnes liberales loquuntur Graece, itaque loquuntur, ut non nisi Graeco sermone tota earum doctrina bene perfecteque explicari posse videatur. Mathematicae disciplinae quid loquuntur, aut loqui etiam possunt, nisi Graece? qnas scriptis suis mirum quantum illustraverint Euclides, Apollonius Pergaeus, Archimedes, Pappus Alexandrinus, Theon Smyrnaeus, Theon Alexandrinus, Proclus, Eutocius Ascalonita, Theodosius Tripolita, Serenus Antissensis, Ptolemaeus. Philosophia, quaeque partes ejus numerantur, Physice, Ethice, Politice, quid loquuntur, nisi Graece? ubi choros veluti ducunt Philosophorum maximi atque sapientissimi, Plato atque Aristoteles. Sed praesertim in Physica, in summa illa atque incredibili naturae varietate, quam longe, & quam late Graecus semet sermo effert, ac veluti exultat! ubi naturae auctor mundique opifex Deus sese in primis contemplandum objicit, ubi de naturae

cauf-

caussis, de caelo, de elementis philosophamur, ubi animalium, plantarum lapidum, metallorum, mundi denique universi historiam, ad singulas rerum omnium caussas exponendas, non minus varie, quam copiose, summaque cum animi nostri voluptate, conteximus. Horum omnium notitiam quam necesse sit e Graecis auctoribus petere, exemplo satis suo palam fecit C. Plinius, is, qui non e Latinis modo scriptoribus, sed etiam maxime e Graecis, ex quibus illi ipsi Latini doctrinas suas maximam partem hauserant, Naturalem Historiam suam adornavit. O Plinianae illius historiae admirabilem non minus, quam sit naturae ipsius, varietatem! Quali quantoque nos Latini thesauro caruissemus, si Graecae Philosophiae opes nobiscum Plinius in illo libro non communicasset! Quid enim unquam in naturae thesauris latet, quod de Graecorum thesauris Plinius in Latinorum usum non depromspserit? Ferunt, historiam Animalium Aristotelicam maximo olim in pretio, permagnaque in admiratione fuisse, quam, ut Aristoteles, summo vir ingenio summaque diligentia, certius atque exploratius conscriberet, aliquot hominum millibus usus est, qua venatorum, qua aucupum, qua piscatorum, aliorumque omnis generis, per quos de animalis cujusque natura certior fieret. Quanto porro admirabilior Historia illa Naturalis Plinii, qua non quinquaginta modo Aristotelis de animalibus volumina in arctum, ut ipse ait, collegit; sed etiam rerum in primis dignarum viginti millia, & totam naturae universitatem, quantacunque ea est, ex scriptoribus centum, iisque praeclaris, atque exquisitis, atque ex duobus ferme voluminum millibus, in suas veluti classes, pulcherrimo ordine digessit atque dispofuit! Et tamen tota illa Naturalis Historia sine eruditione Graeca perfecte intelligi non potest. Adde, quae de Graecis habet Plinius, non omnia eum feliciter, neque exacte

sed-

reddidisse; aliqua etiam eum ne intellexisse quidem; Adde loca, eaque non pauca, in quibus a vero penitus aberravit. In his igitur tute etiam simul erres, oportet, nisi ad veram Graecorum scriptorum seutentiam pervidendam lumen tibi Graecae eruditionis praefulgeat. At in Medicis praeceptis, ubi salus nostra ac vita agitur, aliquid offendere quam grave est, quam periculosum! Unde etiam facile colligas, quam sint Graecae litterae ad rem medicam necessariae. Magnus profecto Philosophus Plinius; sed & idem magnus Medicus. Qui enim Plinio obtrectant, eos sane ne audiendos quidem putaverim. Bono ille publico natus, non satis habuit opes omnes naturae de Graecorum scriniis proferre, nisi etiam optimis medicinae praeceptis corporum salubritati vitaeque nostrae consuleret. At enim, dum medicorum aliquando errata Plinius coarguit, quam graviter & ipse aliquando decipitur atque errat! Quos quidem ejus errores, nisi ex Graecis scriptoribus, frustra nos emendaturos speremus; praesertim quum idem ipse Plinius diserte testetur, neminem antea Latino sermone ea, quae ipse affert, morborum remedia perscripsisse. Unde evidenter appareat, illa eum omnia e Graecorum fere scriptis corrasisse. Sic omnia fere e Graecis, quicunque olim alii, seu ante, seu post Plinium, Latinis litteris rem medicam tradiderunt, Scribonius Largus, Corn. Celsus, Isagoges vetus scriptor, qui vulgo dicitur Soranus, Caelius Aurelianus, Q. Serenus, Theodorus Priscianus, ex quibus Corn. Celsus, quamvis, Quintiliano teste, mediocri vir ingenio fuerit; tamen in legendis Medicis Graecis, maximeque Hippocrate, adeo profecit, ut aut Hippocratis fidus interpres, aut Hippocrates ipse Latinus esse videatur. Quare ita isti omnes legendi, ut, ad perfectam rerum medicarum intelligentiam, Graecos, atque in primis omnis medicinae parentem Hippocratem, identidem consulamus.

Nam

Nam si nostrorum nonnulli Latinos potissimum medicinae scriptores sunt postea secuti, ut de sese candide ingenueque profitetur Marcellus Burdigalensis; tamen, quum ii, quos secuti sunt, ex Graecis profecerint, fit, ut perfecta omnis medicinae cognitio sit ex Graecis tandem repetenda. Quid ego jam dicam de Iurisprudentia? Non est quidem nostrorum temporum, quod, florentibus Romanis rebus, vel in ipsa urbe Roma aliquando in usu & consuetudine fuit, ut Iurisprudentes Graece de jure responsitarent. Sed, quando jam omnia foedissime barbaries inquinavit, & Romanarum fere consuetudinum oblitterata est memoria, nego, sine Graecarum litterarum scientia rectam saepe haberi posse scientiam legum Romanarum; nego, vobis, perstudiosi juris civilis adolescentes, perspectum plane esse posse, quod vel in Codice Iustinianeo, vel in Constitutionibus Novellis, vel in venerabili ac sacrosancto Pandectarum volumine, atque adeo in Institutionibus ipsis Iuris civilis, paullo interius magisque reconditum continetur. Quod enim in illo sapientiae prudentiaeque Romanae thesauro inclusum est atque abditum, nobis quidem certe, qui ab illis temporibus, moribusque & ritibus tam longe absumus, apertum nunquam patensque fuisset, nisi illud Graeci fusius distinctiusque explicassent. Neque enim tunc Romanis ea, quae vulgo notissima, ac tritissima erant, opus erat fusius exponi aut clarius. Inde ab illa Romanarum legum ac sententiarum obscuritate tot illae Graecae in Florentino Pandectarum codice explicationes legum, inde Institutiones civiles a Theophilo Graece interpretatae, inde ab eruditione Graeca tanta Romanis legibus lux allata. An ne igitur existimabimus, melius illa homines barbaros, & saepe ridiculos, quam Graecos, esse interpretatos? At enim barbarae illae & ridiculae interpretationes per se satis declarant, quam parum sit iis fidendum: quum

praesertim barbari illi homines, ubi Graecis verbis Romanae leges contexuntur, aut certe adsperguntur, suam Graeci sermonis ignorationem ingenue, ne dicam impudenter, fateantur. Atqui sine Graecis saepe ignoratur Latina. Et id sane quam etiam interdum periculose! quum saepius fortunarum, aliquando etiam capitis periculum in non bene perceptis legum verbis agatur. Ex jure autem civili aptum est canonicum, & cum eo connexum: ut proinde jus canonicum non minus, quam civile, linguae Graecae scientiam, ad perfectam Canonum, tum Graecorum, tum etiam Latinorum, intelligentiam, desideret ac requirat. Video nos jam, ceteris breviter percursis disciplinis, ad reliquarum omnium disciplinarum principem ac magistram, ad Theologiam nimirum, quae prima est princepsque sapientia, veluti gradatim pervenisse. Hic ego valde vereor, Auditores, ne, dum Graecas litteras ad divinarum rerum scientiam perfecte comparandam summopere necessarias demonstro, sese oratio mea ambitiosius jactare, & plus nimio efferre velle videatur. Ubi enim liberius aut certe libentius, excurrat atque expatietur, quam eo in campo, in quo sum ego tot annos Florentiae atque alibi, nec sine aliquo fortasse auditorum meorum fructu, exercitatus? Quorsum autem his omnibus, qui sacras litteras profiterentur, lingua Graeca non minus, quam Latina, a sanctissimis sapientissimisque Patribus commendata fuit, nisi quia Graeca non minus quam Latina, est ad exactam atque exquisitam sacrarum litterarum notitiam necessaria? Fateor quidem libentissime, quod non nisi impudentissime negari potest, multos fuisse, & esse praestantes Theologos, qui, tametsi linguae Graecae subsidio destituti; tamen, ob excellentem Theologiae scientiam, miris singularibusque laudibus celebrantur. Sed, ut illi multo sane doctiores excellentioresque fuissent, si Graeca cum Latinis con-

jun-

junxissent; sic etiam dico, posse quidem unum aliquem sine Graecae linguae scientia bonum esse Theologum; talem tamen Theologum, qualem nos quaerimus, perfectum nimirum omnibusque numeris absolutum, esse eum non posse. Officium perfecti Theologi est, Christianos Patres, qui veritatem nobis divinam veluti per manus tradiderunt, mente sua comprehendere. An ille mihi Patres comprehenderit, qui majorum gentium Patres Graecos, Gregorios tres, Athanasium, Basilium, Ioannem Chrysostomum & Damascenum, Cyrillum, Epiphanium, ne legere quidem possit, nedum ipse per sese intelligere? Officium perfecti Theologi est, verba ipsa sacrosanctorum Canonum, quibus capita quaelibet Religionis Christianae sunt a Latinis Graecisque Patribus in solemnibus conventibus certo definita atque explicata, discernere atque dijudicare. An ille mihi Graecorum Canonum verba dijudicaverit, qui non nisi Latinam, qualiscunque ea est, eorumdem verborum interpretationem percipiat? Officium denique perfecti Theologi est, singula Dei verba, quae in sacrosanctos Canonicosque libros divinitus relata sunt, accurate investigare, atque ex recepto probatoque Christianorum sensu, diligenter exponere. An ille mihi divina Foederis Novi verba, quae certe quidem sunt Graeca, accurate exposuerit, qui ne intelligere quidem ea possit, nisi per interpretem Latinum? Nam ut interpretis hujus Latini editio vulgata maximam apud nos auctoritatem obtineat, eamque ex veteri consuetudine, atque ex Patrum Tridentinorum decreto, pro authentica habere debeamus: tamen nonnulla sunt ibi ambigue dicta, nonnulla subobscure, in quibus sit nobis omnino ad codices Graecos confugiendum, ut perfectam atque accuratam singulorum Dei verborum intelligentiam ipsi per nos pro viribus assequamur. Adde cognitionem sacrae antiquitatis, totiusque Christianae historiae, quae perfecto consummato-

que Theologo ad omnem doctrinam atque eruditionem valde est necessaria. Quam turpiter docti & eruditi homines ex ignoratione linguae Graecae in sacra aliquando historia errarunt! Invitus, fateor, partem hanc attingo orationis meae, quae de magnorum hominum clarissimorumque virorum laudibus nonnihil detrahere posse videatur. Sed, quando argumenti huc me necessitas impulit, ac fere nolentem coegit, date mihi veniam, Auditores, si exemplum vobis affero, meo quidem judicio, maxime omnium memorabile. Siquis favet, aut unquam favit Caesari Baronio, ut favere omnes maxime debent, qui sacrae historiae studio ducuntur: is sum ego, Auditores. Atque ut omnes intelligant; me Caesari Baronio tantum laudis dare, quantum alteri cuiquam vel clarissimorum virorum post renatas litteras, in sacra certe historia, dandum unquam censuerim; dico, sive operis magnitudinem, ac difficultatem, sive hominis diligentiam, fidem, eruditionem, judicium attendas, majora esse Baronii in Christianam historiam merita, quam ut a quoquam aequari laudibus possint; neminem alterum aeque ac Baronium, oblivionis atque errorum tenebras, temporum ac rerum post Christum gestarum continua serie in conspectu posita, ex sacrae antiquitatis memoria dispulisse; plus uni nos Baronio, quam ceteris simul omnibus, qui abhinc ducentis & amplius annis res nostrae Religionis sacrosque ritus scriptis suis illustrarunt, debere. Satis opinor Baronium a me esse laudatum, itaque laudatum, ut nemo fortasse alter majores ampliorésque laudes Annalium Christianorum parenti, sacraeque historiae conditori, unquam impertiverit. Atque is tamen, vir talis, ac tantus, quod Graece parum sciebat, in re oppido gravissima, quippe quae ad Sanctorum in primis virorum cultum ac venerationem intime pertineret, erraverat quam gravissime. Siquidem Xynoridis cujusdam Martyris nomen in

in Fastis ipse Romanis probaverat, tanquam videlicet ex Ioanne Chrysostomo: quum tamen Chrysostomus Ξυνωρίδα, non Martyrem nominet ullam feminam; sed par notissimum dicat illustrium ac praeclarorum Martyrum, Iuventini & Maximini: itaque ea vox ξυνωρὶς a Graecis, atque etiam ab Hieronymo, cujus maxime auctoritate abutebatur Baronius, ad Graecorum exemplum, accipitur. Correxit quidem postea Baronius errorem suum: quod perspicue apparet ex secundis ejus curis in Fastos Romanos, ex quibus suae illius Xynoridis memoriam penitus delevit. Sed vos inde clarissime perspicitis, quam sint Graecae litterae non ad profanas modo, verum etiam ad sacras historias, atque ad omnem tum humanarum, tum etiam divinarum rerum eruditionem necessariae. Restat, Auditores, ut iis breviter occurram, qui ad res omnes Graecorum pernoscendas satis praesidii atque adiumenti collocant in interpretationibus Latinis. Quibus sane imperitis hominibus ita ego occurrendum censeo, ut non proinde, id quod faciunt nonnulli, elevari quadamtenus atque imminui velim Latinorum interpretum fidem atque auctoritatem. Est etiam nonnemo, qui genus hoc interpretum Latinorum in contemptum adducere minime vereatur; quasi scilicet qui ad Graecos Latine interpretandos operam suam atque industriam conferunt, homines sint ii tenuiori litteratura, qui, quum ex scriptis suis nomen in doctis atque eruditis habere nequeant, ex alienis scriptis interpretandis atque illustrandis nominis sibi celebritatem quaerant. Ego contra sic sentio, ut Graecorum interpretandorum munus difficillimum est, ita viros longe doctissimos atque eruditissimos eos fuisse, qui bonos Graecos scriptores bene Latine sint interpretati, atque illustraverint: qui quum ipsi potuissent boni scriptoris, oratorisque & poetae partes omnes explere; majorem tamen publicae utilitatis, quam

laudis suae, rationem habendam esse judicarunt. Quippe homines aliis, & non sibi tantum, nati, labores doctrinasque omnes suas eo referendas esse duxerunt, ut hominibus prodessent. Non magis autem ipse illi nobis profuturos sperarunt, quam si veteres illos Graecos, quos, tanquam homines sapientissimos, & de humano genere optime meritos, tota semper antiquitas coluit atque celebravit, Graecos, inquam, illos, a quibus ad Latinos omnis doctrina, universaque eruditio manavit, nobis legendos traderent, Latine a sese interpretatos. Neque enim litteratis hominibus, quibus litterae ad omnem modestiam moderationemque animi praeluxerunt, nominis sui celebritas proposita esse debuit, sed communis liberalissimorum studiorum, studiosorumque hominum utilitas. Absit igitur, longissime absit, Auditores, ut quod docti viri publici boni caussa fecerunt, ut Graecos scriptores, Latine a se versos, nobiscum communicarent, id nos inique in malam partem accipiamus, perinde quasi, quum non possent ipsi a suis, voluerint illi ab alienis scriptis inclarescere. Immo vero illud certo nobis penitusque persuadeamus, non potuisse illos Graecorum scripta tam bene ac laudabiliter interpretari, nisi summa iidem eruditione, summaque doctrina fuissent, gratiasque iis agamus, quod e fontibus Graecis rivos uberrimos omnium doctrinarum ad Latinos deduxerint. Nam quod aliqui, quos ne interpretes quidem dici velim, utriusque linguae parum periti, illotis, ut ajunt, manibus, ad Graecos fontes aperiendos accesserint, unde lutulentae ad nos spurcaeque aquae sunt derivatae: non certe quidem propter horum istorum inscitiam, atque negligentiam, detrahendum est universo generi interpretum Latinorum. Odysseam Latine transtulit Livius Andronicus, Euhemerum, qui historiam de diis scripserat, Latinum fecit Ennius, Platonis Protagoram & Timaeum, itemque Aratum, & Xe-

& Xenophontis Oeconomica, Demosthenisque & Aeschinis adversarias orationes M. Tullius Latine est interpretatus. Quid antiqua exempla commemoro? quando clarissima omnium sunt & testatissima recentiora. Quotusquisque enim est doctissimorum atque eruditissimorum virorum a trecentis fere annis, id est, post litteras restitutas, qui non in Graecis latine interpretandis operam potissimum suam posuerit, atque inde non sit summam ipse doctrinae atque eruditionis laudem consecutus? Itaque, quantum alii ad Graecae linguae praestantiam simul ac necessitatem extollendam Latinis interpretibus detraxerunt: tantum ego iis laudis, ad ejusdem linguae praestantiam ac necessitatem augendam, impertiam. Nam ut summi illi viri in omni doctrinarum genere fuerint, ut artes liberales, disciplinasque universas, pro summorum Criticorum officio, egregie calluerint, ut, propter eximiam utriusque linguae peritiam, maxima illi facultate ad Graecos scriptores enarrandos atque emendandos excelluerint: tamen Graecae linguae tanta est vis atque dignitas, tanta copia atque varietas, ut nec Tullius, nec quicunque alii summo ingenio viri, quae dicta sunt a Graecis, omnia Latinis vocibus perfecte semper expresserint, neque vero exprimere aliquando potuerint. Unde, disciplinarum atque artium liberalium percupidi, perstudiosique adolescentes, tandem aliquando intelligatis, melius omnino vos Graeca esse percepturos, si Graeca ipsi per vos legeritis. Quod quidem satis superque esse arbitror ad id, quod ab initio demonstrandum susceperam, sine Graecarum litterarum adiumento nullo modo fieri posse eum, quem in unoquoque vestrum, optimi Adolescentes, optamus ac quaerimus, perfecte doctum, atque omnium omnino disciplinarum summe atque exquisite scientem. Nec enim sperandum, quae a Graecis de bonis artibus ac disciplinis sunt gravissime ac sapientissime conscripta,

ea

ea vos omnia perfecte per Latinos quoscunque interpretes esse intellecturos. O Graecae igitur linguae praestantiam! O beatam Graecae linguae ad omne genus eruditionis atque ad omnes disciplinas perfecte acquirendas necessitatem! Atque unde putatis, bonas litteras, artes omnes liberales, optimas omnes disciplinas tamdiu squallore ac situ obsitas, jacuisse, nisi ex neglecto studio litterarum Graecarum? unde bonas litteras erectas ac restitutas revixisse atque refloruisse, nisi ex recreatis litteris Graecis, posteaquam nimirum Cosmus ille Medices senior, ejusque nepos Laurentius, afflictas tot jam saecula Graecas litteras, ac propemodum intermortuas exsuscitarunt atque refecerunt? Quare, quod in nobilissimo hoc ac florentissimo Gymnasio, prae ceteris aliis Italiae totius Academiis, bonae omnes artes tantopere vigeant, atque efflorescant, quod Pisae, veluti alterae Athenae, propria quadam praecipuaque appellatione, doctae vocitentur, quod cursus facilis hic vobis, atque expeditus futurus sit, Adolescentes, ad sapientiam atque ad universas doctrinas, debere vos beneficium hoc scitote litteris Graecis, ex quibus magistri vestri uberrimos doctrinarum omnium fructus ad eruditionem vestram retulerunt. Eorum ego vobis clarissima exempla propono, eos vos imitamini, ut, quemadmodum illi, Graecarum litterarum subsidio, summi ac perfecti in circuitu, & quasi orbe disciplinarum evaserunt, ita & vobis Graecas litteras ad summam rerum omnium scientiam pernecessarias existimetis.

GA-

GASPARI . CERATO
PATRICIO . PARMENSI
COMITI . EQVITI . PRIORI . ET . EQVESTRIS
ORDINIS . S. STEPHANI
PRAESVLI
ATHENAEI . PISANI . PROVISORI
ATQVE . MODERATORI
VIRO . MAXIMI . EXEMPLI
ET . DE . ACADEMIA . PISANA
OMNIBVSQVE . DOCTRINIS . OPTIME . MERITO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SECVNDAM . SVAM
DE . LIBERALIVM . OMNIVM . ARTIVM
AC
DOCTRINARVM . AD . ELOQVENTIAM
NECESSITATE
QVAM . DICTAM . A . SESE
AD . ACADEMIAM . PISANAM
EI . POSTEA . IN . EVSTATHIO . SVO
IN . HOMERVM
ANNO . MDCCXXXV.
HONORIS . ET . MEMORIAE . CAVSSA
DEDICABAT
NVNC . DENVO . PVBLICI . IVRIS . FACTAM
PRO . SVA
ERGA . EVM . OBSERVANTIA
SINGVLARIQVE . EIVS
IN . ACADEMICIS . STVDIIS
PROMOVENDIS . VIGILANTIA
AD . ACADEMIAE . PISANAE . GLORIAM
ITERVM . CONSECRAT.

ORATIO III.

DE LIBERALIUM OMNIUM ARTIUM AC DOCTRINARUM AD ELOQUENTIAM NECESSITATE.

Cum multa majores nostri, ad ornanda litterarum studia, eaque in dies augenda, praeclare atque sapienter instituerunt, tum illud, meo quidem judicio, multo omnium praeclarissime atque sapientissime, quod eorundem ipsorum studiorum solemni de more instaurandorum initium ab exculta aliqua & elaborata oratione duci quotannis voluerunt. Nam si tantam quotidie experimur vim esse eloquentiae, ut, quacunque de re copiose ornateque dicamus, auditorum animos, quo volumus, facile impellamus, unde volumus, deducamus: qualem tandem ac quantam apud honestos optimorum adolescentium animos vim ejus orationis futuram existimabimus, quae ab homine aliquo diserto, neque prorsus inerudito, ex hoc amplissimo loco, tanta & tam celebri sapientissimorum virorum audientia, de re longe omnium maxima atque pulcherrima, de omni nimirum doctrina atque sapientia, paullo diligentius atque accuratius habeatur! Hanc qui caussam habendae hodierno die orationis sibi hucusque ante oculos posuerunt, summa viri doctrina atque eloquentia, magnifica inde atque in primis praeclara orationibus suis argumenta de praestantia atque utilitate litterarum, deque earundem fructu atque utilitate, aliaque talia, sunt disertissime persecuti, quibus

vos potiſſimum, praeſtantiſſimi adoleſcentes, vel deſides a languore atque ignavia revocarent, vel ardentes jam atque erectos ad ſtudium artium atque doctrinarum acrius cohortarentur. Verum cum ego, Auditores, ad theatrum hoc ampliſſimum ſapientiae, virtutumque omnium ſeminarium oculos paulliſper converto, cum ſapientiam veſtram, Patres ampliſſimi, ſummamque rerum omnium doctrinam, attente mecum reputo, cum praeclara ingenia veſtra, adoleſcentes, contemplor, atque intueor: altius quiddam majores illi noſtri reſpexiſſe mihi videntur, atque animo agitaſſe, cum in curſu hoc ineundo omnium diſciplinarum primas veluti partes, totiuſque curſus auſpicia oratori atque eloquentiae conceſſerunt. Inſederat namque in eorum animis ſpecies quaedam perfectae ſummaeque eloquentiae: quam dum cogitarent, atque, ad incendendos honeſtiſſimarum omnium artium amore adoleſcentes, expreſſam etiam in aliorum animis vellent, diem hunc celeberrimum, proprium & quaſi legitimum oſtentandae eloquentiae eſſe debere cenſuerunt. Nec enim perfecta eſſe poteſt eloquentia, niſi rerum maximarum ſcientiam, doctrinaſque univerſas complectatur. Quod ut ſtudioſis eloquentiae ac litterarum adoleſcentibus ſit penitus perſuaſum, illud mihi explicandum, quod eſt a M. Tullio accuratiſſime diſputatum, ſummam perfectamque eloquentiam ex omnibus ſimul doctrinis, omniumque liberalium artium ſcientia coaleſcere. Argumentum illud quidem ſapientia veſtra perquam dignum, Auditores, multoque etiam difficilius, quam ut a me, qui nulla ſum plane eloquentia, commode pertractetur. Sed, quando ii, qui auctoritate atque imperio plurimum valent, hanc mihi oratoris perſonam impoſuerunt: ſinite me, Auditores ornatiſſimi, ſi non pro dignitate, pro viribus certe meis, perſonam hanc ſuſtinere.

Ac primum velim, Auditores, vobis ante animum pro-

proponatis imaginem illam summae perfectaeque eloquentiae, cujus qui compos fuerit, sit is summus perfectusque orator. Hic ego non disputo, utrum tali quisquam existat, aut etiam unquam extiterit eloquentia, summa atque perfecta: quando in magna Romanorum oratorum copia Marcus ille Antonius, vir, siquis alius, temporum suorum facile eloquentissimus, ingenue aperteque profitebatur, disertos a sese cognitos fuisse nonnullos, eloquentem adhuc neminem. Sed dico, iis omnibus, qui rectis ad eloquentiam studiis contendunt, statuendum esse ante oculos id, quod in eo genere perfectum est atque absolutum, eoque labores conatusque omnes esse dirigendos, atque ad summum illud exemplum, unde cetera expressa sunt, universa esse studia conformanda: quo si minime perveniant; tamen, quod ajebat Tullius, honestum est, sequentem prima, in secundis tertiisque consistere. Is igitur mihi eloquens, qui de omnibus rebus, quae in hominum disceptationem veniant, pro rei cujusque natura, possit copiose ornateque dicere; qui rerum omnium, de quibus potest dicere, scientiam comprehenderit, qui, quaecunque aliarum omnium artium sunt, atque disciplinarum, quaeque in reliquis omnibus studiis sunt longe lateque dispersa, ac propemodum infinita, unus omnia complexus fuerit, qui ad hanc tantam rerum maximarum scientiam ornatum etiam cultissimae atque elegantissimae orationis adjunxerit; cui rerum copia copiam quoque verborum largissime suppeditet. Is denique mihi eloquens, qui simul & sapiens; atque ea mihi demum eloquentia, copiose eloquens sapientia. Atque haec omnia generatim damus oratori. Quod si etiam singula, ex quibus constat atque efflorescit eloquentia, enucleate distincteque persequimur, nonne omnia & singula ita in oratorem conveniunt, ut, siquid horum forte desit, perfectus consummatusque orator nullo modo esse

esse possit? Oratoris in primis est, pure atque eleganter, & quando res nobis est cum hominibus Latinis, Latine loqui. Minimum id certe est in Oratore, quod doctrina litterisque puerilibus, traditum videtur. Sed hoc istud minimum, quod est Latine loqui, quam proprium est Oratoris! quam Oratori prae reliquo hominum genere necessarium! Ceteris hominibus, qui alias artes atque disciplinas profitentur, licet etiam interdum loqui barbare. Oratori si quid vel imprudenti exciderit minus Latinum, nemo ei quisquam violatae Latinitatis veniam dandam putat. Omnes eum unum irrident, exsibilant atque explodunt, perinde quasi ab arte ipse sua prorsus defecerit. Et tamen istud ipsum, quod minimum est in arte oratoria, quanti est Oratori! quanti nobis aestimandum! Recognoscendi Grammatici, legendi Oratores, perdiscendi Poetae, Medici, Iurisconsulti, Historici, Philosophi, omnes ad unum Latinae linguae auctores dies noctesque pervolutandi, exemplaque inde quotidie repetenda atque revolvenda, ut bene Orator loquatur Latine. Quid? Grammatica ipsa Latina quem sibi a reliquis omnibus disciplinis apparatum non adsciscit omnis elegantiae atque doctrinae? Audeo dicere, quod mirum fortasse alicui videbitur, sed tamen est dicendum, artem ipsam Grammaticam perfectam minime omnium fore, nisi omnium propemodum maximarum rerum scientiam in fines & ipsa suos concludat. Quid est enim vel in majoribus disciplinis tam abstrusum, tam reconditum, tam a vulgari intelligentia remotum, quo Grammatica non pervadat, non penetret, non pertineat? Quid in Poetis tam obscurum, quod illa non illustret? quid in Historicis tam involutum, quod illa non evolvat? quid in Philosophis tam difficile, quod illa non expediat? quid in reliquis omnis generis scriptoribus tam ignotum atque ambiguum, quod illa non explicet atque interpretetur? Quos

au-

autem Poetas, quos ex omni doctrinarum genere scriptores non excutiat Grammaticus, non perlegat, non enarret, non corrigat, non judicet? Haec vero omnia qui praestare queat bonus ille & peritus Grammaticus, nisi cognitis perceptisque rebus omnibus, quas ex omni disciplinarum genere quomodocunque complexi fuerint, sive etiam obiter attigerint, tum prorsa, tum vincta numeris oratione, optimi illi & praestantissimi Latinitatis auctores? qui eorundem judicem atque censorem ille agere, qui non sit ipse etiam omni scientia excultus, planeque quinquertio, hoc est, in universo doctrinarum orbe, quam qui maxime, exercitatus? qualem prorsus apud Graecos fuisse accepimus Eratosthenem. Ut jam Grammatica non exiguis quibusdam, atque angustioribus finibus terminetur; sed fines longe suos ad omnem doctrinam propaget, & per omnes late disciplinas pervagetur. Magna haec sunt (quis enim vestrum non fateatur, Auditores?) sine quibus stare jam nequit scientia perfecta linguae Latinae. Atque haec tamen quaedam veluti elementa sunt eloquentiae. Itaque haec omnia probe teneat, opus est, perfectus Orator, ac praeterea de his omnibus copose dicat, atque ornate: neque tantum, quod proprium est Grammatici, verba perdiscat, oportet, omnium disciplinarum; sed & res ipsas omnium disciplinarum oratione augeat atque amplificet. Sententia fuit illa nobilis in primis & praeclara Aristotelis, initio Rhetoricorum, eloquentiam quasi ex altera parte respondere Dialecticae. Quam quidem sententiam ita exponit Marcus Tullius, ut dicere velit Aristoteles, hanc, rationem dicendi esse latiorem, illam loquendi contractiorem. Fuit illa etiam percelebris & pervulgata in eandem sententiam, utriusque artis comparatio, qua princeps ille Stoicorum Zeno ita Rhetoricam cum Dialectica contendebat, ut contractae in pugnum manui Dialecticam,

ma-

manui explicitae & dilatatae similem eloquentiam esse diceret: tanta est, tamque arcta, atque conjuncta artis unius cum altera necessitudo. Qualem igitur, & quantum oratorem futurum putamus, qui sit idem Dialectica disciplina egregie institutus, qui de proposita qualibet re possit in utramque partem copiose simul ac subtiliter disputare, qui cujusque rei naturam explicare possit definiendo, partes dividendo, proprietates judicando atque ratiocinando, qui denique ex ceratinis, aut crocodilinis, spinosisque quibusque quaestionibus sese ipse expediat, aditumque sibi ad omnem veritatem atque doctrinam muniat atque patefaciat! Magnus ille profecto orator; sed nondum tamen ille, quem adhuc quaerimus, & oratione, quantum possumus, effingimus, ille, inquam, perfectus omnibusque eloquentiae numeris absolutus. Quam multa enim alia in oratore, ut vera sit ejus & plena, & corroborata, & perfecta eloquentia, requiruntur! Quis enim hominum mentes, in quamcunque partem voluerit, impellat? Orator. Quis ab ira ad lenitatem, ab odio ad misericordiam revocet? Orator. Quis jura civitatis constituat ac moderetur? Orator. Quis populo leges pro universae reipublicae salute ac dignitate aut jubendas, aut vetandas persuadeat? Orator. Quis artes omnes liberales, quaeque ad vitam humanam aut tuendam aut ornandam pertinent, oratione illustret? Orator. Res quoque olim gestas, quaeque veteri memoria continentur, quis nitide ornateque commemoret, nisi Orator? Orator Physica, Orator Mathematica, Orator Medica, Orator Civilia, Orator omnia, tum humana, tum etiam divina, omni copia & varietate orationis persequitur. Deum ipsum, quo nihil majus, nihil melius, nihil perfectius, non modo verbis exprimi, sed ne animo quidem concipi potest, pro humani ingenii captu atque imbecillitate quis verbis melius adumbret, aut summae ejus

in-

finitaeque majestatis, quae omnia ambit ac continet, expressiorem dicendo imaginem referat, quam Orator? O igitur mortalem quendam inter homines Deum Oratorem! o rerum humanarum dominam, o reginam eloquentiam! Et quid porro magis divinum, quam unum hominem scire omnia, quae sciri ab homine possunt, & quae in aliis aliarum quarumcunque professionum hominibus maxime enitent genera singula doctrinarum, ea sibi unum illum hominem universa vindicare? Nisi siquis forte tantam illam tamque diffusam, atque., ut ita dicam, luxuriantem eloquentiam circumcidere velit, atque amputare, & Oratorem ex tanta illa doctrinae amplitudine intra forenses dumtaxat cancellos concludere, atque coercere. Quae certe fuisse videtur opinio nonnullorum Graecorum, atque in primis etiam fortasse Carneadis apud Marcum Tullium, excludendum nimirum esse Oratorem ab omni elegantia doctrinae, rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia, & conciones detrudendum. Quod ut Graecis illis concederemus, eum nimirum statuendum esse Oratorem, qui tantummodo in judiciis, aut apud populum, copiose loqui posset; tamen, quod Crassus ille Tullianus praeclare animadvertebat, huic isti forensi Oratori quam multa essent tribuenda! perfecta juris civilis ac legum cognitio, exacta atque accurata humanorum morum notitia, aequitatis ac temperantiae, reliquarumque omnium virtutum exquisita scientia, patriarum olim consuetudinum, totiusque antiquitatis, stabilis fidelisque memoria. Dicendum enim huic Oratori de jure civili, de religione in Deum, de pietate adversus parentes, de charitate patriae, de bello, de pace, de amicitia, de officio, de aequitate. Agendum est ei de omni virtutum genere, tractandi mores humani, permovendae in omnes partes hominum voluntates, inculcandae consuetudines patriae, veteris memo-

riae exempla recolenda. Haec omnia forensi huic Oratori ad munus suum rite explendum tribuenda: quae si adsunt, ut debent, omnia, quid tum quaeso locorum Philosophiae, quid elegantioris doctrinae, quid rerum maximarum ignotum ei Oratori, minimeque exploratum fore unquam putabimus? Quid si praeterea ad forenses ipsas caussas nonnulla etiam ex obscuriori aliqua disciplina, atque ex reconditis interioribusque litteris assumenda? quod est a Crasso illo Tulliano diligentissime atque accuratissime pertractatum. Nonne forensi quoque Oratori ad summam ejus generis eloquentiam maximarum quarumcunque rerum ac disciplinarum scientia necessaria? Tete appello, Romanae eloquentiae pater, Marce Tulli: tete, inquam, appello, Oratorum omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui etiam erunt, facile eloquentissime. Quis enim te magis, aut etiam melius, in forensibus caussis exercitatus? Nonne, quum pro Archia illo tuo publico in judicio diceres, diserte libereque confessus es, suppetere tibi non potuisse, quod quotidie in tanta varietate rerum diceres, nisi animum tuum doctrina excoluisses? Ita est, Auditores. Non ex usu tantum forensi, sed & maxime ex doctrinae atque ex sapientiae studiis censenda est forensis ipsa oratio, in qua ut Orator non omnia semper elegantis doctrinae ornamenta adhibeat; tamen inde satis apparet, utrum rudis, an bonarum artium peritus, ad dicendum accesserit. Quanquam autem haec ita sese habent, ut ne forensis quidem Orator perfectus consummatusque in suo genere esse possit, nisi & idem fuerit omnibus optimis disciplinis instructus ac perpolitus; adeo ne tamen eloquentiae majestatem atque dignitatem minuendam censebitis, Auditores, ut eam, tanquam regno suo spoliatam, in forenses illas angustias, tanquam in aliquod pistrinum, contrudatis? Quid enim ubique rerum, quid artium, quid cogitationum mentis nostrae, non subje-

ctum

ctum sit orationi? & qua proposita de re non dicat ars ipsa bene dicendi? Quod si de omnibus omnino rebus possumus dicere; cur non etiam de omnibus bene dicere? hoc est, & scienter, & composite, & ornate, & copiose dicere. Haec est autem illa vera, illa perfecta, illa omnibus numeris absoluta eloquentia: qua qui praeditus sit, eum nos dicimus nullius expertem esse ornamenti; sed omnium rerum magnarum, omniumque artium ingenuarum scientiam tenere, atque, ut uno omnia verbo complectamur, compotem eum esse sapientiae. Quis apud Homerum eloquentior Nestore? cujus ex lingua melle dulcior fluebat oratio. Nemo etiam quisquam apud Homerum Nestore sapientior. Neque frustra rex ille regum Agamemnon optabat, ut Nestoris similes decem haberet. Quod si ei contigisset, minime dubitabat, quin brevi Trojam esset expugnaturus. Quis eloquentior Platone? quem sic uberem ac copiosum in dicendo fuisse ajunt, ut, si Graece Iuppiter loqueretur, Platonis instar locuturus fuisset. Fuit ille etiam sapientissimus; neque immerito ipse habitus fuit quasi quidam Deus philosophorum. Quis in dicendo praestantior Aristotele? qui etiam eloquentissimis viris visus est flumen fundere aureum orationis. Certe quidem Aristotele nemo quisquam fuit, qui plura arti Rhetoricae ornamenta atque adjumenta subministraret. At enim tantus hic rhetor, fuit etiam summus philosophus, quem propter sapientiam junctam eloquentiae, Philippus Macedo Alexandro filio doctorem accivit. Quis etiam in eloquendo divinior Theophrasto? qui a divinitate loquendi Theophrastus est appellatus. Fuit & ipse magnus philosophus, ac propemodum divinus, quem philosophiae, doctrinarumque omnium studia tanto ardore persecutum esse ferunt, ut vel moriens naturam accusaverit, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, hominibus exiguam dedisset: quorum si vi-

ta esset longinquior, omnibus perfectis artibus, omni doctrina facile erudiretur. Quid plerosque alios, de Graecis potissimum, commemorem, quo eloquentiores, eo etiam ab omnibus iis artibus, quae sunt libero homine dignae, atque a sapientia instructiores? Quid Periclem illum Atheniensem, tanta virum eloquentia, ut fulgurare, ut tonare, ut permiscere Graeciam diceretur? cum maximarum rerum scientia imbuerat physicus ille Anaxagoras. Quid Hippiam illum Eleum, virum, quam qui maxime eloquentem? quem fama est quinquennali Olympiacorum ludorum celebritate summam illam suam in omni rerum genere eloquentiam cunctae paene Graeciae audienti, maxima hominum admiratione, ambitiosius venditasse. Ille Geometriam, Musicam, Grammaticam, Poeticam, Physicam, Ethicam, Politicam, artes omnes omnesque doctrinas perdidicerat. Quid Gorgiam illum Leontinum, quem primum memoriae proditum est in conventu poposcisse, qua de re quis vellet audire? omnium ille rerum atque artium scientiam fuerat consecutus. Quid Xenophontem, cujus voce Musas quasi locutas crediderunt? permultum ille in Socratica philosophia profecerat. Quid patrem illum eloquentiae Isocratem, cujus aemulatione motum fuisse Aristotelem ferunt, ut rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjungeret. Nihil sane videtur Isocrati de maximarum rerum scientia abfuisse, de quo adhuc adolescente extat in Phaedro Platonis gravissimum judicium Socratis, viri multo omnium sapientissimi, iam tum in hominis illius mente notam philosophiae quandam minime obscuram fuisse. Quid principem illum Oratorum atque eloquentiae Demosthenem, ad quem audiendum, propter summam vim dicendi, concursus ex tota Graecia fieri solitos tradiderunt? Platonem Demosthenes frequenter audisse, plurimum etiam lectitavisse dicitur. Quid? Dies me deficiat, Auditores, si

ma-

magnos illos Graeciae Oratores velim singulos enumerare, qui non tam ab eloquentia, quam a doctrina & sapientia, ex qua ipsa eorundem eloquentia extitit, percelebrantur, Thrasymachum Chalcedonium, Protagoram Abderitam, Prodicum Chium, Lysiam, Aeschinem, Hyperidem, Demetrium Phalereum, alios illos bene multos, ac propemodum innumeros principes eloquentiae, quos ex Isocratis ludo, tanquam ex equo Trojano heroes, prodiisse memorant? Quid si enumerare etiam velim Latinos? Lucium Crassum (mitto enim Marcum illum Catonem Censorium, Oratorem, ut priscis illis temporibus, satis bonum, atque eloquentem) Marcum Antonium, Q. Scaevolam, Q. Catulum, Publ. Sulpicium, C. Cottam, Q. Hortensium, Cajum Licinium Calvum, C. Iulium Caesarem, M. Brutum, ceteros Oratores Romanos, litteris ac doctrina non minus claros, quam eloquentia, quos in Bruto suo (quid enim & posteriorum temporum Oratores referam?) acerrimo judicio persequitur, ac recenset M. Tullius, ipsumque Marcum Tullium Ciceronem. Quem, Deus bone, Oratorem nomino, cum Ciceronem nomino! cujus nomen non hominis jam nomen est, sed eloquentiae, ut in uno jam Cicerone, tanquam in perfecto quodam eloquentiae exemplo, conquiescendum nobis tandem esse videatur. Quis enim in dicendo perfectior Cicerone? quo, tanquam regula, progressus in eloquentia suos metiantur, opus est, quicunque eloquentiae studia exercent. At enim Cicerone quis etiam sapientior? quis reconditis interioribusque litteris eruditior? quis in omni optimarum disciplinarum genere versatior? qui sese totum ad sapientiam applicaverat; qui, quum a Q. Scaevola jus civile didicisset, principi Academiae Philoni totum sese in philosophia erudiendum tradiderat; qui sub Stoico Diodoro sese in Dialectica studiosissime exercuerat, variisque ejus philo-

so-

ſophi liberaliſſimis artibus atque multis plurimum operae dederat; qui omnia, quae ad ſapientiam atque ad variam eruditionem pertinerent, quaeſiverat, audiverat, legerat, diſputaverat; qui, quum celebre jam nomen eſſet in foro adeptus, Athenas profectus, ſtudium philoſophiae, a prima adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, auctore ibi, & doctore Antiocho, veteris Academiae nobili in primis philoſopho, renovaverat. Proh, Deus immortalis! tanti ne fuit Ciceroni, eloquentem fieri, ut, eloquentiae comparandae cauſſà, nullum non doctrinarum genus inquireret, nullam non philoſophiae partem ſummo ſtudio proſequeretur, totamque etiam Aſiam eo conſilio peragraret, ut doctiſſimorum virorum praeceptionibus eloquentiam ſuam corroboraret atque perficeret? Tanti profecto fuit, Auditores. Neque enim, niſi Cicero maximarum rerum & pulcherrimarum copia pectus ſuum oneraſſet, niſi philoſophiam, matrem illam omnium non modo bene factorum, verum etiam bene dictorum, impenſius excoluiſſet, niſi exquiſitioribus iis litteris, ex quibus, tanquam ex fonte, manat perfecta eloquentia, diligentius ſtuduiſſet, nunquam (mihi credite, Auditores) ad tantam illam, tamque admirabilem ac divinam eloquentiam perveniſſet. Quod ſicut mirabile videtur, ſcientiam rerum tantam, quantam ad perfectam eloquentiam requirimus, in mentem unius hominis poſſe unquam cadere; illud vero multo eſt mirabilius, poſſe unum aliquem, qui non omnia illa ſciat, tamen de illis omnibus, perinde quaſi ea omnia apprime ſciat, & ornatiſſime & copioſiſſime dicere, quod eſt proprium perfecti Oratoris. Et quid tandem aliud eſſe cauſſae putatis, quamobrem perfecti Oratores tam pauci ex omni hominum memoria reperiantur, niſi quia eloquentia, ut bene ajebat Tullius, majus eſt quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus ſtudiiſque col-

le-

lectum. Id autem quum sit multo omnium difficillimum, nimirum unum hominem in hac nostra vita tam brevi, & occupationibus tam districta, scientiae cogitatione omnia comprehendere, quae oratione varie copioseque illustrentur; quid mirandum, si, quum in omni alio disciplinarum genere permulti homines perfecti floruerint; tamen in hoc genere eloquentiae perpauci, atque adeo paucissimi, perfecti summique homines excelluerint? Quod argumentum, per sese satis amplum atque magnificum, altius multo atque excelsius exaggerat Marcus Tullius. Summi enim viri omnique fere ex parte perfecti, per Deum immortalem, quam multi in Dialectica omnique philosophia! quam multi in Geometria, reliquisque Mathematicis disciplinis! quam multi in re medica, in jure civili, in quibusque aliis optimis artibus ac doctrinis! Quotus vero quisque est in tanto disertorum numero, atque in tanta discentium multitudine, qui eloquentiam omnibus suis partibus ac numeris expleverit, atque absolverit, Orator? paucissimi equidem sunt ex omni doctissimorum hominum numero, atque ex omni temporum memoria, perfecti Oratores, unus fortasse aut alter; &, si per vos licet, Auditores, ego etiam dixerim, perfectum Oratorem neminem adhuc unum extitisse. Quid, an non illi eloquentes, an non illi Oratores perfecti, qui tamen sunt a me in eloquentissimis totius antiquitatis hominibus adnumerati, Graecae Latinaeque eloquentiae, ut ii quidem videntur, principes atque auctores? Absit verbo invidia, Auditores. Nemo illorum unus satis eloquens, nemo prorsus perfectus & absolutus Orator. Etsi enim viros eos dixi eloquentissimos, eosque vobis, adolescentes, tanquam absolutum quoddam perfectae eloquentiae exemplum, ad imitandum proposui, ipsorumque ego eloquentiam summis ad caelum laudibus extuli; tamen aperte cum Quintiliano pa-

lam.

Iamque profiteor, me ita ex vulgi conſuetudine eſſe locutum, ut cum hominem quendam ſapientiſſimum atque prudentiſſimum praedicamus: cui tamen multum deeſt ad ſapientiam, multum ad prudentiam. Nam ſi dicta mihi mea ad fidem atque ad regulam exigenda ſunt veritatis; ſunt illi quidem, quos, eloquentiae cauſſa, nominabam, tolerabiles ac boni etiam plerique Oratores: ſed tamen longe iidem abſunt ab eloquentia. Quid? an non eloquens Demoſthenes? an non eloquens M. Tullius? quorum alter Atticam eloquentiam uſque eo corroboravit, ut Athenae nunquam antea viſae fuerint eloquentiores; alter Latinam eloquentiam genuiſſe etiam in urbe Roma dictus eſt, nedum corroboraſſe. Quod bona venia veſtra dictum ſit, Auditores, ne Demoſthenes quidem ſatis mihi eloquens, neque vero Marcus Tullius. Sint magni illi viri, quantum vultis, ac prorſus admirabiles (quis enim neget?) in dicendo: tantum illi ſtudio atque induſtria in eloquentia profecerint, quantum nemo adhuc quiſquam mortalium: tales denique ſeſe illi ad eloquentiam duces ac magiſtros praebuerint, quales ſtudioſus quiſque eloquentiae certiſſime aemuletur. Eſto. Quid tum? an ne idcirco perfectus Orator Demoſthenes, qui ob dura quaedam atque intolerabilia verba valde reprehenſus fuit, atque exagitatus ab Aeſchine, qui neque Ciceroni ſatisfacit, nec ſemper aures ejus implet; qui ut unus inter ceteros in omni genere dicendi emineat; tamen ſecundus videri poſſit a Cicerone. Quid enim, ſi Tullium, quod mihi ſemper viſum fuit, quadamtenus praeferam Demoſtheni? Eloquentior enim quum mihi Orator quiſque, quo ſapientior eſſe videatur, atque eloquentiam ſapientia metiendam putem; ſic autem Cicero Platonem in Philoſophia aemulatus fuerit, ut Platonis ubique ſapientiam adaequaverit; cur, quantum divinus ille Philoſophus Plato videtur ſapientia Demoſtheni praeſtitiſſe, non ego tan-

tum

tum Ciceronem Demostheni eloquentia anteponam? Quid si igitur in comparatione hac Demosthenis ac Ciceronis, gravissimorum quorumdam scriptorum judicio me audacter opponam? quid si Tullium praeferam? Nonne, quod Tullius eloquentior Demosthene fuerit, Oratorumque etiam princeps fuerit judicatus, ideo etiam videri possit veram illam & absolutam eloquentiam, quam nos tamdiu, & tam anxie quaerimus, obtinuisse? Non ego equidem puto, Auditores, neque ita olim putarunt reprehensores illi Ciceronis, Brutus ac Calvus, & Asinius uterque Pollio, neque, quod maximi momenti est, ipse de semet ita putavit magnus alioquin aestimator sui, Marcus Tullius: qui quum celeber jam Orator evasisset, atque in caussis agendis satis esset versatus; tamen Moloni Rhodio, actori optimo caussarum, castigandum sese ac retractandum tradere non dubitavit, ut suam illam nimiam redundantiam, quantum posset, coerceret. Videbat enim Tullius, quam longe ipse distaret a forma illa eloquentiae, quam animo comprehenderat, neque adhuc tamen assecutus fuerat. Quod si redundans illa & nimia eloquentia fraudi in primis fuit maximo illi Oratorum Ciceroni, ne veram & absolutam eloquentiam consequeretur (nunquam enim satis nimium illud eloquentiae suae reprimere potuit, ac coercere) quid illis nunc fiet sequioris corruptiorisque aetatis Oratoribus, qui luxuriam quoque, si Deo placet, diffluentis otiosa quadam loquacitate orationis laudi sibi esse ducunt, atque ornamento, quique nervos omnes industriae suae in eo contendunt, ut vel Cicerone redundantiores atque abundantiores ipsi esse videantur? Quorum sane ementita eloquentia decepti saepe adolescentes, sic eos, tanquam deos quosdam eloquentiae, colunt, ac venerantur, ut jam Ciceronem arroganter superbeque fastidiant, neque Ciceronem sibi displicere, certe non satis placere, fateri erubescant. Vi-

detur enim iis Cicero, prae Oratorum istorum suorum copia videlicet atque ubertate, nimis pressus, paeneque aridus atque jejunus: cui tamen veteres, meliores, ni fallor, dicendi auctores atque magistri, nihil adiici posse censuerunt. Eant phalerati isti, & plusquam Asiatici Oratores. Eant, qui verborum phaleras, non succum, neque medullam orationis, studiose persequuntur. Eant, qui eo jam eloquentiae scilicet adspirarunt, ut iis Cicero minus placeat. Mihi contra placet Demosthenes, perplacet Tullius. Sed ita tamen uterque placet, ut neutri sane illorum summam perfectamque eloquentiam concedendam esse existimem; sed tantam, quantam nemo adhuc unus ex omni hominum genere, atque ex omni vetustatis memoria, sibi comparavit. Quid ego autem de memet dicam, qui tam longe, quam qui maxime, non dico, a summa, sed & a mediocri, atque adeo a tenui, vel etiam qualicunque, absum eloquentia? Non equidem me vel utcunque eloquentem dixerim, quod ut falsum, ita esset hominis arrogantissimi, atque impudentissimi; sed amatorem duntaxat eloquentiae. Sentio, me vehementer rapi amore pulcherrimae illius formae & elegantissimae, quam imaginem perfectam sui in animo meo impressit vera perfectaque eloquentia. Summae hujus speciei, quae mihi semper ab ineunte rationis usu obversata est, & ad quam omni virium contentione adnitendum mihi esse duxi, ne compos unquam fierem, in tanta rerum mearum ac fortunae varietate, tanta praesertim ingenii mei imbecillitate, id ipsum, quod ceteris, sed mihi multo omnium vehementissime, obstitit, rei nempe ipsius incredibilis magnitudo. Est enim res omnium maxima, atque adeo difficillima, vacuum unum aliquem esse prorsus ab omni vitio orationis, eumque omni oratoriae virtutis laude esse plene cumulatum, quod vera consummataque eloquentia requirit. Iam vero quis non videat,

quae

quae singula sunt permagna, ex iis universis constare veram hanc, quam dicimus, eloquentiam, idque praecipuum, maximeque proprium esse eloquentis, ut, quae propria sunt atque singularia aliarum omnium doctrinarum, ea sibi adserat universa? quum tamen aliae omnes doctrinae ipsae per sese existere possint sine eloquentia. Potest esse quis grammaticus, dialecticus, philosophus, juris peritus, quin sit eloquens. Rem omnem medicam ut quis calleat, minime omnium necessaria est eloquentia. Geometra ut unus aliquis sit, ut musicus, ut reliquarum omnium disciplinarum mathematicarum peritus, non opus certe habet eloquentia. Potest quis etiam consummatus esse atque perfectus in rerum divinarum cognitione, quam Theologiam vocamus, qui sit idem ab eloquentia destitutus. Denique ut sit sapiens, non valde indiget eloquentiae. Tamen nemo unus potest esse eloquens, nec gravi illo Oratoris nomine dignus videri, quin sit idem & bonus grammaticus, & acutus dialecticus, & praestans philosophus, & legum atque juris apprime peritus; quin sit idem in musica atque in erudito mathematicorum pulvere egregie versatus; quin medicorum praecepta, omnemque medendi rationem idem ipse teneat; quin Theologiam, omnemque bonarum artium scientiam, omnem denique ipse sibi sapientiam acquisiverit: eo quia nimirum ex omni istarum omnium rerum cognitione exsurgat, atque efflorescat oportet oratio. Quibus omnibus, ut dixi, accedere debent ornamenta quamplurima oratoriae elocutionis: ut ornate nimirum & copiose, & ad rem quamlibet accommodate, & cum audientium etiam admiratione, singula exponat. O veram hanc, o perfectam eloquentiam! quam ut pro dignitate quis laudet, ipsam illam, quam laudat, adhibere debet eloquentiam. Sed quid ego plura de eloquentia? Hoc ipsum, quod difficultatem tantam eloquentiae adipiscendae exaggero, tan-

tamque vim doctrinae uno Oratoris officio comprehendo, quale demum est, ac quantum, Auditores! Tale est profecto, ac tantum, ut neque ad naturam atque ad dignitatem eloquentiae demonstrandam quidquam majus atque magnificentius, neque ad honestissimorum adolescentium animos amore omnium doctrinarum, in primisque eloquentiae, inflammandos quidquam acrius atque vehementius afferri a me potuisse videatur. Tantum enim abest, adolescentes, ut difficultate hac eloquentiae, quam summam esse ostendi, studia vestra, vel retardari, vel quasi desperatione vel minimum debilitari posse suspicer, certissima ut mihi spes injiciatur, fore, ut, quo difficilior eloquentia est, atque altior, eo majori ardentiorique incitatione, ad omnes bonas artes, sine quibus ea esse nequit, contendatis. Quid enim non sperandum de ingeniis vestris, quae sunt a natura praestantissima, atque ad omnem rerum omnium maximarum ac nobilissimarum scientiam adipiscendam unice comparata? praesertim quum tot tantaeque studiorum hic vobis atque doctrinarum commoditates suppetant, quot quantasque studiosus quisque sapientiae adolescens optare maxime potuisset: quae tamen veteribus illis, summis atque ardentissimis amatoribus sapientiae, maximam partem defuerunt. Non enim vobis, ut Pythagorae, Platonique ac Democrito, propter discendi cupiditatem, longinquae sunt terrae obeundae; non Asia vobis tota peragranda, ut Tullio; non vobis, tanquam in Phalerico, ad fluctum declamare est necesse, ut Demostheni; non, ad doctorem audiendum, ut Euclidi illi Megarico, vitae vobis pericula adeunda. Hic, hic, adolescentes, theatrum vobis amplissimum patet omnium disciplinarum; hic in Pisano Lyceo seminarium vobis virtutis atque eruditionis constitutum; hic sedem ac domicilium vobis suum sapientia ipsa collocavit. Hic Dialectica, hic Physica, hic

uni-

universa Philosophia, hic Medicina, hic Iurisprudentia, hic Mathematicae disciplinae, hic Theologia, hic Eloquentia, hic bonae omnes artes atque doctrinae in summo otio, rerumque omnium tranquillitate sese ultro vobis offerunt, amplissimaque etiam vobis praemia, si ea receperitis, pollicentur. Etsi vero, pro sapientiae ipsius magnitudine atque immensitate, artes hae omnes liberales in suas veluti classes partitae sunt ac distributae; tamen, qui eas hic artes profitentur, summi & doctissimi viri, collegae mei humanissimi, ita pro se quisque profitentur, ut etiam universas singuli complectantur. Unde enim, ne longius abeamus, nisi ex hac ista rerum omnium cognitione, variaque eruditione, ac litteratura fieri creditis, ut magistri vestri abstrusiora quaeque atque difficiliora altissimarum doctrinarum tam Latine vobis edisserant, tamque eloquenter? Unde, inquam, nisi ex ea, quam dixi, omnis generis eruditione ac doctrina, fit, adolescentes, ut hic, quasi in regno, Latinae linguae elegantia, Latinaque eloquentia dominentur? Ut mehercule, quod ad linguam Latinam attinet, liceat jam vobis de magistris vestris dicere, quod de C. Iulio Caesare Atticus ille Tullianus, eos, ut Latine loquantur elegantissime, multis litteris, iisque reconditis & exquisitis, esse consecutos. Ut hinc etiam de eloquentia facile appareat, quia magistri vestri sapientia omnique rerum scientia excellunt, ideo eos florere ac praestare eloquentia. Magistros hos vestros, viros amplissimos, eorumque admirandam plane doctrinam, atque eloquentiam, intuemini. Oratorem ego vobis non ex rhetorum officinis, sed ex mediis magistrorum vestrorum scholis, atque ex intimis eorum doctrinis, deprompsi. Eorumdem vobis exemplo, bonae omnes artes doctrinaeque addiscendae, ut ad veram illam perfectamque eloquentiam, quae ex omnibus simul doctrinis mirum in modum coalescit, quam proxime poteritis, accedatis.

ZENOBIO . RICCIO

PATRICIO · FLORENTINO

PETRI · FRANCISCI · RICCII · SENATORIS

FRATRI

ORDINIS . HIEROSOLYMITANI . EQVITI

COMMENDATARIO

SPLENDIDISSIMO

CAESARI . A . CVBICVLO

ACADEMIAE . PISANAE . A . SECRETIS

VIRO . OMNI . VIRTVTE

PRAESTANTISSIMO

ALEXANDER . POLITVS

ORATIONEM . SVAM . TERTIAM

AD . ACADEMIAM . PISANAM

DE . LITTERIS . HVMANIORIBVS

OB . EGREGIA . EIVS

IN . ACADEMIAM . PISANAM

ATQVE . IN . LITTERAS

MERITA

AD . MEMORIAM . PERPETVI . NOMINIS

D. D. D.

ORATIO IV.

DE LITTERIS HUMANIORIBUS.

SI usquam alibi, quam Pisis, aut certe apud alios, quam apud vosmet, Patres Sapientissimi, ceterique Auditores ornatissimi, de studiis litterarum atque humanitatis paullo liberius atque audacius verba hodierno die essem facturus: verendum mihi valde esset, ne, aut hujusce ipsius diei, quem studiis doctrinarum omnium instaurandis solemnem atque legitimum majores nostri statuerunt, rationem minus habere, aut litteris ipsis humanioribus plus aequo quidquam concedere, aut de maximarum nobilissimarumque disciplinarum dignitate nonnihil imprudenter detrahere, oratio mea videretur. Verum cum dicere me cogito Pisis, in urbe parente atque altrice studiorum humanitatis, in Gymnasio hoc celeberrimo totius eruditionis atque doctrinae, hic praesertim apud vos homines humanissimos, hoc est, studiorum omnium humanitatis peritissimos atque scientissimos; quid reformidem auspice hoc studiorum nostrorum die de litterarum humaniorum laudibus dicere, atque ita dicere, ut nihil neque ad diei hujus celebritatem magnificentius, neque ad loci hujus amplitudinem accommodatius, neque ad humaniorum litterarum atque adeo universae doctrinae dignitatem augustius, possim unquam dicere? Artes enim doctrinaeque universae quum ita inter sese partitae sint atque distributae, suis ut quaeque terminis ac limi-

tibus coerceatur: quid majus atque excellentius, quam studium unum quoddam reperiri, quod nullis ipsum finibus circumscriptum, cetera omnia doctrinarum genera complectatur atque includat? Hujusmodi autem studium est humanitatis. Quare, quod de summa eloquentia affirmabat Tullius, sic apud vos de hoc studio humanitatis statuite, Auditores, rem nullam esse apud homines, quae plura doctrinae adjumenta desideret; ut hinc quilibet vestrum facile intelligat, me de litteris humanioribus, non quid in iis ego valeam, qui certe in iis minimum valeo, disputaturum; sed quid, & quantum in omni doctrina valere is debeat, qui humanitatis studium profitetur. Dabo namque pro munere meo operam, ut, quam potero, brevissime ostendam, litteris hisce humanioribus omnem eruditionem, omnemque rerum omnium maximarum atque doctrinarum scientiam contineri.

Neque vero, cum litteras dicimus humaniores, velim, Auditores, leve quidquam cogitetis, quod ad puerilem duntaxat institutionem, atque exercitationem pertineat, quod nimirum in Grammaticis quibusdam & Rhetoricis Poeticisque praeceptis, qualia fere magistri quique de trivio adolescentulis tradunt, totum positum sit atque collocatum. An non multo plane majora atque altiora profitetur illa ipsa, quae a litteris docendis litteratura, seu Grammatica appellatur? Nolite autem existimare, studium hoc humanitatis, quod varium est atque multiplex, & in interioribus reconditisque quibusque litteris versatur, ideoque humanitatis dicitur, quia maxime omnium studiorum hominem expolit eruditque atque exornat, studium hoc, inquam, humanitatis, terminis aliquanto fortasse angustioribus, atque brevioribus, quam Grammaticen ipsam, definiri. Iam vero quam late patet Grammatica, quamque multas per artes & disciplinas pervadit! ars illa quidem

dem primo adſpectu ſatis tenuis atque jejuna; ſed quae revera, ſi quis in eam ſeſe artem penitus inſinuet, copiis jam omnibus variae eruditionis circumfluat, omniumque propemodum maximarum rerum ſcientiam complectatur. Quis enim hiſtoricos, quis poetas enarrat atque interpretatur? Grammaticus. Quis medicos, quis juriſconſultos, quis philoſophos exponit atque illuſtrat? Grammaticus. Quis theologos, quis omnis generis bonarumque omnium artium ſcriptores ediſſerit atque explicat? Grammaticus. Quis etiam doctiſſimorum totius antiquitatis hominum ſcripta recenſet atque judicat, niſi Grammaticus? Nam & Grammaticorum eſt, idque eximium inprimis, & praeſtantiſſimum munus, judicium de ſcriptoribus ferre, & quae male atque perperam ſcripta ſunt, revocare ea ad cenſuram atque corrigere. Unde & ab alienis ſcriptis judicandis Critici iidem ſunt appellati: quorum etiam fuit, teſte ſane locupletiſſimo Quintiliano, non verſus modo cenſoria virgula notare, & libros, qui falſo inſcripti viderentur, familia ſubmovere, ſed & ipſos ſcriptores, alios in ordinem redigere, alios de numero eximere. Talia quaedam diligentiſſime perſecutum fuiſſe opinor Telephum, Grammaticum illum Pergamenum, eo in libro, quo anquiſiviſſe eum tradunt, quot res ac quantas ſcire Grammaticum oporteret. Atque ille quidem multo fortaſſe brevius rem totam expedire atque abſolvere potuiſſet, ſi nempe dixiſſet, quae ſunt reliquarum omnium bonarum artium atque diſciplinarum, accuratam eorum exactamque notitiam Critico, ſeu Grammatico, ſummopere eſſe neceſſariam: niſi ſi quis forte velit, poſſe quenquam recte iis de rebus judicare, quas ignorat. Quod ſi probe quiſque teneat, opus eſt, ea, de quibus judicat, cur Grammatico huic atque Critico eam rerum ſcientiam minime concedamus, quae quidem certe ſcriptoribus iis concedi debet, in quos ſuum ille

judicium exercet? Itaque ad rectum atque integrum in omni studiorum liberalissimorum genere judicium, pernoscenda est Grammatico totius antiquitatis historia. Quid dico historia? viam ut ille sibi ad perfectam eruditionem praeparet atque muniat, priscae etiam fabulae cognoscendae, terrarum atque locorum situs perdiscendi, ineunda jam inde ab orbe condito exacta temporum ratio, tenenda Dialectica, percipienda Geometria, reliquaeque disciplinae mathematicae, assumenda Musica, investiganda siderum ratio, comprehendenda mater omnium artium Philosophia, praecepta medicorum comparanda, perspiciendum jus Pontificium atque Civile, haurienda e Theologis rerum divinarum scientia. Quid plura? honestissimae omnes artes omnesque disciplinae quam fieri potest, diligentissime atque studiosissime adipiscendae. Et quid aliud fuisse in caussa arbitramini, cur Grammatici iidemque Critici vocati a Graecis fuerint πολυΐστορες, quasi multa variaque scientia praediti, ut Alexander ille Cornelius, Grammaticus Milesius; iidemque etiam πολυμαθεῖς, id est, pereruditi, ut Longinus ille criticus; quid, inquam, aliud in caussa fuisse arbitramini, cur Grammatici, prae reliquis ceterarum omnium nobilissimarum professionum hominibus, a varia ipsi multaque doctrina appellarentur, nisi quia Grammaticorum praecipue fuit, omnem doctrinam, omnemque rerum maximarum eruditionem profiteri? quum tamen ceteris omnibus artium liberalissimarum doctoribus satis superque esset, ea tantum in arte, atque disciplina, quam quisque profiteretur, excellere. Itaque ceteri omnes & nunc & olim ab iis duntaxat artibus celebrati, quas potissimum coluerunt; Grammaticus a multa eruditione atque doctrina. Quid enim, quaeso, a Dialectico requiras, nisi ut recte acuteque concludat, veraque ac falsa dijudicet? Quid a Medico, nisi ut totam medendi rationem diligenter cogno-

gno-

gnoſcat? Quid ab Iuriſconſulto, niſi ut jus Civile atque Pontificium penitus perſpiciat? Quid denique in ſingulis aliis optimis artibus atque diſciplinis jure poſtules atque exigas, niſi ut, quod cujuſque profeſſionis proprium eſt atque ſingulare, intra certos quosdam, ſuoſque fines perfecte quis calleat? Contra vero a Grammatico, eodemque critico, quid eſt in omni doctrinarum genere tam reconditum, tam abſtruſum, tamque ad judicandum difficile, quod jure tuo non depoſcas? Quid enim in tanta rerum maximarum atque artium varietate jam inde ab ultima antiquitatis memoria ignorare ei per te licet, quem ad Poetas, ad Oratores, ad Philoſophos, ad Mathematicos, ad Medicos, ad Iuriſconſultos, ad Theologos, ad omnes omnis generis omniumque aetatum ac temporum ſcriptores intelligendos, non interpretem modo, ſed etiam judicem adhibeas? Quale hoc & quantum munus Grammatici! quod tale profecto eſt ac tantum, ut, quod M. Tullius de domo juriſconſulti veriſſime affirmavit, oraculum eum eſſe totius civitatis, jure, neque minus vere, videar ego mihi poſſe de Grammatico dicere, oraculum eum eſſe totius eruditionis, atque doctriuae. Quid ni? quando, niſi a Grammaticis lumen accederet, pleraque adhuc, quaeque meliorum & praeſtantiorum ſcriptorum meliora fortaſſe atque praeſtantiora erant, in tenebris jacerent. Quis hic mihi in tot ac tantis, tamque immenſis Grammaticae laudibus importunius obſtrepat, ejuſque Grammaticae dignitatem, atque amplitudinem tantam, quantam utique demonſtrare conatus ſum, uſque eo deprimendam atque abjiciendam putet, ut vocabulorum duntaxat, non autem interpretationem rerum Grammaticae concedendam eſſe contendat? quaſi vero reliquarum liberalium artium ſit res ipſas, Grammaticae vero ſit, una ſolaque vocabula explicare atque interpretari. Unde & Grammatici, philologi, tanquam a ſermonis & verborum ſtudio, vocitentur. At enim

iſtud

istud ipsum, quod levius atque tenuius videri possit, quantae unquam scientiae memoriae est, quam idem operosum, quamque infinite per hanc rerum omnium universitatem diffusum, omnia omnium artium atque disciplinarum; hoc est, rerum omnium, vocabula exacte ac perfecte intelligere, eaque vocabula, varie quidem, pro varietate ipsarum artium atque disciplinarum; sed & apte, atque ad rei cujusque naturam accommodate, explanare atque exponere! quod est plane publicum quendam & communem ludum omnibus artibus atque disciplinis aperire, ut de omnibus illae vocabulis, tum communibus, tum etiam cujusque propriis, erudiantur. O sic etiam Grammaticam magistram artium atque disciplinarum, e qua nisi bonae artes atque disciplinae verborum, antiquorum saepe atque obscurorum, interpretationem addiscant, vel in rebus eae majoris momenti caecutiant fere, necesse est, atque hallucinentur! Deus immortalis! Unde, nisi a Grammatica, patefactam atque ostensam habet Iurisprudentia significationem verborum, ex qua Iurisconsulti de rerum ipsarum significatione erudirentur, & de jure & aequo iidem responsitarent? Nam Labeonem quidem Antistium Iurisconsultum memorant vetus jus civile vocibus verbisque interpretandis totum enucleasse. Unde nisi a Grammatica, propria artis suae vocabula Medici cognoverunt? ea, quibus olim usus est Hippocrates, explicarunt Dioscorides ille Phacas & Erotianus: linguas etiam, quas vocant Hippocratis, Herophilus & Becchius & Galenus exposuerunt. Unde, nisi a Grammatica, oratores atque poetae sua sibi vocabula didicerunt? ea, quae oratores & optimi quique scriptores usurpassent, interpretatus est Eudemus; quae oratores decem Graeciae, Iulianus, Philostratus Tyrius, Diodorus & Harpocration; quae historici, Parthenius; quae summi ac celeberrimi Poetarum, Helladius. Ne dicam

de

de Philoxeno, qui linguas Homeri, de Longino, qui ambiguas voces Homeri, de Epitherse illo Nicaeno, qui Comicorum atque Tragicorum verba, de Evagora, qui Thucydidis vocabula difficiliora atque obscuriora illustravit. Unde, nisi a Grammatica, patet in philosophia verborum usus atque explicatio? Fuit in philosophia Plato propemodum divinus: cujus instar Iovem locuturum fuisse dictitarunt, Graece si locuturus fuisset. Platonis verba Timaeus & Boethus explanarunt. Quid Dialecticam memorem? quid Geometriam? quid reliquas disciplinas Mathematicas, quae, nisi verborum suorum interpretationem a Grammatica mutuentur, nihil fere rerum suarum intelligant? Quid denique Theologiam; quae summa est atque altissima rerum scientia divinarum? Unde etiam, nisi a Grammatica, a penu illo omnis eruditionis locupletissimo, suppetit unquam Theologis, hominibus plane divinis, vocum illarum divinarum interpretatio? Vos appello, Patres Christiani, vos, maximi atque sanctissimi Sacerdotes, quorum est de rebus divinis, religionisque jure judicium. Nonne vos, tanta homines religione atque sapientia, quum religio ipsa ageretur, consulere saepe Grammaticam oportuit, atque ex Grammaticae ipsius interpretatione, ad certissimam illam testimoniorum atque auctoritatum divinarum regulam, de maximis gravissimisque omnium controversiis decidere? Istud vero quam mirabile, atque ad Grammaticam commendandam quam praeclarum, ex unius alicujus voculae explicatione summa aliquando sententiarum divinarum, atque adeo totius religionis, capita apte pependisse, & nisi Grammatica unius alicujus verbi interpretatio praeluxisset, vos religionem interpretari minime omnium potuisse. Obvia sunt cuique vestrum, Auditores, in sacris historiis exempla, obvia ea vocabula, de quibus, tanquam pro aris & focis, in solemnibus Christianorum conventibus acer-

acerrime inter partes disputatum, obvia ea vocabulorum discrimina, quae, tanquam notae quaedam veritatis divinae, sunt a sanctissimis illis doctissimisque Patribus, sapientissime ac divinitus excogitata, ut vera de rebus divinis sententia a falsa discerneretur. Quem enim vestrum, Auditores eruditissimi, fugiant gravissimae illae concertationes veterum Theologorum, quibus sacrosanctae nostrae religionis summa quasi in discrimen vocabatur: quum, maximo ii animorum ardore, inter sese disputarent, ac propemodum digladiarentur de verbis illis, Ομοουσιος, & Ομοιουσιος, quae quidem verba, ut minimum sono, hoc est, una tantum littera, inter sese differant; mirum tamen, quantum inter sese differant significatu! quippe quum horum verborum altero unigena ille Dei Filius unius ejusdemque naturae consors cum Patre; altero natura Patri suo similis exprimeretur; itaque qui recte de Deo, & qui secus sentirent, his verbis, quasi tesseris quibusdam, inter sese distinguerentur. Haec si vellem omnia in medium afferre, quem tandem oratio mea exitum inveniret? Sunt enim haec propemodum infinita: quae si attente vobiscum ac sedulo reputaveritis, idem vobis accidat, necesse est, quod iis, qui in patentissima camporum aequora, aut in vastissimorum marium immensitates oculorum aciem longissime intendunt; qui nullum sane videndi finem reperiunt. Sic enim & in spatiis hisce immensis atque infinitis universi orbis artium atque disciplinarum, rerumque omnium tum humanarum, tum etiam divinarum, quoquo versus mentis vestrae oculos converteritis, nullos jam Grammaticae constitutos fines comperietis, extra quos illa interpretationem vocabulorum suam una cum rebus ipsis non proferat. Sed quid ego Grammaticae vocabula duntaxat interpretanda, & non res ipsas, quarum cognitione humana eruditio atque doctrina perficitur, penitus percipiendas concedam?

Ne-

Neque enim una semper atque eadem est unius ejusdemque vocis interpretatio; sed, pro rerum atque artium diversitate, saepe etiam diversa. Anne igitur, quum vocabulorum interpretandorum munus totum ubique sit Grammaticae, existimabimus, in tanta rerum ac sententiarum varietate posse Grammaticam varie eandem vocem, atque ad id, quod agitur, congruenter interpretari, nisi res ipsas, de quibus agitur, optime cognoscat atque judicet? Res autem ipsas si cognoscit Grammatica, quarum vocabula intelligit atque interpretatur, quid ei unquam desit ad perfectam rerum omnium scientiam, quandoquidem nihil omnino est vocabulorum, quod illa non intelligat atque interpretetur? Proh bone Deus! tantum ne scientiae atque eruditionis ars una habet, ut, quidquid unquam doctrinarum per ceteras omnes liberalissimas artes atque disciplinas dispersum est atque distributum, sciat ipsa cumulatissime, neque tantum sciat, sed & illis omnibus disciplinis ad totius eruditionis summam praeluceat? Atque hinc fit, Auditores, ut Grammatica non in una solaque verborum interpretatione consistat; sed rerum ipsarum explicationem muneris sui esse ducat, atque in scriptores omnis generis enarrandos praecipue incumbat. Hoc autem est, philologum agere, qualem se nominari voluit Atteius, non qui nimirum verbis, aut sermoni duntaxat studeat; sed qui, ut ille olim Eratosthenes, multiplici variaque doctrina censeatur. Quis enim scriptores aut poetas enarret, qui non simul & reconditiora quaeque atque interiora earum rerum, quae ab iis scriptoribus aut poetis pertractantur, diligenter examinet atque excutiat? Quis Aristotelem interpretetur, qui non simul & doceat philosophiam, ut Grammaticus ille Philoponus? Quis Hippocratem illustret, qui non simul etiam medicinam, ut Grammaticus ille Nicander Colophonius? Quis Homerum, principem il-

lum & auctorem omnium doctrinarum, exponat, qui non simul & omnes doctrinas atque elegantias explicet, quae ab Homero ad ceteros poetas latissime manarunt, ut Grammaticus ille Didymus, & omnium ille grammaticorum facile eruditissimus, Eustathius? O igitur Grammaticam, non unam jam artium atque disciplinarum, sed artes doctrinasque universas uno grammaticae nomine atque officio comprehensas! O grammaticum, o litteratum, o eundem & Dialecticum, & Geometram, & Musicum, & Mathematicum, & Philosophum, & Iurisconsultum, & Medicum, & Theologum! O & eundem ab omni maxime doctrina instructum! Quis enim jam vestrum non fateatur, quod docto alicui viro vere non minus, quam mirabiliter, visum fuit, minore vos negotio Papinianos tres, quam Aristarchum unum, esse absoluturos? Age porro, quid si noster hic Aristarchus de metris ac rhythmis praecipiat, quam necessaria ei Musica! Quid si ad historiam scribendam semet conferat? quam debet idem esse in politicis versatus! Quid si ad mansuetiores sese musas referat, velitque praeterea Philosophiam, ad magnorum virorum exemplum, Empedoclis nimirum, Varronisque, & Lucretii, carminibus consignare? quam varie, & quam multis in rebus sit ille oportet eruditus! neque modo in Philosophia, astrorumque scientia, atque in omnibus artibus liberalissimis; verum etiam in fabulis! Quo etiam qualique afflatu furoris quasi divini concitari ille debet atque impelli, ut versus non tam marte suo pangere, quam divinitus fundere videatur! Quid si det operam eloquentiae, ut unaquaque de re copiose dicat atque ornate? quanta ei sapientia atque doctrina opus est, sine qua perfecta eloquentia nullo modo esse potest! Quid si illud etiam, quod minimum in doctrinis videtur, diligentissime curet, ut, quam potest, elegantissime, loquatur Latine? istud ipsum, quod est Latine, hoc est, polite atque eleganter, lo-

qui,

qui, Deus bone, quam magnum est, quam singulare, quam paucorum hominum, eorumque eruditissimorum! Fuit id M. Tullii, quem C. Iulius Caesar paene principem copiae atque inventorem dixit. Fuit ipsius Caesaris, quem, ut omnium fere oratorum elegantissime loqueretur Latine, multis litteris, & iis quidem reconditis & exquisitis, consecutum fuisse, Tullius ipse affirmavit. Fuit etiam, post restitutas, ac veluti renatas litteras, summorum virorum, qui tum alibi, tum etiam hic Pisis, in hac nostra Academia, in id potissimum incubuerunt, ut rerum maximarum scientiam cum sermonis Latini, omnisque doctrinae elegantia conjungerent. Quae igitur ars libero illa quidem homine digna, quae unquam disciplina, tam severa esse potest, immo vero tam a musis aversa, atque ab omni humanitate aliena, quae studiis hisce humanitatis non contineatur? Facessant, qui litteras hasce humaniores levius quiddam esse censent, quam ut eae cum altioribus quibusdam majoribusque disciplinis ullo modo conferantur. Non capiunt inepti isti homines, bonarumque omnium litterarum rudes, quid tandem sit studium hoc, quod ipsi culpant atque contemnunt, humanitatis. Neque enim est, quale ipsi sibi cogitatione fingunt, nugatorium quiddam, aut puerile, quod in fabulis duntaxat poeticis, quisquiliisque verborum, oblectandorum animorum caussa, inutiliter occupetur. Quale fere fuisse studium Tiberii Caesaris traditur. O quaestiunculas illas Graeculorum, quas facete satis atque urbane irridere solitus erat Stoicus ille Seneca, quot secum remiges Ulysses habuisset, prior scripta ne esset Ilias, an Odyssea! Apage has nugas, apage ineptissima haec studia diffluentium otio hominum atque ignavissimorum. Non enim haec humanitatis mehercule studia, ex quibus homo nihilo humanior, hoc est, doctior atque eruditior, evadat. *Illa*, illa vere mihi studia humanitatis, quae in

 uni-

universo studiorum liberalissimorum orbe longe lateque patent ac dominantur. Illae, illae litterae plane humanae, quae quum artes omnes honestissimas, & majores quasque disciplinas complectantur atque contineant, eam iis elegantiam, eumque ornatum atque nitorem adjiciunt, ut litterae ipsae humaniores elegantioresque & politiores efficiantur. Illae, illae litterae humaniores, quas nisi sibi comites seu ministras unaquaeque altissimarum nobilissimarumque disciplinarum assumpserit, deformare ipsa nativam pulchritudinem suam, ac veluti in sermonis sordibus volutari videatur. Quid divinius Theologia, quae sapientia est admirabilis rerum divinarum? Quid augustius atque sanctius Theologia, quae tota in summo sanctissimoque Dei numine contemplando versatur? Quid pulchrius Theologia, cui summum atque perfectissimum totius pulchritudinis exemplar majori multo superiorique luce, quam humani ingenii imbecillitas ferat, spectandum atque considerandum proponitur? Et tamen saeculis illis sequioribus, cum, post humanae linguae non minus, quam Romani imperii, a Gothis vastitatem, intermortuae litterae erant humaniores, quae facies erat Theologiae, quam tristis, quam horrida, quam agrestis! Equidem, quum Theologorum quorundam, qui bene tunc atque acute scripsisse putabantur, volumina in manus sumerem, miserebat me tui, pulcherrima atque augustissima disciplinarum, miserebat me tui, regina disciplinarum Theologia, mei, qui libros illos legerem, pigebat, valdeque etiam indignabar, quod homines non tam suo, quam temporum illorum vitio, aliquanto barbariores, illotis te manibus contrectare ausi fuissent. Adeo tute mihi, Theologia, in illis libris squallida, plenaque illuviei atque sordium videbare. Quid praeclarius atque honestius Philosophia, quae sapientia est rerum humanarum, optimarumque omnium artium procreatrix? tamen, humanio-

nio-

nioribus litteris una cum lingua Latina misere collapsis, quid taetrius tunc Philosophia, quid deformius, aut etiam portentosius? quum gymnasia omnia philosophorum non nisi vocibus barbaris atque Gothicis personarent, & de nescio quibus verborum monstris magna quotidie concertatio fieret, &, qui Aristotelis sese interpretes, si Deo placet, appellitabant, ne primoribus quidem labris Aristotelicos fontes degustassent; sed coenosos quosdam rivos, hoc est, translationem ex Arabica non Latinam; sed Arabica ipsa multo barbariorem, consectarentur. Quid, ut nihil dicam de medicina, nihil de mathematicis, reliquisque honestissimis disciplinis, quid, inquam nobilius atque elegantius jurisprudentia, quae scientia est juris atque aequitatis? tamen, ante litteras humaniores renatas, quid foedius illorum temporum jurisprudentia, quid contaminatius, quid denique obscurius? quum qui juris semet sacerdotes jactitabant, & boni & aequi notitiam profitebantur, pleraque legum suarum minime omnium intelligerent, pleraque etiam, quae Graece nimirum scripta erant, ne legerent quidem, denique Ius Romanum non Romane, sed Gothice, interpretarentur. Equidem de me fateor, si qua in me est Latinae linguae Romanarumque rerum scientia, si qua forte elegantia sermonis Latini, quae quam sit exigua, satis sentio; eam, qualiscunque ea demum est, memet fere ex quinquaginta Digestorum libris assidue legendis hausisse, sicque mentem meam politissima illa veterum jurisconsultorum elegantia assuefecisse, Cimmeriae ut mihi tenebrae offusae in eorum scriptis esse viderentur, qui, corruptis jam bonis artibus, de jure civili responsitassent. Tanta per Deum immortalem scriptorum illorum erat barbaries. Postea vero, quam litterae illae humaniores, importata per Graecos homines Graecasque litteras luce, recreatae sunt apud nostros homines atque revixerunt, quan-

quanta ego & quam incredibili earundem omnium disciplinarum, atque artium ingenuarum admiratione obstupescebam! quanta inde & quam mirifica voluptate afficiebar! quantum ego laetabar, suam Theologiae, suam Philosophiae, suam juris civilis prudentiae, suam reliquis omnibus praestantissimis artibus atque disciplinis dignitatem atque elegantiam restitutam, qualem illae quidem certe jam inde a principio habuerunt, antequam nimirum bonae omnes litterae, linguaque ipsa Latina, a Gothis & Vandalis miserandum in modum depravatae, ab humanitate sua in agrestem quandam & immanem barbariem degenerassent! Quis enim tunc, vel si superiora priscae memoriae documenta alte, & tanquam a capite repetimus, quis tunc splendor, quae dignitas erat majorum quarumque graviorumque disciplinarum, cum apud doctissimos quosque homines maxime vigebant studia humanitatis, &, quo quisque a doctrina instructior, eo etiam erat ab omni litterarum humaniorum elegantia politior atque ornatior? Nisi si quis forte nobis opponat magnam videlicet auctoritatem Epicuri, quem narrant litteras hasce elegantiores, hominumque eruditorum proprias, aspernatum fuisse. At enim Epicurus contempsit etiam Dialecticam: at non magnus in doctrinis fuit Epicurus, cujus etiam in Physicis atque Ethicis doctrina tota fere fuit aliena, quippe in Physicis Democritea, in Ethicis potissimum Aristippea, Cyrenaica. Contra vero quos plane constat humaniorum litterarum studiis multo omnium liberalissimis praestitisse, non ne eosdem fatendum est in omni quoque doctrinarum genere maxime omnium veterum excelluisse? Quis enim sapientior Platone, philosopho gravissimo, omniumque principe philosophorum? quis etiam Platone in grammatica, in oratoria, in poetica, in omni eleganteriori litteratura exercitatior?

Quis

Quis doctior Aristotele, principe & ipso secundum Platonem philosophorum? quis etiam Aristotele ab humanioribus litteris cultior, quem ajunt Iliadem Homericam Alexandro Macedoni emendasse, initiumque atque exemplum Criticae arti dedisse? Quis non in philosophia modo, sed etiam in medicina peritior Galeno? quis etiam Galeno in grammaticis & rhetoricis, ceterisque humanitatis studiis versatior? Quis apud Latinos omni doctrina excellentior Tullio? quis etiam Tullio melior Orator, meliorque Grammaticus, qui, ut nec poeta fuit contemnendus, ita & nobilem in primis poetam Lucretium correxit? Quid & alios dicam, summos plane viros, atque ut in omni recto humanitatis studio versatissimos, ita & facile doctissimos totius antiquitatis? Quid etiam clarissima illa atque immortalia religionis nostrae lumina, sapientissimos illos divinitatis interpretes, Clementem Alexandrinum, Origenem, Basilium, Gregorium illum Nazianzenum, Chrysostomum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum, qui quum omni humanitate atque eruditione essent perpoliti, ad res quoque divinas omni doctrinarum genere illustrandas plurimum subsidii atque adjumenti contulerunt? Anne vero Iulianum Caesarem, infestissimum illum Christianorum hostem, & transfugam consceleratissimum, humanioribus Graecorum litteris, poetarumque lectione ideo Christianis pueris interdixisse putabimus, ut ne scilicet, quem rudes atque imperiti homines unum solumque fructum ex amoenioribus illis disciplinis percipi opinantur, inaniter Christiani, & pueriliter cum Musis delectarentur? Nihil minus, Auditores. Neque enim ea Iulianus Christianis oblectamenta invidebat, quae mollius eos afficerent, atque demulcerent. sed perspicaci homo ingenio, bonisque artibus satis eruditus, quum studia illa humanitatis in omni maximarum rerum scientia versari, & litteris illis humanioribus

bus liberales omnes disciplinas, omnesque doctrinas contineri pervideret; id ereptum Christianis volebat, quo illi suas de Deo sententias confirmarent, atque tuerentur; gentium vero theologiam refellerent. Nimirum sentiebas, reque ipsa experiebare, Iuliane, in hostibus illis tuis, hominibus litteratis atque Christianis, in Gregorio illo Nazianzeno, in Basilio illo Caesariensi. in Apollinari illo Laodiceno, quid & quantum Theologia Christianorum, hoc armata litterarum humanarum praesidio, contra theologiam gentium valeret. Quid igitur tandem miremur, si decora illa atque ornamenta veteris doctrinae, quae, corruptis bonis litteris, damnum maximum fecerant, iisdem recreatis atque restitutis, nihilo fortasse deteriora, quam quae olim fuerant revixerunt. Revixit Theologia, revixit juris civilis prudentia, revixit medicina, revixit philosophia, revixit dialectica, revixit geometria, omnes denique artes honestissimae, omnes liberalissimae disciplinae dignitatem atque amplitudinem pristinam suam recuperarunt. Ergo, quum beneficium hoc sit litterarum humaniorum, ut bonae omnes artes atque disciplinae & olim viguerint, & nunc mirifice refloruerint, &, qui in studiis humanitatis maxime omnium sunt versati, iidem etiam ceteris hominibus omni doctrina praestiterint; cur, optimi adolescentes, si amor vos tenet atque studium omnium doctrinarum; litteris hisce humanioribus, quibus doctrinae omnes continentur, penitus vos dedere dubitetis? cur enim, quum artes omnes liberalissimae cognatae inter sese sint, & communi quasi vinculo conjunctae atque copulatae, segregandas eas artes arbitremini, itaque ad unam, ad quam casus vos quidam detulerit, tanquam ad saxum, vobis adhaerescendum, ut ceteras quoque minime arripiendas censeatis? Videtis, adolescentes, magistros hos vestros, viros doctissimos atque eruditissimos, pro suo quemque mu-

munere, ita in artibus atque in disciplinis tradendis versari, ut, si ipsae artes atque disciplinae loqui possent, non melius, neque elegantius, neque nitidius, neque majori etiam cum dignitate, quam magistri vestri faciunt, docturae vos atque erudíturae fuisse videantur. Fructus hic est uberrimus atque copiosissimus studiorum literalissimorum humanitatis. Itaque & vos, optimi adolescentes, si in dialectica, si in geometria, reliquisque mathematicis disciplinis, si in philosophia, si in medicina, si in jure civili atque pontificio, si in theologia, si in singulis quique doctrinis perfecti satisque elegantes esse volueritis, ad studia haec humanitatis contendite: hoc est, omni ope & opera enitimini, atque efficite, ut universus in vobis doctrinarum disciplinarumque orbis perficiatur: quando litteris hisce humanioribus omnes doctrinae atque disciplinae uberrime atque elegantissime comprehenduntur.

PETRO . HIERONYMO . INGHIRAMIO
PATRICIO . VOLATERRANO
EQVITI . NOBILISSIMO
ATQVE . SPLENDIDISSIMO
ET . EQVESTRIS . ORDINIS . SVI
PRIORI . SACRI . EQVESTRIS . CONSILII
DVODECIMVIRO
VRBIS . PISANAE . PRAEFECTO
SVMMA . VIRO . DOCTRINA . ET . PROBITATE
ET . PIETATE
ET . IVSTITIA . ET . LIBERALITATE
OMNIQVE . VIRTVTE
OMNIBVS . PROBATISSIMO
AVCTA . SVB . EIVS . ADMINISTRATIONE
VRBIS . PISANAE
GLORIA . ATQVE . FELICITATE
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM . QVARTAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . VNIVERSO . DISCIPLINARVM . ORBE
OB . MAXIMA . EIVS
ATQVE . IMMORTALIA . IN . REM . PISANAM
ET . LITTERAS . PROMERITA
AD . MEMORIAM . SEMPITERNAM
D. D. D.

ORATIO V.

DE UNIVERSO DISCIPLINARUM ORBE.

MAxime vellem, Patres ſapientiſſimi, ceterique auditores ornatiſſimi, ut, quod jam inde a ſuſcepto ampliſſimo hoc humaniorum litterarum docendarum munere, mihi unice propoſui, hoc adoleſcentibus his noſtris, qui ſeſe nobis in diſciplinam tradiderunt, eſſet penitus perſuaſum, non in uno ſoloque doctrinae genere, qualiſcunque ea demum eſt, ſibi eſſe acquieſcendum; ſed finem atque terminum ſtudiorum ſuorum conſtituendum eſſe univerſum illum orbem diſciplinarum, quem Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocarunt. Nam ſive eloquentiam ſpecto, perfecta eſſe nequit eloquentia, niſi rerum maximarum ſcientiam, doctrinaſque univerſas complectatur; ſive litteras humaniores intueor, omnis rerum omnium atque artium honeſtiſſimarum eruditio humanioribus uberrime litteris comprehenditur; ſive gymnaſium hoc domiciliumque ſapientiae nobiliſſimum circumſpicio, omnes hic liberaliſſimae artes atque diſciplinae apud doctiſſimos atque eruditiſſimos homines, apud vos, Patres ſapientiſſimi, in Piſano hoc gymnaſio ſtudioſiſſime acerrimeque exercentur. Turpe autem nimis & indignum optimis adoleſcentibus fuerit, eos, quum domos ſuas reliquerint, atque in hanc ſeſe urbem, eruditionis cauſſa, contulerint, non, ut eloquentes bonarumque

ar-

artium periti fierent, aliquandiu elaborasse; sed, qui omnia doctrinarum genera percipere facile potuissent, eos mediocri quodam uniusque duntaxat generis doctrina contentos, hoc est, paullo eruditiores, quam venerant, ad suos rediisse. Sed, quoniam brevis est hominis vita; vetus illa in plurimorum animis opinio insedit, humanae vitae cursum tam angustum esse, tamque undique coarctatum, ut non nisi brevissimus videri possit, si, non dico, ad omnium; sed vel ad unius etiam artis magnitudinem conferatur. Ego vero, Auditores, qui, ingeniorum nostrorum viribus bene accurateque perpensis, nihil humile, nihil abjectum, nihil egregiis maximaeque spei adolescentibus indignum mecum unquam meditor; communem hunc de longo artis, brevi vitae cursu humani generis querelam ex hominum mentibus exturbare, si fieri potest, aggredior, itaque maximum, quo a sapientiae studiis adolescentes deterrentur, impedimentum removere. Demonstrabo enim, quam potero, diligentissime breviorem longe esse earum omnium artium, quae sunt libero homine dignae, quam humanae vitae, cursum. Quod sane argumentum, tametsi alibi a me abhinc multis annis non incommode pertractatum; tamen mihi quidem dignum videtur, quod aliquanto etiam nunc diligentius atque curiosius, anniversario hoc studiorum instaurandorum die, pro loci hujus & muneris mei amplitudine, atque utinam cum aliquo orationis meae fructu! retractetur.

Verum, ipso statim orationis limine, quis me vestrum, Auditores, non oppugnet, ac propemodum obruat summa summi ac celebratissimi viri auctoritate, cui nisi ego primum omnium occurram, valde etiam vereri debeam, ut utilem fructuosamque sim ipse operam in hoc tale tantumque argumentum collaturus? Quis enim ab Hippocrate dissentiat, maximo illo totius antiquitatis, & paene dixerim, divino ingenio? cujus

jus tanta tamque admirabilis fuit in exploranda rerum veritate solertia, ut, quo ille non pervenerit, nemini uni sperandum sit, posse sese unquam pervenire. Atque is tamen vir sapientissimus, quum brevissimis acutissimisque sententiis, quas Graece aphorismos dicimus, quasi medicinae totius oracula esset simul complexurus, inde sibi exordium capiendum censuit, ut vitam humanam brevitatis, longitudinis artem incusaret. Vitam enim dixit brevem; artem longam. Sed istud de trivio argumentum, quo a tanto nomine quaeri solet torpori ignaviaeque nostrae patrocinium, neque orationis sese jam explicantis cursum abrumpet, neque a sapientiae vos studio, optimi adolescentes, retardabit, si paullisper consideretis, quod vos fortasse miremini, sed tamen verissimum est, caussam inde meam confirmari, unde penitus infringi evertique potuisset. Nam, cum oculos ad illum medicorum veluti deum, ad Hippocratem converto, eximiamque ejus in omnibus artibus eruditionem attentius cogito; satis jam video, nullum aliud ex tota antiquitate opportunius atque ad rem nostram accommodatius exemplum afferri unquam potuisse, quod vobis ad omnem doctrinam proponeretur. Fuit enim, si quis alius, non in arte solum medica; sed etiam in toto disciplinarum orbe exercitatissimus, eaque vere laude dignissimus, qua nescio an major ulli unquam hominum contigerit, quod & alios fallere, & ab aliis ipse falli nesciverit. Quapropter qui volunt, laboriosi scilicet in otio homines, longius multo esse artium liberalium curriculum, quam ut toto eae vitae tempore perdiscantur, & luculento admodum Hippocratis exemplo refutantur, qui eas omnes artes calluit quam peritissime, & quaenam hominis mens, quodve consilium fuerit, minime omnium assequuntur. Nisi si quis forte adeo deliret, ut arbitretur, ideo Hippocrati longam artem; vitam autem dictam esse brevem,

quod

quod hac potissimum ratione alios vellet a medicinae studio avertere, qua ipse medicina maxime omnium eniteret. Sed o prava hominum minime ingenuorum, qui de ingenuo viro tam inique atque adeo proterve senserunt, judicia! quos etiam gravissime olim reprehendit optimus principis medici interpres, medicorum & ipse longe clarissimus, Claudius Galenus. Quid enim a recta ratione magis alienum, quam, ad humani generis bonum, commentarios Medicos conscribere, quibus nihil unquam utilius aut esse, aut excogitari possit, simulque ab arte universa, cujus doctrina hominum tete saluti atque incolumitati consulere velle profiteare, legentium prorsus animos avocare? Aliud omnino voluit parens ille medicinae Hippocrates, aliud in votis, aliud in mente habuit, dum artis magnitudinem eo protrahendam putavit, ut longissima ea esset, si unius eam hominis vita metiremur. Non enim ad otium ignavorum, inertiumque hominum fovendum, sed ad solertium navorumque diligentiam excitandam; non ad excusandum torporem, sed ad laborem promovendum: non ad deterrendos abalienandosque ab artis medicae studio animos, sed ad exacuendum proposita artis difficultate ingenium, eam retulit de brevitate vitae sententiam: ut nempe, quo vita brevior esset, ars autem longior, eo impensiori cura majorique animi contentione opus sibi esse studiosi quique intelligerent, ut brevi artem tempore adipiscerentur. Quanquam autem explicationem hujuscemodi veram illam quidem, sed veluti ad Hippocratis sensum non satis appositam, neque aptam, minus approbat Galenus; tamen illa ipsa Hippocratis verba ita interpretatur, ut doceat, breve etiam tempus ad artem perdiscendam sufficere, si recta studiorum via, constansque labor adhibeatur: non posse quidem ab uno eodemque homine, quam vultis, diligenti & studioso, artem aliquam & inchoari & absolvi,

quod

quod ad inventionem ſpectat; ſed, poſteaquam inventa ea fuit, pluresque docti atque induſtrii viri, multorum annorum decurſu, ad eam conſtituendam perficiendamque laboraverunt, nihil jam in cauſſa eſſe, cur breviori temporis ſpatio eam quiſque artem non comprehendat; eaque de re perbreves conſcribi commentationes oportere, quibus omnia, quae magni quique viri multo tempore, magnoque labore obſervarunt, incredibili quodam & temporis & laboris compendio, ſub unum veluti adſpectum ſubiiciantur. Sed cur in una tamdiu nos arte immoramur? quaſi vero non in toto diſciplinarum orbe noſtra verſetur oratio. Age igitur, quantus qualiſque eſt, quamque hominibus omnibus inditus a natura, cognitionis amor, & veritatis! quam nunquam otiatur in nobis haec veri inveniendi cupiditas! quam rei cujuſque novitate pueri capimur, & detinemur! quanto diſcendi ardore ad liberalium artium ſtudia impellimur adoleſcentes! quam magnam vitae noſtrae partem viri, ſaepe etiam cum maximo rei familiaris detrimento, litteris rerumque cognitioni impendimus! quo ſtudio, etiam qui a rebus gerendis longe abſumus, ſenes res geſtas legimus & audimus, neque hiſtoriis modo, ſed etiam fabellis recreamur! quam denique in omni aetate, ut ab aliis curis vacuus animus ſecum eſſe permittatur; tamen nunquam quieſcit hoc ſciendi omnia deſiderium! Solonem ferunt, quem in ſapientium hominum numero Graecia habuit, morti jam proximum, aſſidentibus amicis, & neſcio qua de re ſermonem inter ſeſe conferentibus, caput, ut potuit, ſuſtuliſſe, ut re, de qua diſputarent, percepta, eruditior atque ſapientior moreretur. Tanta humanum genus diſcendi cupiditas tenet; tantaque inde eſt, rebus tandem cognitis, animi noſtri oblectatio. Id enim, quo uno beſtiis maxime praeſtamus, & homines ſumus, mentem nimirum noſtram, rerum ſcientia perficit, ho-

N ne-

nestissimaque complet voluptate. An igitur existimabimus, frustra hunc esse in nobis cognoscendi veri ardorem, tamque inique atque iniuriose erga hominum genus sese naturam, tanquam novercam quandam, gessisse, ut, quum sane quam vehementi perpetuoque impetu ad studia nos omnium liberalium doctrinarum impellat, atque rapiat; tamen adjumenta nobis denegaverit, quibus earundem ipsarum doctrinarum scientiam assequeremur? An Galenum oleum & operam, quod est in proverbio, perdidisse putabimus, quem nullum non lapidem movisse ajunt, ut in omni doctrinarum genere perfectus evaderet? An Cleanthem Assium, qui noctem hauriendis aquis, diem bonarum artium studiis dedisse traditur, atque inde a labore Hercules alter est appellatus, laboris hujus tanti fructum hunc retulisse arbitrabimur, ut in liberalibus artibus comparandis animum prorsus desponderet? An inane in Euclide Megarico censebimus studium sapientiae adeo eximium ac singulare, ut, quod Megarensibus capitale erat, ipse Athenas, veste muliebri indutus, venire noctu ad Socratem audiendum minime omnium dubitaret? An, ut sexcentos alios ex tota antiquitate viros doctissimos omittam, quibus tota vita nihil antiquius fuit, quam optimarum omnium disciplinarum apparatu pulcherrimo atque elegantissimo instrui, frustra Pythagoram, frustra Democritum, frustra Platonem, quales, Deus bone, viros! dicemus patriam, ubi summo honore florebant, reliquisse; ultimasque terras peragrasse, ut, periculosissima per barbaras incultasque nationes peregrinatione nullum non doctrinarum genus a sapientissimis omnium populorum viris discere vellent, scire autem non possent? O miseram humani generis conditionem! o poenitenda hominum vota, si sapientiae, quae perfecta est atque accurata bonarum omnium artium comprehensio, pulchritudinem ardentissime concu-

pi-

piſcant, illam quaerant, illam meditentur, ad illam maximo conatu anhelent, neque illam tamen unquam complectantur! Sin & nihil fruſtra molitur optima parens natura, & nulli penitus deeſt de reliquis omnibus animantibus, quominus fines adipiſcantur ſuos; quanto majori cura proſpexiſſe homini reputanda eſt, ceterorum omnium animantium longe nobiliſſimo ac principi, quem unum ratione uti voluit, omniumque fecit capacem diſciplinarum? ut nempe, quemadmodum ſummam nobis ingeneravit percipiendae veritatis cupiditatem, ita & nobis largiſſime copioſiſſimeque ſubminiſtraret, unde optimarum omnium artium ſcientiam, quanta quidem homini ſatis eſſet, obtineremus? At falſa plerique exiſtimatione decipiuntur: quibus quum inſtrumenta omnia a natura affatim ſuppetant ad omnem doctrinarum elegantiam; tamen otio ſuo & ingenio abutuntur; maluntque ingrati naturam reprehendere, quam ſuam ipſorum ſegnitiem emendare. Quae autem & quanta ſit humani ingenii facultas, & quid & quantum, ſi annitatur, in univerſo illo liberalium omnium artium ſtudio eadem poſſit, docent ii clariſſime, quos ſummis laudibus celebrandos duximus, viri veterum multo ſapientiſſimi: quos omni diſciplinarum genere ornatos inſtructoſque maxime fuiſſe accepimus. His vero dum Democritum accenſeo, nolim cogitetis, Auditores, aliquem de grege philoſophum, qui cum majorum gentium philoſophis nullo modo ſit conferendus; ſed tanta virum eruditione, ut Hippocrati ipſi Coo maximae admirationi fuerit, &, quum plurimos tum diſcendi ardore, tum rerum omnium doctrina vicerit, nemini uni ſecundus videatur. Etenim prae ſapientiae ſtudio, quo maxime incendebatur, ampliſſimas opes, humanaque omnia contempſit; peregrinatuſque eſt in Perſidem ad Magos & Chaldaeos; in Aegyptum ad Mathematicos; in Aethiopiam atque Indiam ad Gymnoſo-

phistas; in omni autem sapientiae parte adeo profecit, ut quinque certaminum victori non absimilis diceretur, quod ea quinque doctrinarum genera, quibus universa veterum eruditio definita atque conclusa erat, probe tenuisset. Iam vero si optimas ipsas artes propius intuemur, &, quarum amore tantopere exardemus, proponimus eas ob oculos; mirum est, Auditores, quanta sit earundem artium atque doctrinarum inter sese connexio, quantus earum ordo, quamque uno eae societatis inter se vinculo coalescant. Namque illud ego dicam, quod a Platone assertum in Epinomide, multo faciliorem, atque contractiorem, quam vulgo suspicantur, reddit cursum omnium disciplinarum, miro quodam inter sese consensu bonas cunctas artes sapientisque viri proprias concordare, & hanc liberalium doctrinarum in unum veluti conspirationem facillime intellectum iri, siquis vim rationis ejus, unde omnia alia pendent, & ordine quodam cognoscuntur, antea exploraverit. Inde enim & Musae, quae vel ipsae sunt liberales artes, vel artibus certe liberalibus praesident, visae sunt quibusdam sic appellatae, quasi *ὁμοῦσαι*, a nexu nimirum & consociatione omnium inter sese disciplinarum: quo etiam ex nexu quasi una visa est esse rerum omnium scientia: cujus tamen, tum propter rerum ipsarum magnam varietatem, tum etiam propter discentium commoditatem atque facilitatem, facta sit in plures artes atque disciplinas partitio. Quod si altiora haec esse videntur, quam ut infirmo adhuc adolescentium captui apta sint atque accommodata (quanquam, ubi de toto doctrinarum orbe loquimur, nihil, nisi excelsum, atque a vulgari hominum sensu longe remotissimum, sapiat necesse est oratio) tamen illud constat, non tantam, quantam aliqui volunt, inter omnes disciplinas diversitatem inveniri, quae omnes ad veritatem to-

tae

tae unam referuntur. Quid enim tandem spectant illae ipsae artes, quae aliis omnibus majoribus artibus famulantur, & bene ornateque loqui docent, numerisque orationem constringere, ut majori, quam fieri possit, concinnitate lenocinioque verborum, animi nostri sensa expromamus, nisi veritatem? Quid unquam profitetur bene disserendi facultas, quam verbo Graeco Dialecticam vocitamus, nisi veritatem? Quid unquam speculantur Mathematicae illae disciplinae, quarum vastissimo quidem gyro & numeri & sonorum vocumque modulatio, & artificiorum, quae ad varios multiplicesque hominum usus, tum delectationis, tum necessitatis caussa, excogitata sunt, exacta ratio, & caeli & terrae mundique totius dimensio continentur, nisi veritatem? Quid etiam Physice in theatro hoc communi atque amplissimo naturae, ubi varietas rerum infinita, admirabili ordine distincta, spectaculum sui multo omnium pulcherrimum praebet, contemplatur, nisi veritatem? Eae quoque disciplinae, quae in agendo versantur, quo primum, veluti ad certissimam quandam atque tutissimam actionis cujuscunque regulam, respiciunt, nisi ad veritatem? Veritatem Ethice, ut animum curet; veritatem Medicina, ut corpori salubritatem afferat; veritatem Iurisprudentia, ut aequa civium jura conservet; veritatem Politice, ut publico civitatis bono consulat; veritatem Oeconomice, ut rem privatam atque familiarem bene administret; veritatem bonae omnes artes, ut sua rite munera expleant, inquirunt. Fontem denique ipsum veritatis, hoc est, principem primamque, quae a semet ipsa est, veritatem, summumque rerum omnium principium, & formas ab omni concretione materiae quam longissime alienas, Theologia, quae rerum est scientia divinarum, intuetur. Ergo quum una solaque veritas in omni doctrinarum studio maxime quaeratur, eamque mens hominis tanta secum cognatione

co-

copulet atque devinciat, ut nihil, nisi verum, percipere penitus possit, nec, nisi in perspicientia veri, beatitudinem suam assequatur; quaenam illa est vana desidiaeque plena, ignavorum atque otio marcescentium hominum expostulatio, quod tanta disciplinarum in diversa tendentium magnitudine simul ac varietate ingenium confundatur humanum ac propemodum obruatur? Non ita sane censuit summus dicendi magister, Romanaeque juventutis optimus institutor, Fabius Quintilianus; qui, quum Oratorem, quem instituendum sibi sumpserat, nullius ornamenti expertem esse oportere ostendisset, primam quoque aetatem pluribus simul artibus imbuendam exornandamque esse existimavit. Atque utinam tanti apud nos esset Quintiliani auctoritas, ut pueri nostri ea veluti temporum subsidia, quae a Grammaticae studio supersunt, erudito illi Geometriae pulveri, aliisque hujusmodi amoenioribus studiis donare docerentur! O longam illam ad discendum aetatem, si non tesseris, non nugis, non otiosis sermonibus, non denique somno, inutiliter conteri, aut potius profundi, sineretur! Est enim maxime docilis, & laboris patientissima, ingenioque fruitur tam facili, atque in omnem partem veloci, nullum ut periculum sit, ne studiorum onere, plusquam opus sit, fatigetur, sed ut potius varietate ipsa reficiatur, minusque sentiat, quam si in uno semper labore perseveraret, difficultatis. Quoniam vero ignavia nostra facit, ut ingenium variis simul litterarum studiis occupatum, distrahi aut obtundi, non perfici aut excoli, videatur; & revera humanae mentis facultas, quantacunque illa sit, finita est, suisque terminis circumscripta; non id ego certe oneris adolescentibus nostris imponam, cui fiant ipsi ferendo impares, ut pluribus, & quam diversissimis disciplinis eodem simul tempore sufficiant. Satis erit, mihi credite, optimi adolescentes, non confuse, aut opera quadam tumultuaria, stu-

ſtudia veſtra pertractare; ſed eum, quem incepiſtis, curſum doctrinarum certa ratione moderari, ut a facilioribus ad difficiliora progreſſi, unaque quadam & perpetua ſtudiorum ſerie, unam poſt aliam diſciplinam adepti, elegantiſſimum illum doctrinarum omnium orbem conficiatis. Quemadmodum enim, ſicui uno ſimul intuitu univerſus hic mundus ſpectandus exhiberetur, obrueretur is plane innumerabili fere atque incredibili rerum omnium multitudine, neque quanta, quamque admirabilis ſit ac divina naturae univerſae pulchritudo, diſcerneret; ſi autem ad ſingulas partes, ex quibus tota mundi machina concreſcit, atque coagmentatur, oculos cogitationemque converteret, ac veluti diſtribueret, ſimulque ſummum illum, quo ſuis quaeque locis aptantur, ordinem diſtincte atque particulatim conſideraret, ei quam facillime totum hoc univerſitatis corpus, rerumque omnium admiranda conſenſio pateſieret; ita ſane confuſus ille atque permixtus veluti adſpectus omnium diſciplinarum, qui primo occurrere atque obverſari tironibus ſolet, ſua vos magnitudine deterret adhuc in limine conſtitutos; ſed ſi diligentiae ordo accedit, &, quod cognoſci ſimul totum non poteſt, gradatim ac veluti per partes addiſcitur, brevi vos intellecturos planeque experturos polliceor, quam artium magnitudines recta ſtudiorum partitione minuantur. Hic ego quid praedicem, quam non adeptu ſit longa ſapientia? quantum ad ſtudiorum omnium metam ſuppeditet vobis temporis? quanta ſit ingeniorum veſtrorum celeritas, quantumque acumen? quae omnia ſi amplificare velim dicendo, & per ſe magna, verborum exaggeratione majora reddere, mea jam longius, tanquam in immenſo quodam campo, excurrat atque exultet oratio. Sed diſcentium imbecillitati danda haec eſt venia, Auditores, ut, quae in qualicunque illo liberaliſſimarum artium itinere properantes non parum remo-

morantur, quam breviſſime perſequamur. Nam, quod ad perfectam atque exactam rerum omnium cognitionem attinet, ea pleroſque cogitatio ſummam in deſperationem adduxit, quod & Plato teſtatur in Amatoribus, & experientia cujuſque noſtrum quotidiana perſpicue docet, ſemper aliquid eſſe, quod, quamdiu vivimus, diſcamus. Unde dictum illud Solonis, tantopere veteribus celebratum, ſenem ſeſe fieri quotidie aliquid addiſcentem. Narrant etiam, morientem Theophraſtum conqueſtum graviter de natura fuiſſe, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, ſibi exiguam dediſſet. Neque ego ſane, Auditores, tantum humano ingenio detulerim, ut cenſeam, fieri aliquando poſſe, ut homo unus omnia in qualibet penitus arte comprehendat. Quam multa enim vel in ipſa Grammatica (ut hinc facile judicium de majoribus quibuſque diſciplinis fiat) non me modo fugiunt, qui tamen nunquam ab amoenioribus illis litteris abhorrui; ſed etiam viros longe doctiſſimos, atque in illo ſtudiorum Grammaticorum genere exercitatiſſimos! En ne tamen deprimenda vobis veſtra erunt ingenia, adoleſcentes, ut exiſtimetis, aut pluribus rebus diſcendis plures eſſe vitas dedicandas, aut unam duntaxat artem pertractandam ſemper eſſe, atque in uno vel leviori ſtudio cum deſidioſa quadam voluptate ita conſeneſcendum, ut diſcentes vita deficiat? ipſa enim unius ejuſdemque artis perpetua tractatio ſemper aliquid gignet, quod inveſtigetis. Sin vos unius ſoliuſque artis delectatio non tenet, & aliae ſunt non, opinor, indignae, quae a vobis percipiantur, nequid ego dicam, vos ipſi perſpicitis, quis vobis modus ſit in toto liberaliſſimorum ſtudiorum curſu adhibendus, ut non uſque ad ſenectutem in re aliqua ſuperſtitioſe detineamini; ſed in qualibet liberaliori arte atque diſciplina non diutius immoremini, quam ſobria cujuſque rei cognitio poſtulare videatur. Quis enim cum

in

in aliis omnibus rebus, tum maxime in litterarum studiis, modum non requirat, ubi non solum sine ullo doctrinae detrimento, verum etiam magna aliquando utilitate plurima ignorantur, quorum utique cognitione nihilo melior aut doctior evadas. Quare is mihi vere sapiens, vereque doctus ac litteratus, non qui minuta quaeque, immenso quidem studio ac labore, sed tamen multo curiosius, quam utilius, perscrutetur; sed qui honestissimae cujusque rei ea scientia contentus sit, quae libero homini satis esse videatur; non qui vane altercando atque pueriliter, in perplexis captiosisque semper quaestionibus occupetur, sed qui breviori, quam fieri possit, studiorum suorum compendio, ad unam veritatem collineet; non qui, Tiberii Caesaris more, aetatem suam in fabellis conquirendis misere conterat; sed qui utilissima quaeque atque fructuosissima consectetur; non qui novus librorum helluo, in iis omnibus libris lectitandis, ad quos, veluti quosdam scopulos, tempestate delatus, adhaeserit, dies noctesque insumat; sed qui optimos, atque in quolibet doctrinarum genere praestantissimos scriptores, vel suo, vel alieno judicio, seligat, recolat, attente meditetur. Ille igitur, qui mihi sit in universo disciplinarum orbe versatissimus, non inutili rerum discendarum multitudine mentem obruet; neque in quorumcunque vel ineptorum librorum farraginem sese ingurgitabit; sed exacta in primis solidaque trium principum linguarum, Hebraeae, Graecae, Latinae, notitia ad omnem tum divinam, tum humanam eruditionem imbuetur; in paranda eloquentia Demosthenem, atque Isocratem inter Graecos, Marcum Tullium, & Fabium Quintilianum inter Latinos, duces atque auctores habebit; in Poetica, pro vario carminum genere, illos Poetarum principes Homerum & Virgilium; Pindarum & Horatium; Euripidem, Sophoclem & Senecam; Callimachum &

tres Amorum Poetas Latinos; Aristophanem & cum Plauto Terentium leget; in Philosophia totum Platonem atque Aristotelem tenebit; in Mathematicis Euclidem, Ptolemaeum, Apollonium illum Pergaeum, atque Archimedem comprehendet; in Iurisprudentia tum civilium, tum pontificiarum legum volumina diligentissime atque accuratissime discet; in Medicina Hippocratem & Galenum; itemque ex nostris Cornelium Celsum, & rerum arcanarum acerrimum curiosissimumque investigatorem C. Plinium, assidue pervolvet; in Theologia denique, praeter sedulam atque accuratam librorum divinorum lectionem, impressos penitus geret in animo atque in mente eruditissimos illos Religionis nostrae interpretes, Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, & Thomam etiam illum Aquinatem, qui, vel sequioribus temporibus, ordine quodam admirabili, miraque brevitate, totius sacrae doctrinae summam, Christianorumque omnium Patrum verissimas sententias complexus est atque illustravit. Quibus omnibus addet Graecae Romanaeque historiae, ex Herodoto potissimum & Thucydide, Livioque, ac Sallustio, atque ex aliis melioribus scriptoribus, ut Diodoro Siculo, & Plutarcho, antiquitatis totius cognitionem. Neque etiam recentiores negliget, qui, post restitutas a barbarie litteras, & ingenii praestantia & summa rerum omnium eruditione, ad priscorum prope laudes accesserunt. Quanquam eo libentius veteres, quam recentes scriptores adnumeraverim, quod a veteribus, veluti a fontibus rivi, omnem omnium doctrinarum copiam acceperimus, gratique animi sit ac maxime ingenui, de iis bene mereri velle, qui primi omnium de humano genere optime meruerunt. Sed tamen non se capi sinet incautus, aut decipi a magnificis phaleratisque inscriptionibus, quibus plerique aetate nostra vani insulsique scriptores sordidas suas mer-

ces

ces, ut fucum ementibus faciant, imperito vulgo ostentant, libros, inquam, tam barbaros atque horridos, tam inconditos atque ridiculos, tamque ineptiarum plenos, ut, posteaquam eos legeris, tam male tete operam in iis collocasse poeniteat. Nam quo quisque scriptor doctior est atque sapientior, eo quoque solet esse modestior, simplicioresque magisque perspicuos libris suis titulos praefigere, ut veterum praesertim exempla testantur. Haec omnia illae praestabit vir doctus ac sapiens, quem oratione jamdudum efformo; superflua omnia atque inutilia studia resecabit; nunquam otiosum sese esse patietur; sed mercatores, avidissimum hominum genus, imitabitur, ut, sicut ii, opum parandarum caussa, non itinerum difficultate, neque navigationis periculo impediuntur, quominus domum, uxorem, liberos relinquant, vitamque mari suam atque praedonibus committant; ita nullum pro adipiscenda sapientia laborem ipse refugiat aut reformidet. Quantum putatis temporis eum compendium in longissimo illo disciplinarum cursu esse facturum? quam cito eum ad sapientiam, perfectamque rerum omnium doctrinam perventurum? Latissime aetas nostra patet, Auditores, atque ad omnem rerum omnium maximarum scientiam abunde nobis sufficit: sed eam nos ipsi imprudenter ac stulte contrahimus, dum quibus in rebus minus oportebat, studia nostra occupamus, atque, ut uno omnia verbo dicam, cum veteri Poeta, *exigua pars est vitae, quam nos vivimus*: frustraque postea dolemus, tempus nobis ad litterarum studia deficere, quum nos ipsi nobis ac tempori defecerimus. An non enim longissimam ad meliora studia Graecorum illorum vitam crederes, quibus etiam vacabat curiosius in fabellas inquirere, & quot Ulyssem remiges comitati fuissent, studiosius perscrutari? O magnos homines in nihil agendo occupatos! qui tamen perditi temporis culpam aut in-

in naturae nostrae infirmitatem, aut in circumstantia undique negotia, derivare consueverunt. Tu vero, adolescens, recte aetatem partire tuam, nec eo tempore apud Grammatistas importune detineare, quo gravioribus tibi disciplinis opera impendenda esset; sed, quo breviorem discendi commoditatem breve adolescentiae tempus pollicetur, eo tibi magis ad sapientiam properandum esse intellige. Non ego a te quidem certe Didymi labores exigam, quem sane hominem tam assiduum ac propemodum ferreum in scribendo fuisse ajunt, ut quatuor librorum millia (mirum dictu!) exaraverit. Imbecilliores sunt fortasse vires tuae, quam ut dies noctibus, noctes diebus, sine ulla vel honestae remissionis interruptione, in disciplinis addiscendis conjungas. Sed illud tamen exigo, ut diligentia, qua una virtute, ut bene Tullius ajebat, reliquae continentur, vitae brevitatem compenses: exigo, ut nulla male collocata diei parte, quam longissimam adolescentiam efficias: exigo, ut tecum versari ipse scias, &, si societatem amas, studiorum tuorum comites, seu potius duces, viros totius antiquitatis doctissimos nanciscare, qui te recta ad sapientiam perducant: exigo denique, ut tempore uti discas, & vivere. Quod si, sedatis perturbationibus animi, diligenter didiceris: tum demum apparebit, quam in longa vita brevis tibi sit liberalium omnium artium, atque doctrinarum cursus futurus. Nunc vero, si vos, adolescentes, maxime commovent exempla, quibus ad animos quamcunque in partem pertrahendos atque impellendos nullum fortius validiusque argumentum inveniri unquam potest: superiorem omnium temporum jam inde ab ultima vetustate memoriam vobiscum ipsi percurrite; & non eos modo, quos ita hactenus laudavimus, ut multo omni laude majores viderentur; sed & longe plures invenietis, qui, quum ab omnibus artibus liberalibus atque disciplinis in-

instructissimi fuerint, plenissime inde clarissimeque ostenderunt, ad omnem nos rerum omnium scientiam adspirare posse, eorum si exempla sectemur. Quid enim dicam de Eratosthene, quid de ceteris, quos a quincuplici, hoc est, ab universae doctrinae atque eruditionis genere, quo plurimum praestiterunt, translato eleganter a quinque certaminum victoribus vocabulo, quinquertiones appellarunt? Nam, quod ad Theophrastum quidem, quem diximus, attinet, illa ipsa ejus, quum moreretur, de brevitate vitae querela, satis demonstrat, omnes eum artes ingenuas perfecte calluisse, quippe qui sese tum, quum, quae ignorabat, videre coepisset, extingui quereretur: quanquam nimium illud hominis omnium artium perficiendarum studium faceret, ut, qui in omni doctrina erat maxime eruditus, tamen ipse sibi minimum scire videretur. Sed quemadmodum summis illis & sapientissimis viris pulcherrimum fuit ad omnem eruditionem praeire: ita etiam atque etiam videte, adolescentes, ne turpissimum vobis sit, minime illos subsequi, quorum plerisque eadem, quae vobis maxima suppetunt, discendi subsidia defuerunt. Nescio quem enim veluti stuporem in aliquorum vultu legere mihi videor, quos ad honestissimam maxime aemulationem excitari oportuerat, ut, quam in aliis amabant, atque suspiciebant, doctrinam assequi ipsi pro viribus conarentur. At enim adolescentium nostrorum ingenia tardiora longe esse videntur, quam ut cum maximis illis atque perspicacissimis aetatum omnium, totiusque antiquitatis ingeniis comparari ullo modo possint. Verum, ut summorum illorum hominum, quos in omnibus disciplinis perfectissimos fuisse constat, laudibus nihil detrahendum putem; quam tamen ingenii tarditatem non vincit amor veritatis, vigilantia, assiduitas, labor, atque, ut uno omnia verbo complectamur, diligentia? Modico vir ingenio fuit Ephorus, in

quo

quo se calcaribus uti solere, sicuti contra frenis in Theopompo, eloquentissimus ille Graecorum rhetorum orator, Isocrates dictitabat. Quam boni tamen scriptoris Ephorus partes omnes implevit! Tardissimo ingenio fuit Cleanthes, quem arieti Timon merito comparavit. Quam egregius tamen Philosophus Cleanthes evasit, qui Stoicorum principi Zenoni tam sedulo adhaesisse fertur, ut, quae ab illo audierat, testae ossibusque inscribere, chartarum inopia soleret, neque indignus, qui tanto philosopho succederet, unus e multis judicaretur! Mediocri etiam fuit ingenio Cornelius Celsus. Quam multa tamen Celsus de omnibus fere artibus conscripsit, itaque docte atque erudite, ut omnia illa scivisse visus fuerit! Vos appello, recentis etiam memoriae viri doctissimi, atque eruditissimi, & de Latinis Graecisque litteris restitutis optime meriti: quorum tamen nonnullos in rebus primum percipiendis tardiori obtusiorique ingenio fuisse accepimus, diligentiaque sua fecisse, ut, quae in doctrinis reconditiora atque abstrusiora erant, in veritatis lucem proferrentur. Absit tamen, quam longissime absit, Auditores, ut hanc genti Etruscae injuriam irrogari imprudenter patiar, ut aut adolescentes nostri summam rerum omnium maximarum scientiam desperare jubeantur, aut Etruscorum certe hominum ingenia tarditatis a quoquam insimulentur. Quae vero ulla tam excoulta humanioribusque omnibus artibus perpolita natio de ingeniorum acumine atque felicitate cum Etruscis hominibus contendat? quum paucos, & qui digito monstrentur, alibi locorum doctissimos viros enumeres; hic vero in Etruria, hic praesertim Pisis, in hac sede, in hoc musarum domicilio, tanta nunc sit; semperque antea fuerit maximorum ingeniorum ubertas, ut huc Athenae commigrasse tandem videantur. Agite igitur, adolescentes ornatissimi, pudeat vos a majorum vestrorum gloria

ria unquam deflectere, atque degenerare; pudeat, quam doctrinae vobis atque sapientiae laudem Patres vestri tradiderunt, non adaequare; pudeat Etrusco vos nomine censeri, & Etruscorum doctrinae minime respondere. Quid igitur vos a summa disciplinarum omnium scientia retardat unquam ac remoratur? Patrium nomen vobiscum ipsi perpendite, & cogitate, quam pacato otio, quantaque tum ceterarum rerum, tum optimorum studiorum commoditate, frui hic Pisis vobis liceat ad universum hunc doctrinarum orbem brevi percurrendum. Universas has doctrinas spectate, ad has rectis studiis contendite, quarum mira atque incredibili suavitate labores in discendo vestri levabuntur. Quod meum fuit, hoc pro viribus exsecutus sum, ut videtis, ut, quibus possem argumentis, ad sapientiae vos ac litterarum studia excitarem: facilis vobis ac brevis, reliquus erit omnium doctrinarum cursus, si id ipsum vobis persuaderi patiamini.

CAROLO . RINVCCINIO
VIRO . SVMMO
ET . VIRTVTE . ET . DIGNITATE
EXCELLENTISSIMO
PATRICIO . FLORENTINO
MARCHIONI . BASELICAE
EQVITI . ET . EQVESTRIS . ORDINIS . SVI
IN . PROVINCIA . VENETA . PRIORI
CAESARI . IN . ETRVRIA . REGENDA
A . CONSILIIS
ET . IN . RE . MILITARI . ETRVSCA . A . SECRETIS
OPERA . SEMPER . EGREGIE
IN . REM . ETRVSCAM . NAVATA
MAGNIS . QVONDAM . DVCIBVS . MEDICEIS
NVNC . MAXIMO . IMPERATORI
FRANCISCO . I,
OB . FIDEM . ATQVE . INTEGRITATEM
ET . PRVDENTIAM . PERCARO
ET . A . LITTERARVM . STVDIIS . PROTEGENDIS
VBIQVE . CELEBRATISSIMO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM . QVAM . IPSE
AD . ACADEMIAM . PISANAM
MAGNA . HOMINVM . FREQVENTIA
AC . CELEBRITATE
DE . LOTHARINGICIS . ET . MEDICEIS . LAVDIBVS
DIXERAT
ET . PISIS . EDIDERAT
ANNO . MDCCXXXVIII.
PVBLICI . DENVO . IVRIS . FACTAM
OPTIME . DE . SE . ET . STVDIIS . SVIS . PROMERITO
HONORIS . ET . GRATI . ANIMI . CAVSSA
L. M. Q. D. D. D.

ORATIO VI.

DE LAUDIBUS LOTHARINGICIS ET MEDICEIS.

Quod a Deo Optimo Maximo ego semper precatus sum, Patres sapientissimi, Auditores ornatissimi, ut nostra haec litterarum studia pacis & otii summa tranquillitate uterentur, &c, quod hic Pisis, loco ad litteras atque doctrinas pertractandas totius Etruriae maxime opportuno, sapientiae regnum Medicei quondam Principes fundaverant, magis magisque stabiliretur atque propagaretur ad gloriam Etrusci nominis sempiternam; id tandem, Magno jam Etruriae Duce, Francisco Lotharingo, divinitus nobis obtigisse, tum ceteris omnibus, qui Etrusco nomine censentur, tum nobis praesertim, ad quos maxima hujus felicitatis pars pervenit, summopere laetandum. Si qua enim aurea unquam tempora fuerunt, qualia Mediceis certe Principibus fuisse olim memorantur, profecto tempora haec sunt in primis aurea, cum felicitas, quam litteris omnibusque bonis artibus atque disciplinis in Pisano hoc Lyceo Magni illi Medicei Duces dederunt, aucta summe est atque cumulata Magni Ducis nostri Lotharingici liberalitate. An non vaticinatio illa fuit viri doctissimi atque eruditissimi, qui ante centum & viginti annos, quum eandem hanc provinciam, quae mihi demandata est, humanitatis atque eruditionis sustineret, & de insignibus Lotharingiae fami-

 liae

liae gentilitiis, quodam veluti numine afflatus, subtilius disputaret, tanquam ex Apollinis tripode, pronunciavit, bene omnino Lotharingae genti cum Medicea gente convenire, hujusque rei judicio esse lilia sex illa aurea, quae Duces Lotharingi ab Austrasiae Regibus, majoribus suis, insigne olim gentilitium acceperant: quorum quidem liliorum quaedam veluti radix in sex illis Mediceorum insignium orbiculis conspiceretur. Fuit illa sane divinatio. Neque vero illa insignia quidquam portendere, aut praemonstrare potuerunt. Sed est quaedam in animis hominum nescio quomodo aliunde impressa praesagitio, qua rem saepe, multo etiam antequam eveniat, praesentire divinitus videntur. Praesenserant igitur homines jam inde ab eo tempore, quo Christina illa Lotharinga, vice nepotis sui Ferdinandi Medicei adolescentuli, Etruriae cum imperio praesidebat, fore aliquando ut Ducibus Lotharingis avitum jam regnum, Etruria esset, &, quae beatissima tunc erat, Academiae hujus Pisanae & litterarum conditio, per Magnos Duces Lotharingos renasceretur. Quod si tanta hac fortuna, tamque admirabili & divina, nobis maxime laetandum, quis, quaeso, dies ad laetitiam hanc concelebrandam aptior atque accommodatior, quam hodiernus hic dies, quem studiis nostris auspicandis solemnem atque legitimum majores nostri esse voluerunt? Agite, Auditores, gestit oratio jam mea suam Etruriae, suam litteris, suam Academiae Pisanae felicitatem gratulari, & Lotharingicas simul, & Mediceas laudes, divinas illas atque immortales, praedicare.

Neque vero est dubitandum, Auditores, quin utraeque hae laudes sint cum litterarum laudibus conjunctae atque consociatae. Nam Mediceae quidem gentis quaenam magis propria ac praecipua unquam laus, quam quae a litteris litterarumque patrocinio, uberrime atque copiosissime dimanat? Intermortuae a septin-

gentis amplius annis erant litterae, bonae omnes artes atque disciplinae in situ & squallore jacebant, omnia barbaries efferaverat, lingua Latina ab elegantia & nitore suo penitus degeneraverat, summa in ignoratione Graecarum litterarum Latini homines versabantur, humanitas fere ipsa politiorque litteratura in oblivionem & desuetudinem venerat, elegantioribus quibusque & melioribus studiis nox apud Latinos sempiterna offusa esse videbatur. Quid plura? Graecia, illa, inquam, Graecia, quae tametsi plurimum jamdudum sordium contraxerat, tamen qualemcunque veteris eruditionis splendorem, ac veluti scintillam conservabat, Graecia, inquam, ipsa (dictu valde miserandum!) barbara evaserat, &, quae sedes olim ac caput humanitatis, arx jam facta erat atque propugnaculum barbariei, Graecaeque ipsae litterae exules atque extorres e patrio solo profugerant. Hic status erat, haec facies miserabilis litteraturae, cum Cosmus Medices ille senior, qui publico civium suorum decreto suae Pater Patriae est appellatus, accitis undique doctis viris, litterisque Latinis atque Graecis in clientelam receptis, enixus est, atque effecit, ut non Latium modo, sed etiam Graecia universa, in Etruriam commigraret: unde Cosmus, Latinis, Graecisque copiis egregie instructus, bellum barbariei intulit, eamque ex maxima Europae parte penitus profligavit. Quae vero Europae regio paullo excultior atque humanior, quo, reportata tandem a Cosmo pulcherrima clarissimaque omnium victoria, tropaeisque de barbarie perillustribus constitutis, non hujus victoriae fructus uberrimus pervaserit? Testis est Italia, ad quam e fonte illo Mediceo omnis doctrinarum omnium elegantia copiosissime profluxit. Testis est Gallia, quae non doctissimis modo atque elegantissimis viris e Cosmi domo in reconditis quibusque atque interioribus litteris exornata est atque exculta; sed etiam

scri-

ſcriptis venerandae antiquitatis, codicibus Graecis locupletata. Teſtis eſt Germania, ad quam omnis inde diffuſa eſt doctrina atque eruditio. Teſtis eſt Britannia, quae honeſtiſſimis hiſce atque optimis humanitatis ſtudiis ita inde, tamque ubertim eſt irrigata, ut, quum Graeca jam tum litteratura magno in pretio atque honore haberi coepta eſſet, Plato poſtea atque Ariſtoteles, non niſi Graece, in Oxonienſi Academia atque Cantabrigienſi praelegerentur. Teſtes denique omnes Academiae, atque omnia gymnaſia, quae ſtribligine antea ſermonis utebantur, poſtea, renatis per Coſmum Medicem litteris, ornate & pure, hoc eſt, Latine, neque Latine modo, ſed etiam Graece, loqui didicerunt. Sed haec initia veluti fuerunt renaſcentium atque repullulantium litterarum. Illa, illa litterarum reſtitutarum incrementa, cum, quae Coſmus ille Medices auſpicata inchoaverat, nepos ejus Laurentius perfecit atque abſolvit. Quae autem promeritis his Laurentii in optimas diſciplinas par unquam poſſit oratio inveniri? aut quid huc tandem, Auditores, afferri, quod dignum ejus ingenio, aut artium liberaliſſimarum, quas ille protexit, atque fovit, praeſtantia atque amplitudine videatur? quem etiam Laurentium avo ſuo Coſmo in eo longe praeferendum eſſe ajunt, quod ille aliorum, hic cauſſa etiam ſui, quippe litterarum optimarumque artium ſtudioſiſſimus, lectiſſimam ſibi atque locupletiſſimam bibliothecam comparaverit. Quid enim per Deum immortalem in univerſo diſciplinarum orbe fuit, quod Laurentius non omnibus numeris abſolvendum atque exornandum curaverit? quid in arte Oratoria, quid in Poetica, quod Laurentius non ad ſummum faſtigium evexerit? quid in Philoſophia, quod Laurentius non ad altiſſimum excellentis doctrinae gradum perduxerit? quid in Graeca ac Romana antiquitate, quod Laurentius e tenebris in lucem non evocaverit? Ille Latinas Grae-

caſ-

easque Musas non hospites modo, sed etiam contubernales, sibi esse voluit; ille doctissimos atque eruditissimos aetatis suae homines in familiaritatem suam recepit; ille, quibus res domestica angustior omnes ad summam doctrinam aditus intercludebat, facilem liberalitate sua aditum ad interiora quaeque atque recondita summarum doctrinarum patefecit; ille honorem litteris ac litteratis hominibus maximum detulit; ille, ut Graecos sibi undique libros, maximeque in Graecia, redimeret, nulli unquam operae, nullique sumptui pepercit; atque adeo, quemadmodum Barbari Graecos imperio, sic ille Graeciam bonis scriptoribus bonisque libris spoliavit. Quid? maxima haec Laurentii in litteras merita atque beneficia nonne hic nobis, in hac ipsa aula, intra hos ipsos parietes, ante oculos obversantur? Adeste huc, huc, inquam, adeste, non animis modo, sed etiam oculis, Auditores. Nam quod Pisana haec litterarum studia sedem hic fixam atque stabilem habeant, quod hic, in his aedibus, suo veluti in solio, sese sapientia magnifice regieque ostentet, quod haec undique gymnasia sapientissimorum doctissimorumque virorum, hoc est, sapientiae ipsius, vocibus frequenter & assidue personent, debemus nos Laurentio, qui sacras hasce aedes a fundamentis excitavit atque extruxit, sapientiaeque Pisanae, ac doctrinis omnibus dedicavit. Hoc vero tantum est, tamque prolixum ac singulare, Laurentii in litteras beneficium, ut, etiamsi, quae plurima ac summa Laurentius in litteras beneficia contulit, minime ipse omnium contulisset, unum ac solum ad laudes hominis in omnem aeternitatem celebrandas sufficeret. Quandiu namque nomen erit litterarum, nomen Academiae Pisanae, nomen Sapientiae Pisanae, nomen urbis Pisanae, tandiu Laurentii Medices nomen apud posteros praedicabitur. Hic ego quid dicam de Petro & Ioanne, Laurentii filiis? quorum alterum ferunt

runt tum in cetera omni litteratura, tum in Graecis litteris, adeo profecisse, ejus ut doctrinam, Graecique sermonis facilitatem atque elegantiam Graeci ipsi, qui frequentes Florentiam ventitabant, valde mirareutur; alter vero Pontifex Maximus creatus, Leoque Decimus appellatus, tam impense litteras coluit, tamque benigne atque liberaliter litteratos homines est complexus, ut, qui pater orbis terrarum legitimo suoque apud Christianos titulo vocabatur, pater etiam litterarum nuncuparetur, &, quod ad litteras humaniores attinet, aurea Augusti tempora Romae restituisse putaretur. O tempora illa Leonis Decimi vere aurea, cum summo homines ingenio amplissimis praemiis ad persequenda bonarum artium studia invitabantur, cum iis, qui veteres scriptores deperditos e tenebris eruissent, magna merces persolvebatur, cum doctrina atque eruditio in gradu dignitatis eminentiori collocabatur, cum Pontificis illius maximi atque doctissimi amores atque deliciae studia quaeque humanitatis habebantur, cum denique litterae Graecae atque Latinae Leonis Decimi liberalitate altae atque sustentatae, incrementa multo omnium maxima accepisse videbantur. Quis hic vestrum, Auditores, sibi facile persuadeat, post Leonem illum Decimum, aucta jam summis opibus atque honoribus litteratura, ad talem hanc & tantam Mediceorum hominum erga litteras beneficentiam quidquam unquam adjici atque adjungi potuisse? Et tamen, Cosmo illo Magno ad Etruriae postea principatum evecto, tanta facta est meritorum Mediceae gentis erga litteras bonasque disciplinas accessio, ut clarissima illa atque splendidissima superioris memoriae exempla, veluti lumen stellarum luce Solis, Cosmi Magni, reliquorumque Magnorum generosae illius stirpis Ducum studiis & liberalitate obscurata quodammodo fuerint atque offusa. Qua enim Cosmus sapientia erat, incredibili ac propemodum

dum

dum divina, quum in parvo mediocrique imperio magnam Augusti fortunam studiose aemularetur, industriam omnem suam in eo etiam posuit, ut Augustum ipsum in liberalibus artibus protegendis atque ornandis non aequaret modo, sed etiam superaret. Deus immortalis! Potestne quidquam majus, atque etiam admirabilius dici, quam Cosmum Medicem, Ducem illum Etruriae, imperii magnitudine, & armorum potentia, tanto minorem Augusto, multo Augusto majorem beneficiorum erga litteras magnitudine exstitisse? Augustus, maximus ille terrarum orbis imperator, omniumque gentium Romani orbis dominus, pecunias non adeo multas in litteratos homines non adeo multos impendit: neque haec quantacunque ejus in litteras optimasque artes liberalitas valde diuturna fuit; sed vitae ejus terminis circumscripta est atque definita. Cosmus, Dux Magnus Etruriae, multo ille quidem minor dominator, Etruriae suae totius thesauros in litteras fovendas atque amplificandas profudit: neque hanc liberalitatem suam passus ipse est secum extingui, aut ad paucos duntaxat homines pertinere; sed eam ad plurimos longissime latissimeque propagavit, atque ad omnem posteritatem. Quis enim Academiam hanc Pisanam, lucem Etruriae, arcem omnium doctrinarum, domicilium ac sedem sapientiae, labentem fere hominum negligentia atque inclinatam, reparavit atque instauravit, nisi Cosmus? quis eam jacentem atque afflictam excitavit, nisi Cosmus? quis, studiorum bonarum artium jam pretiis imminutis, nudam antea atque inopem, certis atque annuis beatioris feliciorisque Etruriae proventibus locupletavit atque auxit, nisi Cosmus? quis liberales omnes disciplinas, quae hic Pisis a summis & celeberrimis viris docerentur, egregie perpetuoque dotatas reliquit, nisi Cosmus? quis denique, nisi Cosmus, hanc ipsam Academiam, summis summae doctrinae atque eruditioni praemiis tributis, nec nisi summis totoque orbe claris hominibus in

Academicorum collegium cooptatis, eo honoris atque dignitatis extulit, ut nulli cuiquam celeberrimarum toto terrarum orbe Academiarum secunda, plurimarum certe esse tunc princeps videretur? Quibus ego te laudibus efferam, Cosme, cujus solerti cura atque providentia bonae omnes artes atque disciplinae, earundemque artium praeclarissima quaeque ac nobilissima studia, non ad Etruriae modo atque Italiae; verum etiam Europae totiusque terrarum orbis, utilitatem, recreata sunt atque refloruerunt? Benefactum hoc tuum, divinum est atque immortale, neque unius hominis ingenio atque eloquentia satis pro dignitate celebrandum. Mitto, Cosme, ceteras virtutes tuas, mitto belli pacisque artes eximias, mitto sapientiam illam tuam singularem, qua quum Etruriae tuisque populis summam felicitatem pepereris, verissimum re ipsa comprobasti, quod philosophorum sapientissimus divine ac sapientissime protulit, beatas tum demum fore Respublicas, in quibus aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Optimam hanc Cosmus atque pulcherrimam hereditatem posteris suis Magnis Ducibus Etruriae Mediceis reliquit: qui omnes quum, pro suis quisque viribus, eam auxerint atque amplificaverint, optimorumque Ducum partes universas bene praeclareque expleverint; tamen eorum quisque eo melior atque laudabilior censeri & potest, & debet, quo propius atque perfectius Cosmum illum Magnum imitatus est, &, tanquam absolutum regnandi exemplar, tum in ceteris aliis rebus, tum maxime in litterarum, Pisanique hujus Athenaei patrocinio, retulit in semetipso atque expressit. Quo majori nobis nunc gaudio exultandum sit, quod regnum hoc Etruriae a Magno illo Cosmo bonis auspiciis, ac virtute fundatum, tandem veluti per manus ad Franciscum III. Lotharingiae Ducem, devenerit. Sentio, me paullatim, Auditores, in eam orationis meae partem

esse

esse delapsum, quae est de laudibus Lotharingicis: cujus quidem orationis in tanta rerum copia nihil difficilius sit, quam modum & certam quandam rationem tenere. Nec vero mihi nunc propositum est laudationem panegyricam facere. Nam si artifex ille, & pater eloquentiae Isocrates, cujus domus officina quaedam fuit dicendi, decem, aut etiam, si Deo placet, quindecim annos fertur panegyricam orationem suam de Atheniensis urbis laudibus elaborasse: qui ego me sperem, mediocri hominem ingenio, ac tenui, seu nulla potius eloquentia, intra perbreve hoc tempus, orationisque hujus meae angustias, divinas tuas, Magne Dux Francisce, majorumque tuorum laudes satis commemoraturum? Conabor tamen, quantum potero, partem aliquam earum laudum attingere atque delibare. Quanquam, cum maximis modo laudibus Mediceos homines, ac Magnos Duces afficiebam, multo potiori jure heroes quodammodo Lotharingos collaudare ipse mihi videbar: qui a bonarum litterarum patrocinio, atque a ceteris omnibus pacis artibus praeclarissimis, eo mihi magis celebrandi esse videntur, quod militari etiam fortitudine praestiterunt, & pericula plurima atque gravissima, quae in rem Christianam ab hostibus immanissimis imminebant, armis atque victoriis a Christiano longe orbe propulsarunt. Iam vero, constituto Magno Etruriae Duce Francisco III. Lotharingo, quanta & quam incredibili voluptate gens Etrusca perfusa est, cum plane liquidoque perspexit, Magnos sibi nunquam optimosque Duces defuturos, qui rem Etruscam Etruscique nominis majestatem servarent atque augerent. Quod quum tute, Francisce, Etruriae jam tuae plene cumulateque praestiteris, quo te unquam nomine appellem? Tu salutis nostrae auctor, tu Etruscae dignitatis assertor, tu pristinae nostrae felicitatis restitutor, tu pater nobis patriae. Tua enim jam Lotharingia, Francisce, nostra

haec Etruria. Haec tibi domus paterna, hoc tibi avitum regnum, haec tibi patria, Etruria: quae a te servata, patrem quoque te suum, amoris atque honoris gratique animi caussa, agnoscit, confitetur, cunctisque omnium suffragiis appellat. O nos beatos, quibus datus es divinitus pater, & talis pater, qualem neque meliorem, neque nostrum amantiorem, optare nunquam potuissemus! O beatam felicemque Etruriam, quae in extremum paene discrimen salutis adducta, sic inde, te auctore atque auspice, evasit, ut nunquam antea beatior atque felicior fuisse videatur! O diem illum fortunatum, & melioribus plane lapillis nobis consignandum, quo, miro ordinum omnium Etruriae consensu, maximoque populorum plausu, Senatu Florentino verba praeeunte, atque in ea verba jurante, sanctissimo jurejurando tibi nos devinximus, tibi nos nostraque omnia libentes volentesque tradidimus, tuosque nos fore, perpetuoque tibi, tanquam optimo & clementissimo patri, subjectos atque obedientes polliciti sumus! Illud enim mehercule initium ac fundamentum totius nostrae felicitatis. Quoniam vero maxima pars felicitatis est securitas, sine qua beata civium vita nullo modo esse potest: quae & quanta est, Auditores, nostra haec felicitas, quorum summa atque firmissima est per Magnum Ducem nostrum Franciscum Lotharingum securitas! Quis enim Francisco aut ad bella profliganda, ac repellenda fortior, aut ad pacem & tranquillitatem tuendam sapientior? Minervam, quae dea est sapientiae, fabulati sunt Poetae, humaniorum simul litterarum disciplinis ac bellicis rebus praesidere: ut hac nimirum ratione significarent, utramque illam & militiae & sapientiae laudem sociatam inter sese plerumque esse atque conjunctam. Quotus enim quisque est ab omni hominum memoria summorum ducum, atque imperatorum, qui non etiam sapientiae atque litterarum libera-

ralissima studia excoluerit, atque in utraque illa & sapientiae & fortitudinis laude non quam maxime excelluerit? Testem cito Alexandrum illum Magnum, testem C. Iulium Caesarem, testem Carolum illum Magnum, testes Duces Lotharingos, viros fortissimos atque sapientissimos, qui militiae & litterarum studia superioribus semper temporibus acerrime consectati, utraque illa simul laude summopere floruerunt. Sed, quoniam ita natura comparatum est, ut quae una in familia in varios diversosque subinde homines summa atque praeclara dispersa fuerant, in unum aliquando divinitus congregentur, atque conveniant; quis, quae Ducibus singulis Lotharingis praecipua antea atque eximia fuerunt, belli ac pacis ornamenta, non simul omnia in unum tandem Franciscum collecta esse fateatur? quem Imperator Caesar Carolus, qua est sapientia, singulari ac paene divina, unum omnium dignissimum judicavit, cui filiam suam natu maximam, eandemque regnorum suorum heredem, Theresiam Austriacam, eximia pulchritudine ac sanctimonia feminam, omnique virtute ornatissimam, in matrimonium collocaret. Bellicae illae artes sunt, quae in summo imperatore requiruntur, scientia rei militaris, virtus, auctoritas. Quis autem Francisco rei militaris scientior, qui parva manu innumerabiles hostium copias aut vicit, aut repressit, aut retardavit? Quis virtute Francisco praestantior, qui in summis atque gravissimis periculis exemplum sese fortitudinis bellicae militibus ad imitandum proposuit, summaque innocentia, fide atque temperantia bella administravit? Quis propter magnam heroicae cujusdam atque excellentis virtutis opinionem, auctoritate Francisco illustrior, quem sic reveriti sunt milites ac coluerunt, nulli ut alteri cuiquam imperatori obedientiores sese atque obsequentiores vel in maximis discriminibus praestiterint? Iam vero quum pacis artes va-

riae ac plurimae sint, eaeque omnes praeclarissimae simul atque difficillimae, quibus populorum quiete inter sese, & cum finitimis agentium tranquillitas fere atque felicitas continetur, quis ab iis omnibus artibus non summis ad caelum laudibus Franciscum extollat? Experta est nuper maximo suo bono & experitur Etruria, quanta is cura atque providentia populis suis consulat, quam legitime atque aequabiliter justitiam administret, quam recte atque sapienter clementia justitiam temperet, qua & quanta aequitate summi juris rigorem mitiget, qua & quanta prudentia omnes res civiles moderetur, quam amantem denique sese suorum & publici boni studiosum exhibeat. Haec omnia, procul a nobis agente Magno Duce nostro Francisco III. Lotharingo, reique Christianae caussa difficillimum & gravissimum bellum cum barbaris impiisque hostibus in ultimis Pannoniae finibus gerente, haec, inquam, omnia, quae dixi, beata felixque Etruria sentit interea atque experitur per viros prudentissimos atque sapientissimos, quibus ille vice sui rem Etruscam regendam commisit. Qua ipsa in re quis divinam vereque singularem Magni Ducis nostri sapientiam non admiretur, qui ipse per sese discreverit, summaeque rei Etruscae viros tales praefecerit, qui de publicis privatisque rebus deliberaturi, fidem semper ac probitatem in consilium adhibeant? aut quis paullo prudentior atque perspicacior animi consiliique ejus magnitudinem non inde facile metiatur atque suspiciat, quod viros vitae integritate atque sanctimonia, virtutisque atque ingenii excellentia magnos per sese atque illustres, ad rempublicam nomine suo administrandam admoverit? Quod si ille absens longeque remotus vim beneficentiae suae talem ac tantam late in Etruriam diffundit: quid fore unquam censeamus, si ipse per sese Etruriam invisat, ipse semet Etruriae spectandum ac fruendum praebeat, concurrentem ad sese Etruriam, sibique omni laetitiae gestu plauden-

dentem, ipse amanter complectatur? Atque haec porro votorum Etruriae summa est; idque unum ac solum superest ad perfectam atque absolutam Etruriae felicitatem. Liceat vero jam mihi, Magne Dux Etruriae, Francisce, quando non licet praesentem, absentem te alloqui, tuaeque tibi Etruriae sensa & communia nostrum omnium vota publice exponere. Scio maxima tibi imperia esse olim divinitus destinata, nec potentiam ac majestatem tuam angustis Etruriae finibus inclusum iri; sed ad alias quoque maximas gentes eam sese esse longe lateque explicaturam. Manent te regna, manent te imperia amplissima atque opulentissima, &, qui Magnus nunc Dux, Magnus olim Rex nominabere. Haec omnia scio, ut multa saepe soleo in hac rerum humanarum vicissitudine atque varietate in posterum providere. Verumtamen, Magne Dux, tua tibi se Etruria, quae te patrem ac dominum jure jam suo, ac certo habet, unice ac praecipue commendat. Iam vero, te Magno Duce, novo hoc suo atque eximio splendore Etruria mirum in modum laetatur, jamque omnino, Francisce, ac certissime sperat, te dominum ac regem suum omnem desiderii sui exspectationem adventu tuo brevi esse expleturum, ut tuo ipsa sub imperio in suam pristinam potentiam ac magnitudinem restituatur. Ac videor jam mihi universam Etruriam, sedibus suis veluti relictis, obviam tibi prodeuntem; jamque te triumphali pompa, inter populorum plausus atque acclamationes, in nobilissimam hanc atque clarissimam, quondam etiam totius Etruriae potentissimam urbem, Pisas, jamque in Museum hoc Etruriae, in hanc nostram Academiam, atque in hoc ipsum magnum sapientiae atque in eloquentiae Gymnasium, ingredientem videre; itaque jucundissima hac dulcissimaque cogitatione abripitur atque exultat animus meus, vix ut mihi temperem, quin tibi, quasi praesenti, orationem de laudibus tuis,

tuis, qualem me certe habiturum esse confido, habeam nunc ex hoc ipso summae auctoritatis loco panegyricam. Nunc vero in communi hac Pisarum, totiusque Etruriae exspectatione, quid Pisis, quid litterarum studiis, quid nobis, qui studia haec litterarum profitemur, hodieque a nomine tuo, veluti tutelaris cujusdam numinis, bonis ominibus ac votis auspicamur, quid tandem matri huic studiorum, florentissimae huic totoque terrarum orbe celebratissimae Academiae, de patrocinio ac liberalitate tua non sperandum? quando aurea illa litterarum ac doctrinarum tempora, illa, inquam, tempora, quae hic Pisis sub Christina Lotharinga heroina, florentibus maxime propter praemiorum ubertatem atque opulentiam litteris, fuerunt; Magno jam te Etruriae Duce, Francisce Lotharinge, aucta atque amplificata studiorum nostrorum dignitate, multo etiam beatiora atque feliciora redierunt.

FRAN-

FRANCISCO . GVICCIARDINIO
COMITI . PATRICIO . FLORENTINO
VIRO . CLARISSIMO
ET . NOBILISSIMO
ET . DE . OPTIMIS . LITTERARVM . STVDIIS
PRAECLARE . MERITO
QVOD . MAIORVM . SVORVM . VESTIGIA
SECVTVS
NOBILITATEM . SVAM . IN . VIRTVTE
ATQVE . IN . LITTERARVM
ET . ERVDITIONIS . GLORIA . POSVERIT
SINGVLARIQVE . SEMPER . BENEVOLENTIA
DOCTOS . VIROS . COMPLEXVS . FVERIT
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . OPTIMORVM . STVDIORVM . ASSIDVITATE
AD . GLORIAM
GENTIS . GVICCIARDINIAE
SEMPITERNAM
D. D. D.

ORATIO VII.

DE OPTIMORUM STUDIORUM ASSIDUITATE.

Quamquam, quae in tanta tractandorum argumentorum copia multo utiliora, & ad diei hujus celebritatem, atque ad litteras promovendas opportuniora, visa mihi semper sunt, ea, quam potui, diligentissime, sum ego quotannis in his litterarum studiis auspicandis oratione mea persecutus; tamen fateor, tali ac tanto conatu meo id, quod mihi jam inde ab initio suscepti muneris proposueram, me nondum explevisse. Proposueram mihi, Auditores, summum in doctrina virum informare, & quam doctrinae atque eloquentiae formam omni ex parte perfectam atque absolutam animo meo conceperam, spectandam adolescentibus exhibere, cujus ipsi pulchritudine ad omne doctrinarum genus allicerentur. Neque vero inde aliud expectari posse videbatur, quam quod unusquisque sibi vestrum certissime pollicitus fuerat, summo ingenio adolescentes, sapientiaeque amore mirifice succensos, altissimum doctrinae atque sapientiae gradum esse assecuturos: cum ecce vobis, stulta quaedam ac falsa, quam plerique sibi adolescentes importune induerunt, summae doctrinae ac scientiae suae persuasio, de medio eos doctrinarum cursu, perniciosissimo sane ac maximo errore, revocavit. Neque enim ulla alia bonis litteris atque doctrinis tam detestabilis pestis

est, quam putare, ad summam te ante doctrinam pervenisse, quam perveneris. Teterrimam hanc ingeniorum pestem ut ab adolescentium nostrorum animis longissime depellam, muneris mei esse duxi, hodierno die, in hac tanta doctissimorum hominum frequentia, breviter demonstrare, quo quisque doctior est, atque eruditior, eo majori studio in omnem ei doctrinam atque eruditionem esse incumbendum. Quod in me est, conabor equidem nihil dicere, quod non dignum loci hujus amplitudine, atque adolescentium nostrorum studiis esse videatur.

Ac profecto agitur hic, Auditores, de summa totius eruditionis atque doctrinae. Ceteri veluti gradus sunt, quibus ad summam rerum omnium scientiam adscendimus: hic apex, hoc culmen, hoc fastigium est, non certe quidem spectare, quid & quantum quisque in doctrinis profecerit; sed quid & quantum sit sibi adhuc ad summam perfectamque doctrinam proficiendum. Unde vero existimetis, viros, mortalium omnium judicio, & totius antiquitatis mirifica consensione, longe sapientissimos, tantos in doctrinis progressus facere potuisse, ut nihil non scire viderentur, nisi ex eo quia sibi ii certo persuaserant, sese minimum ac nihil fere scire? Inde enim maxime movebantur, ut multarum magnarumque rerum scientiam, quam sibi deesse perspiciebant, multo laboriosius atque diligentius perquirerent. Unde enim Chrysippus, non ipse modo totam vitam suam in bonarum artium, ac praesertim in Dialecticae studia accuratissime impendit; sed, quum de liberis educandis optima praecepta conscriberet, nullum etiam vel infantilis aetatis tempus vacuum a litterarum cura esse permisit, nisi ex eo quia abiiciendae rerum ignorantiae totum vivendi spatium minime satis esse judicavit? Unde illa etiam non Hippocratis modo & Theophrasti; sed etiam totius generis humani de brevitate humanae vi-

vitae querela, nisi ex eo quod multa adhuc mortales, cum vita eos deficit, ignorant? Unde illa quoque Aristotelis, summi & sapientissimi viri, in veteres philosophos accusatio, qui philosophiam suis ingeniis perfectam credidissent, quos quidem philosophos Aristoteles aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse ait, nisi ex eo quia multo illi plura de philosophia nescieran , quam didicissent? Quamquam nihilo iis, hac certe in parte, seu prudentior, seu modestior, censeri ipse debet Aristoteles, qui, quod paucis annis magnam philosophiae accessionem factam videret, brevi eam tempore plane absolutam fore existimaverit. Quasi vero, posteaquam multa perspecta, atque cognita fuerunt, non multo etiam plura cognoscenda adhuc superessent. Id, quod res ipsa, jam inde ab Aristotelis, & superioribus etiam Aristotele temporibus, abunde testata est, hodieque testatur, &, quod ego certissimus vobis vates futurum praedico, quoadusque philosophiae ac litterarum studia vigebunt, in saeculorum omnium posteritatem testabitur: optimum nimirum & doctissimum quemque philosophum plurima adhuc ignorare, multaque & magna, quae ipse prorsus nesciat, per totam quotidie vitam addiscere. Quis enim ante Aristotelem perfectior in doctrina Democrito, quem ita in philosophia versatum fuisse ajunt, ut & Physica & Ethica & Mathematica, & disciplinarum humanitatis orbem, artesque universas tenuerit? Et tamen Aristoteles negat, ullum prorsus superioris memoriae philosophum philosophiam numeris suis absolvisse. Quis paullo ante Aristotelis tempora, atque ipsis etiam Aristotelis temporibus, Platone, philosopho plane divino, rerum omnium scientior, qui disciplinis omnibus Atheniensium mire eruditus, in Italiam ad Pythagoricos, in Aegyptum ad Sacerdotes, sapientiae addiscendae caussa, navigavit? Quis ipso Aristotele? quis, post Aristotelem, Theophrasto?
quis

quis ceteris, qui in scholam Peripateticam successerunt, viris doctissimis atque sapientissimis, certe quidem in iis, quae ad sapientiam pertinerent, versatior atque eruditior? Quid Peripateticos dico? quum principes ceterarum omnium sectarum philosophi, quum astrologi atque mathematici, quum medici atque jurisconsulti, quum ii etiam, qui res sese divinas interpretari profitentur, Theologi, nervos omnes ingenii, longissimo temporum spatio, in eo unice contenderint, ut reconditiora quaeque atque abstrusiora in medium exponerent, atque explicarent, summis his & perfectissimis viris quis omni doctrina rerumque maximarum notitia excultior? Qui tamen omnes, tantum abfuit, ut vigiliis ac laboribus suis summam atque perfectam omnium rerum, tum divinarum, tum humanarum, caussarumque, quibus hae res continentur, scientiam, quam ipsam volunt esse sapientiam, assequerentur; ut ne ipse quidem sapientiae ac scientiae princeps Aristoteles rem non magni admodum momenti, sed curiosioris subtiliorisque inquisitionis, Euripi illius Chalcidici naturam ullo unquam studio explorare atque expiscari potuerit. Neque vero est negandum, Auditores, quod res ipsa palam loquitur, multa viros illos sapientissimos praeclare excogitasse atque detexisse, quae occulta antea, atque in quibusdam veluti ignorantiae tenebris abdita fuissent. Sed ut multa illi investigaverint, eruerint, cognoverint, quam multa etiam eos fugerunt! quam multa etiam in caelo & in terris, & in omnibus liberalissimis artibus atque disciplinis iis penitus latuerunt, quae alii post alios assiduo studio ac labore potuerunt tandem deprehendere! Satis vos hinc intelligitis, Auditores, in hac tanta obscuritate atque ignoratione rerum, quantum docto cuique viro ad summam rerum omnium scientiam enitendum sit, praesertim si ipse est a doctrina atque eruditione instructior. Nam quo quisque doctior

eſt atque ſapientior, eo etiam plura atque majora agnoſcit ſeſe ac videt neſcire. O magnos illos & ſapientes viros, quibus magna quaedam ſcientia, atque adeo pars prima ſapientiae viſa eſt, ſcire, ſeſe minime omnium eſſe eruditos! O Socratem! o viros illos ſapientiſſimos, qui hoc unum ſeſe ſcire, apertiſſime profeſsi ſunt, ſe nihil ſcire! An vero, quum optimae omnes artes honeſtiſſimaeque diſciplinae ita inter ſeſe connexae ſint atque conſociatae, ut, qui unam habet, alias ſibi ad veram ſolidamque ſapientiam adjungat, neceſſe ſit: quo quiſque una aliqua diſciplina eruditior atque exercitatior fuerit, non idem ipſe plane videat atque intelligat, eo etiam plura atque majora ad perfectam & conſummatam ejus diſciplinae cognitionem ex ceteris omnibus diſciplinis adjumenta ſibi ſcientiae eſſe penitus comparanda? Applicat ſeſe quis ad Theologiam, quae ex altiſſimis diviniſque omnino principiis ſumma eſt ſcientia rerum divinarum? quam magnam, & quam infinitam, & quam multarum ac magnarum rerum ſcientiam poſtulat Theologia, cujus quidem eſt ſummum atque acerrimum in res omues atque diſciplinas humanas judicium exercere! Theologiae enim eſt, ea omnia, quae ſeu voce, ſeu ſcripto, divinitus nobis tradita ſunt, atque ex afflatu divino veluti per manus ad nos tranſmiſſa, recte intelligere atque explicare. Theologiae, vim illam ſummae auctoritatis, quae in Senatu Chriſtiano, Senatuſque Chriſtiani principe, Pontifice Maximo, divinitus reſidet, perfecte tenere. Theologiae, rectum atque legitimum Chriſtianorum Patrum atque magiſtrorum uſum percipere. Theologiae, rationem ipſam humanam atque philoſophiam ſibi in ſubſidium adſciſcere. Theologiae denique, hiſtoriam rerum geſtarum, tum ab orbe condito, ortuque generis humani, tum maxime a Chriſto nato uſque ad noſtra haec tempora, perſpectam atque cognitam habere. Haec omnia ſunt Theo-

lo-

logiae. Studet quis Philosophiae? quam operosa res est, quantique studii ac laboris, & quot res ac quantas complectitur Philosophia, quae non res modo humanas, sed etiam divinas, quantum quidem per humanam imbecillitatem licet, suas per caussas contemplatur! Unde enim, nisi ex studii hujus magnitudine atque difficultate, Aristoteles, vir talis ac tantus, Platonem, talem virum ac tantum, viginti integros annos in Philosophia audivit? Operam dat quis Medicinae? Non tam quidem laboriosa, neque tam operosa Medicina, quam Philosophia; sed tamen quanti & ipsa, & quam operosi laboris! quum optimus quisque medicus, idem sit & philosophus, quod ostendit Galenus, nec bene callere possit medicinam, nisi qui & Arithmeticen, & Geometricen, & Astrologiam cognoverit. Ius quis civile consectatur? quanta porro cognitio illa juris civilis, & quam diffusa, quae est cognitio ipsius aequitatis! quum vel unus XII. Tabularum libellus de gravissima Crassi apud M. Tullium sententia, bibliothecas omnium philosophorum & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare videatur. Quam multa enim e Philosophia, quam multa ex historia gentiumque omnium consuetudine, quam multa ex Ethice ac Politice, itemque Oeconomice, ceterisque omnibus disciplinis, oportet, is hauriat, qui boni & aequi notitiam profitetur! Quid reliquas disciplinas artesque liberalissimas commemorem? quas quo quis interius inspexerit; eo alia plura ac majora scitu sibi esse necessaria fateatur. Quid commemorem Dialecticam, cujus certe est rationem per omnes artes atque disciplinas ad veritatem dirigere, eamque in differendo, verisque ac falsis dijudicandis moderari? Quo enim non pertinet Dialectica, cujus quidem est quacunque de re in utramque partem disputare? adeo ut Dialecticae prorsus sit quaecunque recta esse videtur & Theologiae & Philosophiae, & Medi-

di-

dicinae, & Iurisprudentiae ratiocinatio. Quid dicam de Mathematicis disciplinis? quid de Geometria? quid de Arithmetica? quid de Astrologia? Quid enim Geometria atque Arithmetica non ad Philosophiam modo, sed etiam ad Astrologiam intelligendam magis necessarium, quibus, quasi alis, quod ajebat Plato, evolare mens hominis e terris ad caelum videtur? Age vero, quale & quantum est studium illud Astrologiae; quam multis difficultatibus, & quam magnis, intricatum, quam multa illud & quam magna ab aliis disciplinis subsidia, praesertim a Physice, atque Optice, mutuatur! Quid hoc afferam τὰ μεταφυσικὰ, quorum tanta est cum astronomicis illis conjunctio, atque consociatio, ut viri longe sapientissimi ex vario eoque constantissimo orbium caelestium motu numerum atque naturam intelligentiarum, certo quodam firmoque argumento, collegerint? Percurrite hic, Auditores, universum illum disciplinarum artiumque liberalissimarum orbem, oppido amplissimum, multoque pulcherrimum, in quo discendi quisque studiosus sese ad doctrinam & eruditionem exerceat. Semper enim una doctrina aliam desiderabit, aliaque ex alia efficietur. Ipsa illa, quae minora atque tenuiora in eruditionis negotio esse videntur, quantum, Deus bone, habent laboris atque difficultatis, & quid & quantum scientiae sibi atque eruditionis deposcunt, ut quis in iis cum aliqua ingenii ac doctrinae laude versetur! Quid enim planius ac facilius historia? Quid historia laboriosius atque difficilius? quae & Geographiae & Chronologiae & Astrologiae scientiam exquisitiorem atque excellentiorem requirit. Quid dulcius atque jucundius Poesi? Quid Poesi operosius, atque eruditius? quae, fictis ad delectationem fabulis, aptatisque ad aures mulcendas carminibus, prima quaedam visa est naturae ac morum philosophia. Nam & quam magna rerum cognitione ac scientia Poetas excellere ne-

cesse sit, inde etiam intelligi potest, quod ἀείδειν, quasi valde intelligere, apposito ad rem exprimendam vocabulo, idem omnino Graecis valeat, ac canere, id, quod est proprium Poetarum. Quid tenuius atque jejunius Grammatica? Quid etiam Grammatica majus atque uberius? quae ceterarum omnium praestantissimarum artium atque disciplinarum scientiam suo sibi jure vindicat, & per omne scriptorum genus, per historicos, per poetas, per oratores, per philosophos, atque adeo theologos, latissime longissimeque pervagatur. Nam si Grammatici est, non poetas modo, sed etiam reliquos omnes scriptores, intelligere atque enarrare, cujus unquam generis eruditionis expers esse possit Grammaticus, qui nec sine musice metrorum, ac rhythmorum rationem explanet, nec sine siderum scientia poetas intelligat, nec sine philosophia Lucretium interpretetur, nec sine exacta maximarum quarumque rerum cognitione de scriptoribus judicet, nec sine summo judicio & multarum rerum peritia genuinos veterum libros, a falsis atque adulterinis discernat? Multa hic sane pervideat, oportet, Auditores, quae perspicere nullo modo potest, qui non ita sit in rebus grammaticis exercitatus. Nec enim cujusque est, Patavinitatem in Livio deprehendere; sed Asinii Pollionis, hoc est, hominis multo doctioris atque eruditioris, qui mentis quidem suae acie eo penetret, quo nequeunt alii minus eruditi minusque perspicaces; sed & idem ipse, quo plura scit atque comprehendit, eo etiam plura atque majora, semet sentiat ignorare. An vero, quum, veteri eoque optimo instituto, jam inde a teneris lectionem nobis a summis Poetis, ab Homero & Virgilio, summi ac sapientissimi magistri exordiendam esse praeceperint, putatis ne, simul ac principes illos Poetas legere primum quis incipit, divitias Graecae Latinaeque sapientiae universas sese ei in sinum veluti sponte effundere,

re,

re, &, quae ex intimis Philoſophiae fontibus uterque Poeta uberrime atque copioſiſſime hauſit, ſeſe ei in conſpectum dare? Minime prorſus, Auditores. Immo vero cum quis primum Homerum ac Virgilium legit, miram ille quidem ex fabulis voluptatem percipit, animoque etiam ad heroici carminis altitudinem atque ſublimitatem aſſurgit, ſpiritumque item ex rerum magnitudine virilem ducit, & optimis quibuſque imbuitur; ſed interiores illas atque reconditiores ſapientiae opes, quae ſub externo fabularum ac verborum cortice deliteſcunt, minime omnium contemplatur. Has relegendo paullatim intelligit, ita ut, quo doctior fit atque eruditior, eo majores amplioreſque in utroque Poeta ſapientiae atque doctrinae divitias, quas antea non viderat, ratione atque intelligentia comprehendat. Quod & in arte oratoria, & in qualibet liberaliſſima diſciplina ita fere uſuvenit, ut, quo quis in ea eſt eruditior, plura ſibi adhuc, quam ceteri, qui non eo eruditionis pervenerunt, addiſcenda eſſe perſpiciat. Atque hic Marcum Tullium, quem alias ſaepius, nunc etiam appello, ſummum & oratorem & philoſophum: in quem unum virum cunctas ſuas beatas copias ſapientia atque eloquentia effudiſſe ſimul videntur, qui quamvis non eas omnes artes, atque diſciplinas, quibus egregie inſtructus in forum proceſſit, ſemper in dicendo adhibuerit; tamen ubique, vel in minimis quibuſque rebus, veluti in quadam umbra & imagine ſui, ſemetipſe indicat, qualis vir & quantus extiterit, quamque in omni litteratura, in Geometria, in Aſtrologia, in reliquis Mathematicis, in Dialectica, Phyſica, Iuriſprudentia, Ethica, in ceteris omnibus diſciplinis, atque in omni Philoſophia, excelluerit. Quis enim Tullio in hiſtoricorum poetarumque lectione verſatior? in regionum locorumque deſcriptione accuratior? in argumentando acutior? in naturae cauſſis perveſtigandis perſpicacior? in

in civili vita prudentior? in bonis suadendis utilior? in omni philosophiae parte sapientior? in omnibus quaecunque de re disputationibus copiosior? Tullium igitur cum appello, testem appello locupletissimum atque gravissimum: qui, quum ab ineunte aetate ad omnem sese eruditionem paravisset, animumque suum omni doctrina, omnibusque sapientiae studiis excoluisset, doctusque in forum, non docendus, venisset, artemque dicendi ad summum fastigium evexisset, omnesque Graecorum virtutes, vim Demosthenis, suavitatem Isocratis, subtilitatem Lysiae, copiam Platonis, Aristotelis acumen, complexus in semet unus mirifice fuisset; tamen, quod multum sese & longe adhuc a perfecta sapientia atque eloquentia abesse animadverteret, aliorum sese disciplinae tota Asia atque Graecia de novo erudiendum, ac veluti recoquendum, tantus & philosophus & orator, tradere non dubitavit. Quod si ita est, ut certe est, si qui multo plus sciunt, quam ceteri omnes, ii etiam multo plus, quam ceteri omnes, se nescire intelligunt: quis non fateatur, Auditores, quod dictu admirabile quidem videtur; sed tamen verissimum est, quo quis magis in doctrinis profecit, eo sibi esse magis in doctrinas incumbendum? Accedit, Auditores, quod quo quis doctior est bonisque litteris excultior, eo etiam ab illo plura multoque majora merito requiruntur. Magnam enim vero personam sustinet is, qui doctrinam atque eruditionem profitetur. Est enim veluti commune quoddam oraculum non civitatis modo suae; sed etiam totius terrarum orbis, quod studiosi ubique eruditionis curiosique etiam homines de rebus gravissimis atque maximis, omniumque difficillimis, quae doctrinarum & humanitatis studiis maxime continentur, addiscendi caussa, consulant. Quid homini huic ignorare jam licet, quem reliqui de vulgo homines, ut de Longino illo rhetore ferunt, veluti vivam quandam bibliothecam, & mu-

& museum, ut ita dicam, ambulatorium, respectent; quem prae sapientia atque eruditione singulari planeque eximia, suspiciant atque admirentur, qui de interioribus & reconditis quibusque doctrinis interrogatus, debeat cuique hominum satisfacere? Quam diligenter, quam accurate, quam longo perpetuoque studio huic homini providendum est, Auditores, suae ut existimationi consulat, ut nequid turpiter ignoret, quod ad tuendum doctrinae atque eruditionis munus conducere quodammodo ac pertinere videatur! Ferunt, olim Themistoclem, quod in epulis lyram recusasset, indoctiorem habitum fuisse. Dicitur etiam Socrates, quod tribus suae suffragia numerare ex recepta consuetudine nescivisset, ridiculum sese in concione praebuisse. Ergo, si summis illis & sapientissimis viris, tametsi omni alio eruditionis genere ornatissimis, tamen dedecori fuit, aliquid nescire, quod extra sapientiae studia positum iis videretur, nec doctrina satis exculti iidem habiti sunt: quanto turpius atque ignominiosius fuerit homini, qui doctrinae atque eruditionis munus susceperit, in eo, quod professionis suae est rudem sese atque imperitum confiteri! qualem rhetorem illum memorat Fabius, qui, quid esset σχῆμα & νόημα, interrogatus, nescire sese respondit. Non est quidem turpe, Auditores, hominem de trivio, ea, quae oratoriae sunt artis, penitus ignorare. At ea nescire rhetorem, quid turpius? Non turpe est, rhetorem caussarum naturalium praeceptorumque bene vivendi ignarum sese atque imperitum dicere. At ignarum sese atque imperitum philosophum dicere, quid turpius? Non turpe est, philosophum de arcanis iis divinitatis, quae supra universum ordinem naturae, atque adeo ultra certos ac constitutos intelligentiae nostrae fines longissime altissimeque posita sunt atque collocata, nolle quomodocunque disserere ac disputare. At de arcanis divinitatis sive ad defendendum,

sive

sive ad explicandum, disputare nolle theologum, quid turpius? Non turpe denique est, alienum a sapientiae studiis hominem in plurimarum & maximarum rerum ignoratione versari. At in hac maximarum rerum ignoratione versari studiosum hominem sapientiae, quid turpius? Ergo, quum multo turpissimum sit, hominem, qui omne doctrinarum genus profitetur, genus aliquod doctrinarum minime tenere: quis non videat, quo quis doctior est, atque in orbe disciplinarum omnium versatior, eo magis magisque laborandum ei esse, ut, quam eruditionis atque scientiae partem habet, in dies augeat atque perficiat? nimirum ut ad sermonis elegantiam majorem semper rerum scientiam adjungat, ut Latinorum Graecorumque scriptorum notitiam multo semper exactiorem adipiscatur, ut historiae non civilis modo ad usum Politices, sed etiam sacrae ad usum Theologiae, cognitionem multo sibi accuratiorem comparet, ut historiam quoque suae gentis suorumque temporum ad variam multiplicemque eruditionem multo curiosius atque exquisitius teneat, ut & Poetices, & Rhetorices, & Dialecticae, & Cosmographiae, & Chronologiae studia diligentius in dies persequatur, ut multo sese, quam antea, laboriosius in Geometria, & Astrologia, reliquisque Mathematicis disciplinis exerceat, ut operam multo frequentiorem, atque assiduiorem det juri civili, det rebus medicis, det Philosophiae, det Theologiae, ut semper de novo ad litterarum studia aggressus esse videatur. Neque vero doctrina vobis despondenda est, optimi adolescentes, ea ipsa re, quae vos maxime ad summam doctrinam acuere atque excitare debet, eo quia nimirum, quo quis plus in doctrinae atque eruditionis studiis proficit, eo etiam plus laboris atque diligentiae huic homini adhibendum est, ut doctior in dies atque eruditior evadat; perinde quasi nulla unquam ratione fieri possit, ut ad summam atque absolutam re-

rum

rum omnium maximarum ſcientiam idem ipſe aliquando perveniat. Quid? Putatisne, boni adoleſcentes, laboribus his veſtris, veſtraque hac incredibili induſtria fieri unquam poſſe, quod ingenii humani imbecillitas in tanta hac vitae noſtrae ac rerum caligine minime omnium patitur, ut quae nemini cuiquam vel ſapientiſſimorum ac doctiſſimorum virorum poſt hominum memoriam obtigit, ſumma perfectiſſimaque rerum omnium eruditio, haec vobis tandem contingat, cui nihil unquam adjici poſſit? Sed, etſi ita gignitur diſcendo eruditio, ut ſemper aliquid addiſcendum ſuperſit, num ideo nobis animus in comparanda doctrina abjiciendus, & non potius difficultati ipſi inſurgendum, illudque pugnandum, & enitendum, ut, ſi non ſummam omnique ex parte perfectam, certe, quam poſſumus, maximam rerum omnium ſcientiam acquiramus? Quid nobis, Auditores, ſtudiiſque noſtris factum fuiſſet, ſi, qui doctrinarum nobis facem praetulerunt, ita animati fuiſſent, ut, quia de perfectiſſima omnium rerum ſcientia deſperandum cuique hominum erat, non multo, quam antea, accuratius atque diligentius ad artes liberaliſſimas ornandas atque perficiendas laborandum ſibi exiſtimaſſent? Neque enim eae artes tam perfectae, quam nunc ſunt, ad nos perveniſſent, neque tam multa, eaque tam praeclara, quae ſuperiori memoria in quodam veluti profundo delituerant, in tantam hanc litterarum & doctrinarum lucem prodiiſſent, niſi, qui eas artes acquiſiverant, majori ſemper in eas ſtudio incubuiſſent. Ergo quum maximis illis & doctiſſimis viris ipſa ſummae doctrinae abſolvendae difficultas incitamentum diligentiae & laboris fuerit, intelligite tandem, adoleſcentes, quod me hactenus demonſtraſſe opinor, quo quiſque veſtrum magis magiſque in dies in doctrina atque eruditione proficit, eo majus atque acrius ſibi eſſe in litteris atque doctrinis ſtudium collocandum.

FRANCISCO . INCONTRIO
ARCHIEPISCOPO . FLORENTINO
VIRTVTE . PIETATE . GENERIS . NOBILITATE
SACRA . ERVDITIONE
BONARVMQVE . LITTERARVM . STVDIIS
CLARISSIMO
ET . DE . SCHOLIS . PIIS . OPTIME . MERITO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . LECTIONIS . ASSIDVITATE
OB . INSIGNIA . EIVS
IN . ORDINEM . SCHOLARVM . PIARVM
BENEFICIA
MEMORIAE . ET . HONORIS . CAVSSA
D. D. D.

ORATIO VIII.

DE LECTIONIS ASSIDUITATE.

SAepe ego miratus sum, Patres sapientissimi, Auditores ornatissimi, quid caussae sit, quare, quum plerique omnes adolescentes, eloquentiae atque artium liberalissimarum mirifico studio incensi, totos sese comparandae hic sapientiae tradiderint, atque ut universas perfecte doctrinas adipiscantur, in his scholis, atque in hac florentissimae Academiae celebritate assidue versentur: tamen eorum pauci, immo vero & paucissimi, summi perfectique oratores, atque in omni genere & varietate disciplinarum excellentissimi evadant. Equidem mihi cogitanti, atque in hujus rei caussam curiosius inquirenti, quum plures sese caussae offerrent: tamen, quae mihi penitus satisfaceret, nulla adhuc caussa occurrebat, non socordia adolescentum nostrorum, qui & ingenio sunt ad omnem rerum scientiam paratissimo, & operam dant praeceptoribus suis diligentem atque quotidianam, non incommoditas locorum atque temporum, quae loca ac tempora hic Pisis, aere saluberrimo, in placidissima quiete, rerumque omnium tranquillitate, atque in maxima egregiorum exemplorum copia, hortari nos vehementer ad litterarum studia videntur, non incuria denique, neque negligentia praeceptorum, qui stipendiis amplissimis atque honestissimis affecti, itaque a cura rerum domesticarum li-

berati & soluti, discipulis sese suis unice impendunt; ut, quales ipsi sunt, tales eos quoque, hoc est, omni doctrina & virtute ornatissimos, efficiant. Sed quum oculos atque cogitationem ad adolescentes illos paucissimos convertissem, qui summi in doctrinis essent atque perfecti, idque inter eos & mediocriter eruditos discriminis interesse animadvertissem, quod alteri parum commercii habent cum libris, satisque habent magistros attente suos audisse, &, quae ab illis audierunt, secum ipsi recoluisse, memoriaeque mandasse; alteri vero bonos libros dies noctesque pervolutant, in libris habitant, in libros sese abdunt, atque ingurgitant, libris denique non impallescunt modo, sed etiam immoriuntur; facile intellexi, unam hanc esse atque certissimam viam ad eloquentiam, & scientiam rerum perfecte comparandam, assiduam atque accuratam multorum eorumque bonorum librorum lectionem; atque in studiis hisce nostris instaurandis mei esse muneris atque instituti, regiam hanc viam adolescentibus commonstrare, qua ipsi non qualemcunque, aut unius soliusque disciplinae, sed summam, sed perfectam, sed omnium fere disciplinarum reconditam atque exquisitam scientiam assequantur.

Nam quod Annaeus Seneca, philosophus in primis gravis & severus, tum in epistolis suis, tum etiam alibi scriptorum suorum, multitudinem nimiam librorum improbare videatur, id eo sane pertinet, ut bibliothecas illas accuset, atque condemnet, quae non in rectum usum studiorum, sed in speciosam quandam pompam, atque, ut ipse ait, in vanum & inane spectaculum, hoc est, ornamenti duntaxat atque ostentationis caussa, compararentur: eosque etiam reprehendat, quorum sane varia atque inconstans lectio per omnia voluminum genera nullo certo definitoque discrimine discurreret ac vagaretur; quique ad mores dirigen-

dos

dos atque informandos multos sibi libros necessarios arbitrarentur. Et tamen gravissimus ille morum auctor & magister, cui id in primis atque adeo unice propositum erat, ut hominum mores sanctissima disciplina conformaret, atque instrueret, librorum amatoribus veniam sese plane daturum fuisse profitetur, si ex nimio optimorum studiorum amore, atque ex inexplebili quadam liberalissimarum disciplinarum cupiditate ardens hoc bibliothecarum studium proficisceretur. Perinde quasi diceret Seneca, ut ad animum rite sancteque componendum magna vis librorum parum conferat, ideoque culpa vacare minime ii omnium videantur, qui non studiorum honestissimorum caussa, sed in vanam quandam speciem ostentationis atque elegantiae, innumerabilibus fere atque pulcherrimis omnis generis libris bibliothecas suas adornant; tamen, si, quae doctissimorum atque eloquentissimorum hominum propria est, exquisita illa atque perfecta rerum omnium scientia atque eruditio quaeritur, tunc sane multis opus esse & bonis libris ad summam illam doctrinam atque eloquentiam adipiscendam: quare etiam in homine bono ac moderato acrius illud ac vehementius bibliothecae instruendae studium esse facile tolerandum, eo quia nimirum sine multa multorum bonorumque librorum lectione vacuum eum esse oportet atque inopem a scientia rerum, atque adeo a copia ubertateque orationis. Hanc esse Annaei illius Senecae sententiam, quis vestrum, Auditores, non inde etiam facile perspiciat, quod ipse Seneca ad Lucilium illum suum complura sese legere, & in aliena etiam castra, aliorum nempe ex aliis diversisque sectis philosophorum, semet saepius, tanquam exploratorem, transire, liberius ac palam gloriatur? qui, nisi plurima lectitasset, maximamque sibi ex sapientissimorum hominum scriptis rerum cognitionem acquisivisset, profecto nec, qualis habitus fuit, eru-

ru-

ruditionis suis temporibus princeps habitus fuisset, nec tanta orationis copia, quantam veteres in eo magistri mirati sunt, ac praedicarunt, omne genus studiorum atque scriptionis pertractasset. An vero censetis, Auditores, doctis & eloquentibus viris in tanta rerum atque disciplinarum varietate suppetere unquam posse, quod unaquaque de re, de qua interrogentur, ad auditores suos & eruditissime & copiosissime respondeant, nisi animos antea suos quotidiana bonorum librorum lectione excolant, atque inde summa omnium praeclarissimarum rerum, totiusque antiquitatis cognitione referciant, atque perficiant? Disputandum enim iis saepe est de moribus, de rebus publicis, de caelo, de elementis, de tota philosophia, de omni genere disciplinarum. Interpretandum est jus civile, illustranda superior memoria, de rebus denique omnibus, tum humanis, tum etiam divinis, differendum. Quam multa haec, quam magna, quamque infinita, quae nisi omnia penitus cognoscantur, falso sibi iidem summae rerum scientiae, summaeque eloquentiae laudem vindicaverint! Illa vero contra quam pauca, quamque modica, atque exigua, quae vel usu, tractandoque explorarunt, vel auditione acceperuut! Nisi siquis forte existimet, quae scientia atque memoria comprehendi unquam possunt, eos adhuc adolescentes a praeceptoribus suis omnia audisse, memoriaque tenuisse, aut ipsos per sese postea pertractasse, usuque didicisse. Quod si Peripateticus ille Phormio, qui nunquam hostem, neque castra vidisset, tamen ausus est coram Annibale, summo imperatore, de imperatoris officio, & de omni re militari sermonem bene longum ac copiosum habere; si Aratus, qui astrologiae minime omnium operam dedisset, tamen caelum ac stellas versibus ornatissimis atque optimis descripsit; si Nicander Colophonius, qui agros nunquam coluisset, tamen de re rustica carmen perquam praeclarum at-

que

que elegans contexuit, quae in exemplum proposita sunt a M. Tullio; si Cornelius Celsus, qui ea, quae scripsit, non certe quidem omnia, tractatione & usu cognovisset, tamen tam multa tamque diversa de omnibus fere artibus, & de re etiam militari ac rustica, medicaque conscripsit; si Hippias ille Eleus, si Gorgias, si Plato, si Aristoteles, si M. Censorius Cato, si Romanorum ille doctissimus Varro; si M. Tullius, qui omnes ea, de quibus sciverunt, magna ex parte non ab usu, neque a disciplina perdidicissent, neque vero perdiscere unquam potuissent; tamen plurima illa & sciverunt ipsi, & alios docuerunt, quae quidem exempla collegit Fabius Quintilianus: si sexcenti denique alii, summi & doctissimi viri, qui neque a magistris, neque a magistra rerum experientia eruditi de pluribus rebus fuissent, tamen maximarum rerum atque plurimarum perfectam cumulatamque scientiam habuerunt; unde eos putabimus, viros tales ac tantos, summam illam doctrinam atque eruditionem, qua ceteros longe mortales antecelluerunt, nisi ex libris cujuscunque generis, omniumque artium atque disciplinarum, studiose quotidieque lectitandis, hausisse? Inde autem ab amore doctrinae, & eloquentiae in doctis illis atque eloquentibus viris amor ille ardens librorum, studiumque illud incredibile bibliothecarum. Quo enim, Deus bone! ac quanto amore librorum Cicero tenebatur, qui semet haud posse dixit vivere, nisi in litteris viveret; nihilque sibi libris gratius esse posse; pascique sese bibliotheca, &, si Attici, amici sui, libros nancisceretur, semet Crassum divitiis superaturum, atque omnium vicos & prata contempturum esse affirmavit! Quis autem in omni litterarum genere versatior, aut quis eloquentior Cicerone? Quibus ac quantis in deliciis habebat libros M. Cato, quem tam avide libros legisse ferunt, ut libros non tam legere, quam helluari videretur, in ipsa-

psaque etiam curia, interea dum Senatus cogeretur, libros legere minime erubesceret? a quo etiam Catone ceteri, qui simili, atque ille, hoc est, inexhausta legendi aviditate afficerentur, helluones librorum festive sunt appellati. Quis autem M. Catone juris civilis, rerumque rusticarum, atque historiarum etiam peritior? Quale & quantum librorum perlegendorum studium C. Plinii Secundi, cujus in oculis habitare propemodum libri videbantur? quem, avunculum suum C. Plinius Caecilius narrat tam parcum temporis, tamque cupidum lectionis fuisse, ut ne coena quidem a lectione vocaret; quumque aliquando unus quidam de amicis lectorem nonnulla perperam pronunciantem interpellasset, doluerit sane Secundus, sese illa interpellatione decem amplius versus perdidisse. Quis autem Plinio illo Secundo scientior atque eruditior? Quam studiosus, quamque amans librorum M. Varro, cui quidem Varroni Iulius Caesar Latinarum Graecarumque bibliothecarum dirigendarum atque comparandarum curam commiserat? Quis autem unquam Romanorum doctior Varrone? Qua etiam & quam vehementi cupiditate librorum Aristoteles incendebatur, quem ajunt libros oppido quam pauculos Speusippi philosophi talentis Atticis tribus redemisse, primumque libros collegisse, & exemplo suo Aegyptiis regibus ad bibliothecam construendam praeluxisse? Quis autem Aristotele in omni philosophia, atque in omni rerum praeclarissimarum scientia illustrior? Neque vero ab alio unquam studio, nisi litterarum promovendarum atque propagandarum, illae olim instructae a regibus aliisque principibus viris bibliothecae, omnique librorum genere impensius atque sumptuosius locupletatae: ut copiosissima illa Alexandrina, cui Ptolemaeus Philadelphus Demetrium Phalereum, virum longe doctissimum atque eruditissimum, praefecit; illa, inquam, Alexandrina, ceterarum omnium biblio-

bliothecarum celebratissima, multoque magnificentissima, in qua septingenta voluminum millia, ut Attalica, seu Pergamena, in qua ducenta librorum millia, ut Byzantina, in qua centum & viginti librorum millia, ut Sereni Sammonici bibliotheca, in qua duo & sexaginta librorum millia, ut Romanae illae publicae bibliothecae multis librorum millibus refertissimae, undetriginta. O Graecas illas, o Aegyptias, o Latinas bibliothecas! O illos omnium rerum, omniumque artium atque disciplinarum, totiusque superioris memoriae thesauros pretiosissimos! Atque utinam, Auditores, bibliothecae illae ad nostra usque tempora perstitissent, easque nunc nobis invisere, earumque forulos, & pluteos, & cuneos totos perscrutari atque excutere liceret! Quam illud non jucundum modo, sed etiam fructuosum, optimis illis atque praestantissimis codicibus oculos nostros pascere, ingeniumque atque animum exsaturare! Quantae illud delectationis atque voluptatis, dedicatas ibi magnorum hominum atque philosophorum imagines conspicere, atque in iis Heraclitum oculis multo assiduoque fletu occlusis contueri, labris in immoderatos effusosque risus diffluentibus Democritum, distenta beneque curata cute Epicurum, latioribus humeris Platonem, brachio veluti ad disputandum exerto Aristotelem, alios totius antiquitatis sapientissimos viros, quo eorum quisque gestu, quoque oris habitu, & corporis fuerit, per otium contemplari! Quali nos & quanto gaudio in bibliothecis Graecis exsiliremus, si, quae amissa frustra nunc deploramus, praeclarissima summorum ingeniorum monumenta, in oculos forte nostros, atque in manus incurrerent, libri tot Aristotelis atque Democriti, aliorumque nobilium philosophorum, volumina tot Didymi, atque Aristarchi, aliorumque insignium Grammaticorum, Tra-

goediae tot Sophoclis, tot Euripidis; tot aliorum clarissimorum Poetarum carmina, tot orationes summorum Graeciae oratorum, tot denique libri historicorum, aliorumque omnis generis praestantissimorum scriptorum, quorum plane reliquias ex quodam veluti naufragio bibliotheca nobis Photiana servavit! Quali etiam quantaque laetitia in bibliothecis Latinis gestiremus nos atque exultaremus, si, quorum jactura damnum multo maximum Latinae litterae fecerunt, sese illa statim circumspectantibus nobis offerrent. Medea illa Ovidiana, Consolatio illa Ciceronis, ille Ciceronis Hortensius, tot alii Ciceronis libri, tot libri deperditi Titi Livii, tot libri Crispi Sallustii, tot etiam Trogi Pompeii, tot etiam libri Oratorum atque Rhetorum, tot libri Historicorum, Poetarum, Grammaticorum denique Latinorum, quorum aut paucula duntaxat fragmenta, aut nuda etiam ac sola nomina supersunt! Sed, quoniam praeclara illa veteris doctrinae atque eloquentiae monumenta, incendiorum atque temporum, sive etiam barbariei injuria, maxima ex parte perierunt, cur nos tale illud ac tantum damnum litterarum non, quo possumus, resarcimus? cur ex tanto hoc librorum naufragio tabulas, quas possumus, non arripimus? Neque enim mehercule parum, quid superest reliquiarum; sed de veteribus illis bibliothecis, seu potius veterum illarum bibliothecarum veluti residuis, multa certe adhuc reliqua sunt, Auditores, eaque, nisi ego vehementer fallor, in omni rerum praeclarissimarum, studiorumque liberalissimorum genere multo jam omnium optima, atque elegantissima: quibus dies, noctesque versandis ad omnem doctrinarum elegantiam, atque ad summam perfectamque eloquentiam pervenire facile possimus: praesertim quum, patrum nostrorum, nostraque etiam memoria, viri summo ingenio, tam sedulo tamque diligenter ad artes perficiendas, litterasque restituendas incu-

cu-

cubuerint, ut, dum vetustae illae bibliothecae aliis aliisque in dies doctrinarum copiis supplentur, incredibilis facta sit bonorum utiliumque librorum accessio, &, qui trecentis ante annis a librorum penuria, nunc, divino quodam munere, atque hoc mirabili typographiae compendio, ab immensa jam librorum multitudine laborare videamur. Quid igitur dubitamus, Auditores, nos quoque, Catonis illius exemplo, helluones librorum nominari? Quid, inquam, dubitamus, in bibliothecas nos abdere, in libris versari, libris nos involvere, in libris tempus consumere, &, quod de codice Iliadis Homericae Alexander ille Magnus facere consueverat, libros capiti ad somnum captandum supponere? Quid ire nos post veterum illorum vestigia, hominum doctissimorum atque eloquentissimorum, qui bibliothecas in urbe, bibliothecas ruri, bibliothecas in balneis, tanquam instrumentum atque supellectilem domus in primis necessariam, habuerunt, ut, ubi maxime omnium otiosi esse videbantur, ibi minime omnium esse iis otiosis liceret? Quid nobis parare quam possumus maximam & festivissimam ad omne studiorum genus copiam librorum, & insignem illum atque percelebrem Grammaticum, Epaphroditum Chaeronensem pro viribus aemulari, quem ferunt Romae libros subinde ementem, optimorum quidem & selectorum librorum triginta fere sibi millia comparasse? Quid nos ita facere dubitamus, itaque in optimis & selectissimis libris sapientiam nobis atque eloquentiam emere, quae ex frequenti assiduaque librorum bonorum lectione efflorescit ac redundat? Quod si res nobis domi arctior multo est atque angustior, quam ut quidquam pecuniarum, aut etiam alimentorum nostrorum in libros vel maxime nobis necessarios emendos impendamus, quid ego hic dicam, Auditores humanissimi? Equidem illud dicam, quod verissime dicendum est, optandum valde esse, ut bene & laute & libe-

liberaliter cum litterarum studiis agatur, quae nisi adjumento hoc & multorum & bonorum librorum sustententur atque recreentur, languescant penitus, necesse est, certe quidem perfecta omnibusque numeris absoluta nullo modo esse possint; utque Deus tandem aliquis hic Pisis, in Museo hoc Etruriae, in hoc celeberrimo omnium disciplinarum atque artium liberalissimarum emporio, bibliothecam exsuscitet, quae, quidquid nos in omni doctrinarum atque elegantis litteraturae genere desiderare unquam possimus, copiosissime nobis atque uberrime suppeditet. Fingite animis, Auditores, bibliothecam hanc Pisis, qualem ac quantam alibi locorum apud celebriores quasque tota reliqua Europa Academias usurpare ipsis oculis licet; fingite, inquam, animis talem ac tantam pro Academiae nostrae dignitate, bibliothecam hanc Pisis: in qua & doctorum hominum imagines, qui satis diserte atque copiose in libris illis loquantur, vobis ante oculos obversentur, & libris, quibus velitis, ad omnem scientiam atque eruditionem utamini. Quid inde, & quantum non adjumenti modo, sed etiam incitamenti ad eloquentiae studia atque omnium doctrinarum? Te, Quinte Maxime, te, Publi Scipio, vos, vos praeterea, summi atque clarissimi Romanae civitatis viri, appello, quos solitos ita dicere accepimus, quum majorum imagines intuerentur, animum inde sibi ad virtutem quam vehementissime inflammari atque accendi. Nonne animos hominum multo etiam vehementius ad sapientiam atque eloquentiam incendi, dicturi facile fueratis, si eas, quas homines longe sapientissimi atque eloquentissimi imagines sui perfecte in libris expressas reliquerunt, contemplarentur? Illae enim imagines sunt vultus, hae ingenii atque animorum, mutae sunt illae imagines, hae eloquentes; illae ad oculos oblectandos, hae ad animos mentesque pascendas atque erudiendas comparatae. Atque ut de

me

me ingenue fatear, Auditores, quod quisque vestrum multo, quam ego, melius atque verius de sese habet dicere; ut de me, inquam, fatear, homine quidem parum ingenioso, parumque erudito; sed tamen librorum utcunque studioso atque amante, quam ego vehementer ad eloquentiam incendor, cum Demosthenem ac Ciceronem lego! quam ego acri atque incredibili amore ad sapientiam inflammor, cum in manus Platonem atque Aristotelem sumo! quam ego subito, & quam divino furoris atque Musarum veluti instinctu corripior, cum Poetas, atque in primis Homerum atque Virgilium lectito! quam ego ardenti & quam incitato rerum divinarum studio afficior, cum sacros atque divinos libros pervolvo! quam ego denique studiose & quam cupide rapi eo me sentio, quo sedula me atque attenta bonorum librorum lectio nec opinantem adducit! Te hic etiam, divine Plato, appello. Tua quum sint multa sapienter dicta, atque praeclare, tum illud dictum est multo omnium sapientissime, atque praeclarissime, tantam esse pulchritudinem sapientiae, ut, si ea oculis cerneretur, ardentes amores sui excitaret. Nonne autem oculis ipsi nostris sapientiam in libris tuis cernimus? nonne in libris aliorum summorum hominum atque philosophorum, qui tam graphice nobis tamque eleganter coloribus sapientiam suis depinxerunt, ut minime omnium miremur, si, cum libros illos lectitamus, amores sui sapientia in nobis ardentes excitet? Quid si praeterea, Auditores, ad scribendum nos conferimus? quando stilus, optimus ac praestantissimus magister est dicendi, neque valde probari ii videntur, qui ita sese libris abdiderunt, nihil ut ex his in lucem atque ad communem fructum & utilitatem proferant. Age porro, quale & quantum istud est scribere, & quam multos ac paene infinitos libros requirit, si tamen scribimus ad aeternitatem! Ferunt, olim reges Aegypti Ptole-

les

lemaeos Alexandriae ad bibliothecam illam, quae multitudine & bonitate librorum ceterarum toto orbe bibliothecarum mater habita est ac magistra, Museum perillustre adjunxisse, in quo docti & litterati viri, in summa rerum omnium copia, libris & Musis operarentur. Nempe quia reges illi prudentissimi atque perspicacissimi probe, ut puto, intelligebant, doctis iis & pereruditis viris, qui ad bonos libros conscribendos serio sese vereque applicarent, non quietem modo curarumque vacuitatem; sed etiam librorum, quos legerent, quosque consulerent, & ex quibus rerum atque orationis thesauros expromerent, vim maximam praesto esse oportere. O rudes illos atque imperitos, qui, quum ipsi nihil scripserint dignum memoria posteritatis, tamen levioris rem momenti esse opinantur, scribere ad aeternitatem! Quid est enim, per Deum immortalem, scribere ad aeternitatem, nisi, quae utilissima sunt, quae pulcherrima, quae scitu maxime digna, summa cum elegantia atque eruditione litteris consignare? Quod sine multa ac diligenti plurimorum atque optimorum librorum lectione qui unquam fiat? Scripserunt multi ad aeternitatem, homines doctissimi atque eruditissimi, tum veteres, tum recentiores. Scripsit ad aeternitatem M. Tullius, scripsit Seneca, scripsit Quintilianus. Scripserunt etiam de nostris hominibus Origenes, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Plerique alii Christiani Patres de rebus sacris atque divinis ad aeternitatem scripserunt. Quotus autem quisque eorum est, qui non etiam plurima in omni doctrinarum atque elegantiarum genere ex vetustioribus iisque praeclarissimis rerum atque eloquentiae magistris legendo cognoverit, &, quod omnino faciendum Seneca monuit, non etiam lectionem atque scriptionem alternaverit? Si quis unquam veterum fuit, qui ad aeternitatem scripserit, fuit hic certe C. Plinius, is, qui libros Natura-

ralis Historiae, opus summae variaeque eruditionis, a nemine quoquam antea Romanorum tentatum, nedum perfectum, ipse mirabiliter conscripsit, atque perfecit. Quis autem Plinio non in scribendo modo, sed etiam, ut paullo ante diximus, in legendo frequentior ac diligentior? qui nihil unquam legerit, quod non excerpserit, atque adnotaverit, qui libros etiam malos aliqua ex parte prodesse posse dictitaverit, qui tantum diligentiae atque laboris in litterarum studia impenderit, ut vel homines studiosissimi atque diligentissimi prae illo maxime desidiosi & inertes videri potuerint, qui denique ad libros illos Naturalis Historiae conficiendos duo fere voluminum millia pervolverit, atque ex centenis scriptoribus rerum praeclarissimarum observationeque dignissimarum viginti millia collegerit. Tanti constitit Plinio sua illa Naturalis Historia. Cogitate hic, Auditores, quot & quanta deinde quotidie incrementa rerum atque doctrinarum cognitio hominum acceperit, quanto deinde plura sunt a recentioribus & acute excogitata, & feliciter reperta, quae veteres prorsus ignoraverunt, quot & quam immensi terrarum mariumque tractus navigationibus detecti, quid & quantum novi in caelo atque in astris observatum, quot & quanta in re medica, in re nautica, in omni philosophia, admirabiliter animadversa, quae priscorum omnino hominum diligentiam fugerunt, quid denique & quantum verae in Deum religionis, antiqua superstitione sublata, quae omnium propemodum gentium animos misere occupaverat, atque oppresserat, sit hominibus ad salutem ipsorum sempiternam, divinitus traditum atque demonstratum. Haec omnia, aliaque hujus generis plura, lectitando iis plane cognoscenda, qui scribunt ad aeternitatem, ut nempe primum omnium rei cujusque notitiam ex uberrimis veterum scriptorum fontibus diligenter hauriant, deinde ad recentiores, qui acceptam a

veteribus rerum omnium scientiam cumulatius multisque partibus auxerunt, recurrant, &, quum bene accurateque perspexerint, quomodo & quibus veluti gradibus rerum cognitio, a rudibus initiis profecta, sese in clarissimam lucem explicaverit, tum demum omni eruditione atque doctrina referti, doctrinam illam atque eruditionem suam, quam ex aliorum libris legendis sibi comparaverant, ipsi libris suis conscribendis, ad reipublicae bonum, amplificationemque litterarum, in alios diffundant. Atque hoc demum est, Auditores, scribere ad aeternitatem. Quid si etiam ad veteres illos, summos omnium doctrinarum atque elegantiarum auctores & magistros imitandos nosmet convertimus, atque applicamus? quod sane optimum censendum est genus scribendi, si nempe qui maxime omnium veterum in quolibet genere excelluerunt, nobis ad scribendum de quacunque re praeluceant, hoc est, ad eorum exemplum, & quandam veluti aemulationem scripta quoque nostra conformemus. Age vero, quid ad *bene recteque* imitandum magis necessarium, bona & assidua multorum librorum lectione, non modo, ut, qui optime omnium, atque praeclarissime scripserint, ipsi per nos dispiciamus; sed etiam ut optima quaeque atque praeclarissima & rerum & dicendi exempla ex melioribus quibusque scriptoribus in usum nostrum seligamus? Quare etiam Horatius in Arte exemplaria nobis Graeca nocturna diurnaque manu versanda esse praecipit, ut Graecos illos eruditionis ac doctrinae principes atque auctores, a quibus omnis ad Latinos doctrinarum elegantia manavit, quam possumus diligentissime, imitemur. Iam vero quis unquam Latinorum, seu oratorum, seu philosophorum, seu poetarum, non sese totum ad Graecos imitandos contulit? non Graecorum virtutes accuratissime expressit? non Graecos studiosissime est aemulatus, & quo Graecorum similior fuit, non

eo etiam melior, non eo sapientior, non eo eloquentior est habitus? Quis enim de oratoribus Latinis sapientior atque elegantior Cicerone? Atqui Cicero sese totum ad oratorum & philosophorum Graecorum exemplar effinxit, tum ceterorum omnium, tum in primis Demosthenis, a quo Cicero, Quintiliani gravissimi rhetoris judicio, magna ex parte factus est, quantus ille unquam fuit, id est, summus & eloquentissimus orator. Quis etiam de poetis Latinis praestantior atque divinior Virgilio? Atqui in Virgilio eximia quaeque sunt ac selecta non Graecorum modo; verum etiam Latinorum Poetarum; sed tamen in primis Graecorum: de quibus quidem Graecis Theocritum in Bucolicis, Hesiodum in Georgicis, Homerum totum in Aeneidem Virgilius nobis retulit atque repraesentavit. Quid? in una solaque Aeneide quum Virgilius utrumque illud Homeri Poema, Odysseam atque Iliadem, admirabili prorsus singularique artificio delineaverit atque expresserit, nonne multo etiam artificiosius atque admirabilius utriusque poematis exordium, quo Homerus non tam prooemiorum legem servasse, quam constituisse, visus est Fabio Quintiliano, initio Aeneidis suae conjunxit simul Virgilius atque adumbravit? Quod quum ego alibi ad Homerum primus omnium observaverim, dignum id ipsum judicavi, quod huc etiam vobis, studiosissimi rectae imitationis adolescentes, veluti praestantissimum quoddam ac singulare ingeniosissimae imitationis exemplum, in medium afferrem. Quis etiam de Latinis? Sed quid ego, post Ciceronem atque Virgilium, alterum Romanae eloquentiae patrem, alterum Romanae Poesis principem, alia quoque exempla eorum contexter, qui optime atque elegantissime scripserunt, eo quia optima quaeque atque elegantissima, qua oratorum, qua poetarum, sunt imitati? quum & Ciceroni vetustissimi quoque oratores, vel rudes atque impoliti, plurimum ad-

adjumenti atque utilitatis attulerint, & Virgilius ex faecibus Ennii poetae plane minime omnium culti atque ornati, sese aurum collegisse affirmaverit. Videtis hinc atque perspicitis, Auditores, summis illis viris, summi ut essent & oratores & poetae, studiosam multorum librorum lectionem plurimum profuisse, non quod omnia omnium ii semper aemulati fuerint (neque enim omnia omnium semper sunt multo optima atque elegantissima): sed quod, tametsi unum sibi maxime imitandum proposuerint, tamen non eum unum ac solum sibi imitandum censuerint, quumque aliorum omnia legerint, tamen optima quaeque duntaxat atque selectissima in usus suos assumpserint. Ergo, si neque Marcus Tullius sine imitatione summus orator esse potuit, neque Virgilius summus poeta, perfecta autem imitatio multiplici potissimum lectione nititur; si egregia rerum omnium eruditione, summaque eloquentia sint ii, oportet, instructi, qui scribunt ad aeternitatem, egregia autem rerum omnium eruditio, summaque eloquentia, veluti ex fonte quodam, ex quotidiana atque assidua bonorum multorumque librorum lectione latissime dimanat; si denique tantum scimus, quantum memoriae mandamus, oblivioni autem atque inscitiae attenta & accurata lectio in primis medetur, quae est summa orationis hujus meae: cur non tandem aliquando fateamur, Auditores, quod ego tandiu oratione demonstro, unumquemque litterarum studiosum in doctrinis atque eloquentia tantum certo profecturum, quantum in bonis multisque omnis generis libris legendis profecerit? O hanc praeclaram, adolescentes, o hanc regiam & directam, & apertam viam doctrinarum, atque eloquentiae! O vos de litterarum studiis, de patria, de vobis ipsis optime meritos, si viam hanc institeritis, si nempe, posteaquam praeceptores hos vestros, viros doctissimos atque sapientissimos quam diligentissime audivistis, iisque ducibus & ma-
gi-

giſtris ad reconditas quaſque & exquiſitas doctrinas percipiendas uſi fuiſtis, nihilque omnino praetermiſiſtis, quominus eorundem praeceptorum veſtrorum doctrinam atque eloquentiam imitando ipſimet in vobis effingeretis, tum demum, ad ſcientiam atque eloquentiam augendam, totos vos bonis cujuſcunque generis libris legendis penitus dedatis, itaque diſcipuli quodammodo efficiamini veterum illorum doctiſſimorumque ſcriptorum, a quibus plane ad praeceptores ipſos veſtros omnis doctrina atque eloquentia profluit. Amate igitur libros, ſi vere ſapientiam atque eloquentiam amatis, optimi adoleſcentes. Non vos a libris otium, aut ſomnus, aut voluptates, aut feſti ludorum dies, aut denique amicorum conſuetudines atque familiaritates abſtrahant. Libri ſtudia veſtra atque ingenium alant. Libri vos oblectent atque ornent. Libri vobiscum pernoctent, vobiſcum peregrinentur, vobiſcum ruſticentur. Illud denique vobis ſit penitus perſuaſum, ſummam vos rerum omnium praeclariſſimarum ſcientiam, ſummamque eloquentiam adepturos eſſe, ſi, quo doctiſſimi quique viri, ipſique praeceptores veſtri, eo & vos bonis multiſque libris aſſidue accurateque lectitandis contendatis, ac tandem adſpiretis, ut, propter magnam antiquitatis totius omniumque rerum hauſtam e libris eruditionem, bibliothecae quaedam animatae eſſe videamini.

IVLIANO
DE COMITIBVS SABBATINIS
EPISCOPO . MVTINENSI
VIRO . MAGNO
ET . A . PROBITATE . PRVDENTIA . DOCTRINA
CHRISTIANAQVE . ELOQVENTIA
CELEBRATISSIMO
VETERI . AMICO
ET . SVO . QVONDAM
IN . ORDINE . SCHOLARVM . PIARVM
COLLEGAE
ATQVE . INDE
PER . GRADVS . CLARISSIMAE . VIRTVTIS
AD . PONTIFICATVM . EVECTO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . RECTO . ORDINE . STVDIORVM
OBSERVANTIAE
VETERISQVE . AMICITIAE . CAVSSA
L. M. Q. D. D. D.

[illegible]

ORATIO IX.

DE RECTO ORDINE STUDIORUM.

Memini me, Patres Auditoresque ornatissimi, recurrente quotannis sollemnis hujus statique diei celebritate, quam maxime potui, omni argumentorum atque exemplorum ex veteri recentique memoria petitorum genere, studiosos litterarum adolescentes ad litterarum studia ex hoc amplissimo ad dicendum loco cohortatum fuisse, in ipsasque etiam caussas diligenter inquisivisse, cur, quum omnes omnino adolescentes, sapientiae & doctrinae caussa, plerique etiam cum magno rei familiaris detrimento, huc sese in Athenas has Pisanas studiosissime ac frequentissime conferant, neque iis erudiendis doctissimorum praeceptorum cura unquam atque diligentia deesse videatur; tamen perpauci summam omnium rerum doctrinam atque sapientiam adipiscantur. Quis enim vestrum, adolescentes, oratione mea inflammatus, & privatis magistrorum vestrorum hortationibus impulsus, non sese a desidia ad industriam avocavit? non prae amore sapientiae voluptatis illecebras repudiavit? non semet totum bonis artibus atque disciplinis tradidit? non quotidianam atque egregiam praeceptoribus suis operam navavit? non dies noctesque totas, ceteris longe curis sepositis, in bonis & Graecis & Latinis scriptoribus lectitandis contrivit? Ergo, quum perfectae jam atque exquisitae sapientiae

entiae obstare nihil videretur, quominus compotes ejus & participes fierent, quae & quanta memet spes ceperat, certo jam fore, ut, qui bonarum artium rudiores venerant huc adolescentes, summi tandem & philosophi & jurisconsulti & theologi, in omni denique liberalissima arte atque scientia perfecti, ad patrias suas reverterentur! Sed, quum in tanto hoc labore nihilo quam antea melius in adolescentibus quibusdam res studiorum procedant, unde tandem credamus, labem hanc studiorum proficisci, nisi ex perversa atque inordinata studiorum eorundem ratione? quum, si bene studia instituuntur, minimo laboris impendio facile possint adolescentes ad summam doctrinam pervenire. Quare studiis me litterarum vestris valde consulturum censeo, adolescentes, si de recto nunc studiorum ordine verba nonnulla fecerim, & qua potissimum ratione doctrinarum omnium cursum, quem ab his veluti carceribus hodierno die incipitis, ad calcem usque recta continuetis commonstraverim.

Neque vero de recto studiorum ordine opus est, Auditores, rem altius ab ipsa rerum natura repetere, in qua nihil mehercule utilius, nihil pulchrius, nihil ordine magis necessarium neque esse, neque excogitari potest, non modo ut tanta haec, tamque diffusa ac patens universitas rerum secum ipsa cohaereat atque concordet; sed etiam ut per partes clare ac distincte cognoscatur. Universae artes atque disciplinae quum ad summam perfectamque doctrinam in uno eodemque simul homine penitus requirantur; quis omnes eas liberalissimas artes, primo certe adspectu, maxime aliquando inter sese diversas, & suo quamque genere disjunctas, nisi rectum studiorum ordinem tenuerit, assequatur? Disputatum acerrime olim a doctissimis & sapientissimis viris accepimus, utrum pluribus simul artibus & disciplinis, ad perfectam omnibusque numeris absolu-

lu-

lutam eruditionem, opera eodem tempore danda sit, an vero ita tempora studiaque litterarum dispertienda, ut in bonis artibus addiscendis una aliam ars subsequatur atque excipiat. Sunt enim qui multarum simul optimarum diciplinarum studio aut distrahi, aut certe confundi, humanum ingenium, non perfici aut excoli arbitrentur. Sed, quum vita hominis brevissimo temporis spatio coarctetur; ut universo ea disciplinarum orbi percurrendo conficiendoque sufficiat: quid dubitemus primam quoque hominis aetatem pluribus simul disciplinis imbuere, quando ingenii vis multo in omnem partem agilior est atque velocior ad res vel diversissimas percipiendas? An vero putetis, Democritum Abderitam, quae ad eruditionem aliquo modo pertinent, universa perfecte callere potuisse, nisi a teneris sese annis pluribus simul doctrinis cognoscendis assuefecisset? An Eratosthenem tantam illam omnium rerum scientiam, quanta vel in paucis unus excelluit, comparaturum fuisse, nisi primos quoque pueritiae atque adolescentiae annos pluribus simul honestissimis artibus excoluisset atque exornasset? an Aristotelem, an Platonem tantam omnium rerum doctrinam, quanta hominum maximis atque sapientissimis contingere unquam potest, adepturos fuisse, nisi vel ab ipsa prima adolescentia pluribus simul artibus ingenuis atque doctrinis eruditi fuissent? an ceteros doctissimos viros, qui omni sapientiae ac litterarum laude in primis floruerunt, genere omni eruditionis atque scientiae praestare ceteris mortalibus potuisse, nisi jam inde ab ineunte aetate in optimas quasque simul disciplinas diligentissime incubuissent? Quid enim dicam de Theophrasto, cujus illa, alibi etiam a nobis percelebrata, de brevitate vitae querela satis superque ostendit, omnibus eum liberalibus artibus, omnibusque partibus Philosophiae, jam inde a pueio studuisse? Ergo, si illi viri tales ac tanti, tamque multi-

 pli-

plici variaque doctrina, excolenda pluribus simul disciplinis adolescentia, atque adeo pueritia, omnium magnarum rerum atque artium scientiam sunt consecuti; cogitatis ne, temere eos ac confuse, operaque quadam tumultuaria, studia sua pertractasse, &, quocunque casus ac voluntas ferret, eo, tanquam ad scopulos quosdam, tempestate ipsos delatos, adhaesisse? Nihil minus. Immo vero quo illi doctiores sapientioresque fuerunt, eo etiam meliori certiorique ordine censendi sunt studia omnia sua ad normam verae solidaeque doctrinae dispofuisse, itaque ex multis variisque disciplinis, tanquam ex partibus quibusdam, recte atque ex ordine distributis, scientiam quandam maximam atque perfectissimam, quae maximarum quarumque rerum cognitionem comprehenderet atque includeret, quam ipsam vocant sapientiam, concinnasse. Quo si ordine perturbato, sese ii ad philosophiam, atque ad cetera litterarum studia applicuissent, profecto neque Democritus, neque Eratosthenes, a quincuplici, hoc est, ab universo doctrinarum atque eruditionis orbe, translato eleganter a quinque certaminum victoribus vocabulo, quinquertiones nuncupati fuissent, neque Plato quasi quidam Deus philosophorum habitus fuisset, neque princeps sapientiae atque eloquentiae Aristoteles, neque dignissimus Theophrastus, qui Aristoteli in scholam Peripateticam succederet. Et quid est, quaeso, Auditores, quod gravis dicendi auctor Quintilianus, qui primam hominis aetatem multa eodem tempore docendam praecipit; tamen idem ipse Quintilianus, longa viginti annorum experientia atque usu eruditus, oratorem, quem ad summam perfectamque eloquentiam informandum susceperat, per singulos studiorum quorumque gradus magna cum cura ac diligentia institui, nisi quia sine ordine frustra omnis studiorum labor est futurus, atque ex ordinis perturbatione nascatur, oportet, perturbatio totius

tius

tius ſcientiae atque doctrinae? At vero quam aptus, quam appoſitus, atque ad curſum omnium doctrinarum conficiendum quam accommodatus, ordo ille ſtudiorum, quem futuro oratori neceſſarium Fabius Quintilianus tradidit; ut puer & Graece diſceret & Latine, & legendi exercitationem ab Homero & Virgilio exordiretur, & aliarum quoque a Grammatica diſciplinarum ſtudia ingrederetur, & Geometria & Arithmetica, & Aſtrologia aliiſque Mathematicis diſciplinis & Dialectica inſtrueretur, itaque ad oratoris demum munus bene riteque explendum omnium prope maximarum rerum ſcientiam afferret! Quem quidem ſtudiorum ordinem ſi vos, adoleſcentes, minime omnium plerique tenuiſtis, quid tandem miramur, ſi maximis laboribus veſtris veſtri in litteris profectus minime omnium reſpondeant? Quid enim refert multa legere, & libris dies nocteſque lectitandis impalleſcere, ac libris propemodum immori, niſi ea, ſine quibus boni ſcriptores aut omnino non intelligi, aut certe non bene intelligi poſſunt, praecognita atque explorata habueris? quid veteres recenteſque hiſtorias pervolutare, niſi & populorum & regionum ſitum a Geographia, temporum autem numerandorum rationem a Chronologia perdidiceris? quid in Poetis aſſidue verſari, niſi & hiſtorias & fabulas & aſtrorum ortus atque occaſus reliquoſque motus caeleſtes cognoveris? quid operam dare Medicinae, niſi Phyſicen antea pervestigaveris? quid animum atque ſtudium ad jus civile adhibere, niſi ad jus civile & Dialecticam, & totius Romanae atque adeo Graecae antiquitatis, priſcarumque conſuetudinum cognitionem adjeceris? quid in Theologiam, hoc eſt, rerum divinarum, ex altioribus ac ſuperioribus diviniſque prorſus principiis, ſcientiam incumbere, niſi reliquas omnes, quae humanae ſunt, & a Theologia veriſſime atque ſapientiſſime judicantur, tibi antea diſciplinas

comparaverìs? quid denique ſtudia bonarum artium perſequi difficiliora, niſi viam tibi, ex recto doctrinae ordine a facilioribus ad difficiliora intelligenda munive-ris? Credite mihi, adoleſcentes, non niſi optimorum ſtudiorum ordine conſtat ſumma doctrina, perfectaque rerum omnium eruditio; neque is vere ſolideque ſapiens, qui multa confuſe atque inordinate, ſed qui ordine didicerit. Niſi ſiquis forte Therſitam illum Homericum, hominem doctiſſimum atque ſapientiſſimum judicet, cui Homerus a multa rerum cognitione multum etiam verborum tribuiſſe videtur. Sed tamen, quia illa multa, quae utcunque Therſites ſciebat, procul a recto ordine, immo & praepoſtere, ſciebat, quis Therſite apud Homerum ſtultior atque inſipientior? quem temere loquacem fruſtraque verboſum Homerus appellat. Neque vero ego injuria adoleſcentes nonnullos, a bonarum litterarum ſtudiis praepoſtere perverſeque inſtitutis, Therſitae comparaverim: qui tamen adoleſcentes, propter varia & diverſa optimarum diſciplinarum ſtudia, ſibimet ipſi & ſapientia, & eloquentia Ulyſſem atque Neſtorem longe multumque antecellere videntur. O miſeram ac deplorandam adoleſcentium illorum conditionem! o vanos illos & ineptos Therſitas! qui, tametſi bono ingenio praediti, beneque a natura ad doctrinas atque ad bonarum artium ſtudia comparati, ſtudia prorſus ſua atque ingenia peſſundant, qui ſpem plane ſuam & ſuorum fruſtrantur, qui non otio modo, ſed etiam laboribus ſuis perverſe abutuntur, qui ſumptuum ac laborum ſuorum, totiuſque ſuae adoleſcentiae turpem immanemque jacturam faciunt, qui, illotis, ut ajunt, pedibus, in ſacra ſapientiae penetralia ingredi audent, qui, tametſi penitus rudes omnium illarum bonarum artium, ſine quibus ad majores altioreſque diſciplinas nemini cuiquam aditus patet, & Philoſophiam, & Medicinam & Juriſprudentiam, ipſam denique, quae ce-

ceterarum omnium disciplinarum domina ac regina est, & vera ac summa sapientia, Theologiam attingunt. At enim rectus doctrinae ordo in primis postulat, ut Graece quis sciat. Quis enim Graecae linguae prorsus ignarus Platonem atque Aristotelem, principes illos ac duces philosophiae, reliquosque summos philosophos, bene intelligat, aut vim etiam proprietatemque verborum pernoscat, quibus non satis perspectis, neque ad originem suam reductis, ne ipsae quidem res Philosophiae, aut Medicinae, aut Iuris civilis, aut Christianae etiam Theologiae, accurate exquisiteque percipiantur? Postulat etiam doctrinarum ordo, ut nemo quisquam, nisi in Geometria bene eruditus, ad Philosophiam, aut medicinam, aut jurisprudentiam, aut divinorum quoque librorum interpretationem accedat. Quis enim Geometriae funditus expers, satis recte de mundo, rerumque natura philosophetur, aut bene etiam capiat, quae philosophi de re civili, ac militari, quae medici de re chirurgica vulnerumque curandorum ratione, quae jurisconsulti de agrorum fundorumque divisione, quae denique sacrae, instinctuque divino conscriptae, historiae de singulari planeque admirabili arcae Noemicae, templique Salomonici structura commemorant? Postulat idem ipse doctrinarum ordo, ut majorum omnium artium atque disciplinarum studia a Dialectica studiosus quisque discendique cupidus auspicetur. Quis enim sine Dialectica de rebus humanis atque divinis recte tutoque ratiocinetur, quae plane Dialectica, ut sapientissime quondam sapientissimus ille Augustinus in libro suo de Ordine, docere docet ac discere? Postulat hic idem doctrinae ordo, ut ne studiosi optimarum litterarum adolescentes multo, quam oportet, curiosius omnium rerum scientiam conquirant. Quis enim in rebus minime omnium utilibus, atque adeo etiam noxiis, percuriosus, ad veram solidioremque doctrinam contendat, &

non

non potius per vanos inutilesque libros, animi, non eruditionis caussa, frustra atque otiose pervagetur? Postulat denique ordo hic rectus doctrinae, ut initio quisque a rebus facilioribus ducto, inde ad difficiliora, per quosdam veluti gradus, progrediatur, nec ante conquiescat, quam ad summam rerum omnium maximarum scientiam perveniat. Quis enim unquam difficiliora assequatur, qui faciliora minime omnium perviderit, aut ad summum sapientiae fastigium adscendat, qui in primis dumtaxat sapientiae gradibus semper sibi manendum existimaverit? Haec igitur omnia quum recta studiorum instituendorum ratio necessario postulet ac requirat: quis ille mihi Theologus, qui locupletissimo reliquarum omnium disciplinarum apparatu, veluti instrumento quodam ac supellectile in primis necessaria, non sese ad Theologiam praeparaverit? Quis ille mihi medicinae satis peritus, qui nihil sese penitus in Mathematicis, parum in Physicis exercuerit? Quis ille mihi jurisconsultus, qui leviter Dialecticam, ne primoribus quidem labris Philosophiam moralem gustaverit, nullaque Graecae Romanaeque antiquitatis cognitione aditum sibi ad jus civile patefecerit? Dicat hic mihi unus aliquis adolescens, sese uni dumtaxat ac soli ex omnibus disciplinis studia omnia sua dedicasse, eamque unam ac solam disciplinam abunde sibi ad omnem vitae usum sufficere, neque Academiae huic Pisanae, matri atque altrici uberrimae omnium doctrinarum sese unquam nomen dedisse, ut ad omnem hic erudiretur usum liberalium omnium artium atque disciplinarum; sed ut de majoribus disciplinis certam unam aliquam ac solam, puta Theologiam, aut jurisprudentiam, aut demum medicinam, per omnem vitam profiteretur. Sed tua vehementer te fallit opinio, adolescens, eoque fallit vehementius atque gravius, quo disciplina illa excelsior est atque altior, quam tute tibi pro merito ac dignitate pro-

profitendam susceperis. Quis enim in litteris atque doctrinis paullo versatior nesciat, quod a viris doctissimis verissime atque acerrime assertum fuit, disciplinas artesque liberalissimas, ex quibus universa perfectaque doctrina coalescit, communi quodam cognationis atque societatis vinculo inter sese contineri atque cohaerere, quoque una aliqua disciplina in altiori gradu atque ordine posita est atque constituta, eo illam plura atque majora doctrinarum adjumenta requirere? Nego igitur, posse te, adolescens, perfectum consummatumque Theologum evadere, nisi ad scientiam rerum divinarum, rerum quoque humanarum doctrinam, & totius sacrae profanaeque antiquitatis, Graecaeque etiam linguae cognitionem adjeceris. Nego, posse te jurisconsultum, hoc est, juris & aequi sacerdotem, fieri, qualem te esse oportet, numeris omnibus absolutum, ac veluti commune quoddam civium tuorum oraculum, nisi Dialecticam, omnemque philosophiam, reliquasque optimas artes, duces tibi atque magistras juris dicundi adsciveris. Nego, summum te atque perfectum in medicina esse posse, nisi ad rem medicam Geometriam atque Astrologiam ceterasque artes Mathematicas adhibueris. Quid? nego, posse te, adolescens, ad eloquentiam adspirare, aut oratoris grave illud & magnum munus sustinere, nisi cum eloquentia doctrinarum omnium elegantiam consociaveris. Nego denique, posse te artem ullam, quae ad doctrinam atque eruditionem pertineat, perfecte assequi, nisi ceteras omnes, quae connexae inter sese sunt, atque aptae, simul obtinueris. Testes appello interpretes illos divinos Religionis Christianae, viros doctissimos atque sapientissimos, qui Christianam Theologiam tum scriptis suis mirifice illustrarunt, tum omni argumentorum atque eruditionis genere sive adversus impios transfugas ac desertores, sive adversus philosophos exteros, acerrime defenderunt. Quid elegan-

gantioris doctrinae defuit Origeni, quid Hieronymo, quid Augustino, quominus, qui summi Theologi erant, iidem etiam ab omni humanarum disciplinarum scientia celebrarentur? Num quia Origenes ab ineunte aetate totum sese ad litterarum sacrarum studium contulit, non etiam Platonem, non Aristotelem, non priscam illam Graecorum sapientiam universam diligentissime atque accuratissime excoluit? Num quia Hieronymus divinos libros summa cura ac fide est interpretatus, non etiam in omni eloquentiae humaniorisque eruditionis studio est, quam qui maxime, versatus? Num quia Augustinus maximus Theologorum fuit, ceterorumque Theologorum magister, Philosophorum doctrinas neglexit, qui in illis etiam omnibus doctrinis, atque in totius vel profanae antiquitatis cognitione nemini cuiquam visus est vel eruditissimorum atque doctissimorum virorum concessisse? Testes appello priscos illos jurisconsultos, Philosophiae aeque atque juris *antistites*, eosque ab omni eruditione atque disciplina instructissimos, quorum tanta fuit in jure responsitando sapientia atque auctoritas, ut de eorundem ipsorum responsis atque scitis merito affirmaverim, quod de duodecim tabularum libello magnifice quondam atque ambitiose in Oratore suo M. Tullius, iis mehercule priscorum jurisconsultorum responsis Philosophorum omnium bibliothecas et auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superari. Num quia prisci illi jurisconsulti toti in condendo dicendoque jure occupabantur, non etiam Dialecticae, omnique Philosophiae dies noctesque studuerunt? aut non etiam sese accurata veteris historiae notitia, bonaque omni litteratura exornarunt, atque expolivernnt? Testes appello priscos illos principes atque auctores medicinae, homines profecto natos ad salutem generis humani, ideoque a cunctis mortalibus, honoris gratique animi caussa, maxime omnium celebra-

bra.

bratos.. Num quia parens ille optimus Medicinae Hippocrates praecepta primus dedit medendi, itaque sese in omni re medica gessit, ut neque ipse unquam alios, neque alii eum unquam fefellerint, reliqua doctrinarum genera ignoravit, in quibus ille omnibus longe inter ceteros excelluit? Num quia Galenus curam atque operam in medicinam, secundum Hippocratem, diligentissimam ac paene incredibilem contulit, non etiam Mathematicas disciplinas, non Dialecticam, non Philosophiam, non Oratoriam, non denique Grammaticam, studiosissime atque in primis sedulo pertractavit? Testes appello veteres illos oratores, qui tanta, quanta fuerunt, eloquentia, admirabili illa, ac divina, minime certe extitissent, nisi omnem rerum quarumque maximarum scientiam consecuti fuissent. Num quia Demosthenes nervos omnes ingenii atque industriae contendit, ut eloquentiae sibi in tota Graecia principatum vindicaret, adjumenta summae perfectaeque eloquentiae adspernatus est, quae sunt reliquae omnes disciplinae? Num quia Cicero ita in eloquentiam incubuit, ut Fabio Quintiliano teste, Cicero, jam non hominis, sed eloquentiae nomen habeatur, non est etiam quam diligentissime persecutus studia reliquarum omnium artium atque disciplinarum? O viros illos sapientissimos, atque immortalitate dignissimos, qui quum ex tot tantisque artibus uni praesertim sese liberalissimae disciplinae totos dedissent, ceteras quoque omnes liberalissimas artes atque doctrinas ut sibi adjungerent, tantopere laborarunt, sine quarum pulcherrimo ornatissimoque comitatu ne illam quidem unam perfecte atque integre stare posse existimarunt! Haec vos exempla intueamini, oportet, optimi adolescentes, atque ad horum exemplorum imitationem vos studiaque vestra conformetis, ut, si forte, magnorum illorum virorum exemplo, uni vos disciplinae prae aliis omnibus adduxeritis, non ab ejus consortio

ceteras alias segregandas; sed cum ea quàm maxime conjungendas arbitremini, illudque unum superesse, ut, ne doctrinarum multitudine atque varietate studia aliquando vestra interturbentur, ea quam optimo ordine disponatis atque moderemini. Nam quid ego hic dicam, Auditores, quam multos, ingeniosos alioquin & laboriosos homines, studiorum suorum male institutorum poenituerit, qui, dum uni alicui doctrinae unice studerent, aliis disciplinis penitus neglectis, aut confuse nulloque ordine percursis, post magnos atque etiam incredibiles labores exantlatos, in ea quoque, quam quaerebant, doctrina, oleum sese & operam perdidisse tandem animadverterunt? quum e contrario alii vel imbecilliori fortasse ingenio homines, quod studia omnium doctrinarum sua ordine pertractarunt, in summos doctissimosque viros evaserint. Qua etiam de caussà, Auditores, videre aliquando est, nonnullos de nostris adolescentibus, optimo illos atque acerrimo ingenio, *toto* quasi decurso praestantissimae alicujus disciplinae, *ut*, exempli caussà, Theologiae, aut juris civilis, aut medicinae spatio, alios exiguum sane ex multis laboribus aut vigiliis doctrinae fructum; alios vero multo maximum atque uberrimum reportasse. Quid enim in disciplinis quibusque difficiliora quaeque atque reconditiora explanat atque exponit, nisi ordo? Quid obscuriora quaeque illustrat atque patefacit, nisi ordo? Quid totam, seu Barbaram, seu Graecam, seu Romanam antiquitatem, superioremque omnium aetatum memoriam, & tempora, & locorum ac terrarum situs sub unum veluti adspectum subjicit, nisi ordo? Quid tandem laborem illum talem ac tantum in tot ac tantis, tamque variis, honestissimis artibus atque doctrinis levat atque imminuit, nisi ordo? Ordo facit, ut multas simul praeclarissimas artes clare distincteque doceamur; ordo, ut tanta illa rerum discendarum varietas nullam discentibus mo-

moram, nullumque impedimentum inferat; ordo, ut a primis usque legendi & scribendi elementis ad summam rerum omnium scientiam non longo temporis cursu, neque multo sane labore progrediamur; ordo, ut, temporibus omnibus in certa quaedam spatia divisis atque distributis, scriptores omnes & Graecos & Latinos, jam inde ab antiquissimis, sua quemque aetatis serie gradatim perlegamus; ordo denique, ut, quod ab homine uno in maxima quaque re, atque in omni doctrinarum genere sciri potest, totum id, quantum per humanas quidem vires licet, cognoscamus. Ordinem hunc studiorum, qui doctissimorum hominum usu atque auctoritate est comprobatus, vobis ego etiam atque etiam commendo, optimi adolescentes, vobis commendant praeceptores vestri, homines omni doctrina excultissimi atque ornatissimi, qui, tametsi suam quisque, pro commisso sibi munere, disciplinam profiteantur, tamen reliquas vobis vel pernecessarias, vel certe perutiles suo ipsi exemplo demonstrant; commendat nostra haec Academia, quae studia omnia atque exercitationes vestras in suas quasque horas optimo ordine dispositas esse voluit, ut ne disciplinae unius studium obstaret alteri atque officeret. Quem si vos ordinem in studiis his vestris diligenter servaveritis, brevi futurum spero, ut non eam modo, quam professuri praecipue estis, disciplinam; sed ceteras plane omnes, sine quibus ne illa quidem perfecta esse potest, consequamini.

[illegible]

FRANCISCO
DE . COMITIBVS . GVIDIS
ARCHIEPISCOPO . PISANO
CORSICAE . ET . SARDINIAE . INSVLARVM
PRIMATI
GENERIS . NOBILITATE . LITTERARVM
PATROCINIO
CHRISTIANAE . RELIGIONIS . STVDIO
TOTA . ETRVRIA
ATQVE . ALIBI . ETIAM
SPECTATISSIMO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . HANC . SVAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . HVMANARVM . LITTERARVM
AD . CHRISTIANAE . RELIGIONIS . VSVM
OPPORTVNITATE
MAGNO . ACADEMIAE . PISANAE
CANCELLARIO
OB . INSIGNEM . EIVS
ERGA . SE . BENEVOLENTIAM
ET . SINGVLARIA . IN . LITTERAS . MERITA
HONORIS . GRATIQVE . ANIMI . CAVSSA
D. D. D.

ORATIO X.

DE HUMANARUM DISCIPLINARUM AD RELIGIONIS CHRISTIANAE USUM OPPORTUNITATE.

NEgari nullo modo potest, amplissimi, ornatissimique Auditores, quod res ipsa palam loquitur, & publico humani generis testimonio comprobatum est, liberales, quas vocamus, artes atque disciplinas tam magno rebus humanis usui esse ac semper fuisse: ut nullum doctrina majus atque excellentius bonum concessum divinitus hominibus esse videatur. Commoda haec atque utilitates, quae inde a doctrina in vitam humanam uberrime atque copiosissime proficiscuntur, quum secum expenderent atque reputarent viri doctissimi, & eloquentissimi, quibus ante me id muneris impositum fuit, ut annua haec atque legitima doctrinarum studia oratione sua auspicarentur; mirum est, quot & quantas, quamque egregias ac singulares litteris laudes tribuerint, quantaque eloquentiae, & praeclarissimorum argumentorum copia easdem earum laudes amplificaverint. Quorum ego vestigia secutus, nonnulla etiam pro imbecillitate mea dicere eloquenter atque ingeniose conatus sum: quae, tametsi non tam ingeniose dicta, neque tam eloquenter; tamen non indigna prorsus diei hujus celebritate, locique hujus amplitudine viderentur. Verum hodierno die quam mihi valde laetandum, quod argumentum dicendi mihi tale oblatum sit, quale nunquam alias, humanarum ut di-

sci-

ſciplinarum praeſtantiam atque dignitatem, non ex humanarum rerum uſu; ſed ex rebus unice divinis, atque ex rerum divinarum praeſtantia & dignitate, dimetiendam vobis atque aeſtimandam proponerem. Nam ſi ab illis quidem uſibus, quos ad humanam vitam bonae omnes artes atque diſciplinae maximos plurimoſque afferunt, tantopere eae concelebrantur: quanto eaedem magis commendentur, neceſſe eſt, a vario ipſarum & multiplici uſu ad res divinas! Quod quidem patefacturum me atque illuſtraturum puto, ſi oſtendero, quod mihi hodie propoſitum eſt, humanas litteras atque diſciplinas ad rem Chriſtianam & religionem plurimum conferre. Quod ſi ullum unquam argumentum ſollemni hoc & percelebri die pertractatum apud vos eſt, quod Piſanae Academiae ſtudiorumque noſtrorum ſplendori reſponderet: hoc profecto tantum eſt, ut nullum neque auguſtius, neque excelſius, neque ad litterarum praeſtantiam demonſtrandam accommodatius, neque tandem divinius, excogitari unquam poſſit. Illud mihi unum timendum, ſtudioſiſſimi bonarum litterarum adoleſcentes, ne argumenti hujus magnitudini mea demum ſuccumbat oratio, multoque ego minus dicam, quam tanti argumenti dignitas atque neceſſitas poſtulare videatur.

Ac primum illud ego dicam, quod hic ſane minimum eſſe videtur, ſed tamen minime omnium negligendum eſt. ſacram religioſamque doctrinam hominum Chriſtianorum, quae ſcientia eſt altiſſima maximeque admirabilis rerum divinarum, pulchrius nitidiuſque elucere, ſi humanarum diſciplinarum cultus atque ornatus acceſſerit; indeque factum eſſe, ut, quo Chriſtiani Theologi a liberalibus optimiſque diſciplinis excultiores atque inſtructiores extiterunt, eo etiam majorem Theologiae Chriſtianae pulchritudinem ipſi atque ſplendorem conciliaverint. Quanto enim Chriſtiana Theo-

lo-

logia pulchrior, quantoque ad ſpeciem liberalior atque ornatior in Baſilio, in Gregorio Nazianzeno, in Ioanne Chryſoſtomo, atque ex Latinis in Cypriano, in Hieronymo, in Auguſtino, & in plerisque aliis hujus generis atque claſſis doctiſſimis & eruditiſſimis interpretibus divinis, quam in aliis plerisque omnibus, ſequiorum maxime temporum, hominibus, qui, quum eſſe & videri Chriſtiani Theologi vellent, omni penitus humanarum doctrinarum elegantia deſtituebantur! Litteris divinis traditum eſt, eos, quos ſibi olim Deus ad religioſiorem ſanctioremque ſacrorum cultum ſeparatim deſtinaverat atque elegerat, ex Aegypto, uti miſera duriſſimaque ſervitute opprimebantur, ita, duce atque auctore Deo, exiſſe, ut etiam Aegyptios auro atque argento, plurima veſte, lautaque ſupellectile, & pretioſiori quacunque re ſpoliaverint. Id ipſum, auditores, ſententia eſt atque animadverſio vetus & vera Patrum ingenioſiſſimorum, & acutiſſimorum, multo poſt tempore hominibus Chriſtianis contigiſſe: quos quum Deus ex tantis illis errorum atque inſcitiae tenebris, quibus apud profanas gentes miſere tenebantur, in clariſſimam lucem vocaſſet, divitias ii atque ornamenta humanae doctrinae & eruditionis ab illis gentibus abſtulerunt, ſibique ad meliorem Chriſtianae Theologiae uſum ingenioſiſſime vindicarunt. Nam, Deus bone! quantam vim auri atque argenti veſtiumque pretioſiſſimarum ex illa veluti vanae ſuperſtitionis Aegypto ad Theologiam Chriſtianam cohoneſtandam atque locupletandam abſportavit Cyprianus! quantam Lactantius! quantam Victorinus, Optatus, Hilarius, quos Auguſtinus in libris ſuis de Doctrina Chriſtiana nominatim appellat! quantam etiam Graeci plerique omnes, viri doctiſſimi, atque in litteris humanioribus verſatiſſimi, qui ex illa errorum quadam veluti tenebricoſa ſuperſtitioſaque Aegypto ita ad Chriſtianam veritatem amplectendam convolarunt,

ut opes omnes sapientiae atque eloquentiae Graecorum ad usus Christianos sollerter & acute transtulerint! Hic ego non disputo, auditores, quod est in nostris scholis subtilius ac diligentius quaesitum, quam necessaria sit ad religionem Christianam Christiana Theologia. Quum enim ex oraculo divino editum sit, pestiferas opiniones, veritatique divinae ac religioni contrarias apud Christianos suboriri oportere: quis non videat, quod nostri homines palam profitentur, non perutilem modo, sed etiam Christianae religioni pernecessariam esse sacram aliquam doctrinam, quae falsas illas perniciosasque opiniones coarguat, ipsiusque religionis decreta, quibus nihil firmius ac solidius esse unquam potest, ratione etiam humana ex ipsis divinis principiis stabiliat atque confirmet? Ergo, si ad Christianam religionem sartam tectam servandam atque tuendam tam necessaria est Theologia; si tanta conjunctio atque necessitudo uni est cum altera, ut religio Theologia sua carere nullo modo possit: quis jam vestrum, auditores, non fateatur, quod inde certissime, & manifestissime sequitur, religioni ipsi Christianae prodesse plurimum atque conducere liberalissimas quasque disciplinas, quae sacrae huic Christianorum doctrinae tantum decoris atque ornamenti ad pulchritudinem & dignitatem important? Nam de jucunditate quidem atque oblectatione, quam ab humanis litteris Christianae litterae mirabilem habent, quid attinet dicere? quando hoc veluti humanae eruditionis condimento sapientissimi quique ac politissimi Christianarum rerum praeceptores, atque in primis Clemens ille Alexandrinus, veritates divinas ad hominum gustum parandas sibi atque temperandas censuerunt, quique in iis elegantissimi habiti sunt, atque ab aurea in primis eloquentia commendati, ii quidem certe bonarum artium humanaeque litteraturae elegantiam tanti fecerunt, ut vel Ioannes ille Chrysostomus, ille, inquam, Chryso-

so-

sostomus, qui Christianae eloquentiae facile inter Graecos princeps est judicatus, ad Atticam sermonis elegantiam comparandam, Aristophanem Comicum, lepidum quam qui maxime, & festivum Poetam, dies noctesque pervolutaverit. Quid? quod Latinorum Patrum viris eloquentissimis ad tantam illam tamque admirabilem eloquentiam Christianam viam atque exemplum Ciceroniana eloquentia praeivit? Testis est Arnobius, quem Ciceronis potissimum libri ad falsos deos impugnandos vetustatisque auctoritatem labefactandam, atque adeo ad Christianam religionem mirifice comprobandam plurimum adjuverunt. Testis est auditor & discipulus Arnobii, Lactantius, qui ita sese in scribendo ad Ciceronianum exemplum conformavit, atque effinxit, ut in eo quidam Ciceronem nescio quem Christianum legere sibi videantur. Testis est Rhodanus ille Latinae eloquentiae (sic enim ab Hieronymo appellatur) Hilarius Pictaviensis, quem & ipsum eloquentiae Ciceronianae non minimam operam dedisse, indicio illud est, quod Hieronymus ait, eum libros duodecim Quintiliani stilo & numero imitatum fuisse, libelloque contra Dioscorum medicum, quid in litteris posset, ostendisse. Testis est, qui vel unus multorum loco esse potest, Hieronymus Stridonensis, qui vel in somnis ad summi judicis tribunal vapulare sibi visus fuit, quod esset Ciceronianus. Testis est Augustinus, qui, quum ex Ciceronis Hortensio eloquentiam quaereret, hausit inde sapientiam, qua Deum, summam illam & immortalem sapientiam, ardentissime concupisceret, totusque ad eum, omnique animi impetu raperetur. Testis est iterum, & saepius, Hieronymus, quem Ciceroniana eruditione atque eloquentia captum adeo fuisse ferunt, ut & Ciceronis Dialogos multo majori pretio, quam ceteros aliorum libros, sibi describendos curaret. Quo de viro sic ego alias censebam, tam praeclare eum tam-

que eloquenter scribere de rebus nostris non potuisse, nisi, quam ex Cicerone eloquentiam didicerat, assidua legendi scribendique exercitatione corroborasset. Sed quid ego haec minora de humanioribus disciplinis, magnaque earum disciplinarum utilitate diutius persequor, quum ad sacram Christianorum doctrinam liberalioribus disciplinis nihil unquam esse possit, non dicam utilius, sed magis etiam necessarium? An vero quidquam Christiano doctori magis necessarium esse unquam possit, quam oracula divina, bene perfecteque intelligere, eaque recte interpretari? hoc est, libros eos divinos atque sacrosanctos, quibus divina veritas ad salutem hominum sempiternam consignata est, atque tradita, & quibus veluti quibusdam fontibus Christiana ipsa religio uberrime continetur. Quis autem sacros illos libros recte explicet atque interpretetur, qui non sit idem interioribus quibusque ac reconditis litteris, omnibusque liberalibus disciplinis, & totius antiquitatis, omniumque gentium cognitione pereruditus? Quis enim *mihi sine* Geometria Salomonici templi structuram, aut sine Arithmetica arcae Noemicae magnitudinem, pro tot, tamque disparium animantium in ea arca inclusorum numero atque multitudine, & pro commeatus in alimentum annuum copia, animo & cogitatione comprehendat? Quis sine astrorum scientia ea, quae de caelo, & stellis atque astris, ac praesertim aliquando de sole, mirifica prorsus ac portentosa divinis illis historiarum monumentis prodita sunt, intelligentia assequatur? Quis sine summa omnigenaque doctrina ea percipiat, quae Moses, scriptorum omnium primus ac princeps, vir oppido sapientissimus, omnibusque Aegyptiorum & aliarum gentium disciplinis excultissimus, neque juris modo humani, tum publici, tum etiam privati, consultissimus, sed etiam rei medicae, sanandorumque morborum scientia eruditissimus, de mundi totius, primi-

que

que hominis fabricatione, summaque Dei in mundanis humanisque rebus administrandis, sanctissimisque legibus condendis providentia, & de corporum quoque salubritate ad Reipublicae salutem curanda, afflatu instinctuque divino ad posteritatis memoriam litteris mandavit? Quis sine dialectica, quis sine eximia naturae ac morum scientia, quis sine admirabili singularique sapientia librum Iobi perscrutetur, cujus quidem libri in omni genere doctrinarum tot sunt sententiae, quot verba? Liber vero Psalmorum quid ille tandem, nisi abditus quidam & occultus thesaurus totius philosophiae? quem quis mihi thesaurum aperiat, nisi qui philosophiae opibus atque divitiis copiosissime affluxerit? Quid ego hic dicam de libris Salomonis, hominis divino sane oraculo, multo omnium sapientissimi, atque in plantarum, & lapidum, & elementorum, & cujusque generis animantium, terrenorum atque aquatilium, & in utraque sede viventium, totiusque naturae historia longe versatissimi, & de quacunque demum re disputatoris subtilissimi atque acutissimi? Quis eos mihi, quaeso, libros explanet, nisi qui omnem philosophiae partem, tum Graecae, tum etiam barbarae, egregie, atque exquisite tractaverit? Quid de vatibus illis divinis? quid de Esaia? quid de Ezechiele? quid de Daniele? quid de ceteris hominibus maxime sapientibus, atque eruditis? quorum vaticinia, miris illa quidem ambagibus, sed veris involuta, quis mihi evolvat atque illustret, nisi qui antiquam omnium populorum omniumque temporum historiam diligentissime exploraverit? Quid etiam de Ioanne illo Theologo, deliciis purissimis atque castissimis Christi? quo nemo quisquam altius in caelum usque penetrasse, atque in divinitatem videtur. Quis altissimam Ioannis Theologiam de Verbo Divino, de Unigena illo Dei Filio, eodemque uno, solo aeternoque Deo, probe animo recteque concipiat, nisi qui Platonicam philosophiam a veritate Christiana optime

me secreverit atque distinxerit, ne pro veritate, quam Ioannes divinitus docet, somnium aliquod Platonicum amplectatur? Quid de Paullo, summo illo Christianae eloquentiae atque eruditionis praeceptore & magistro? Quis mihi eloquentiam illam & eruditionem Paulli, plane admirabilem atque divinam, intime penitusque pernoscat, nisi qui interiores litteras atque disciplinas Graecorum plenius uberiusque cognoverit? Quid plura? Quum libri, quos ad erudiendos instituendosque mortales, Deo ipso auctore, hoc est, instinctu afflatuque divino, elucubratos esse constat, omnes omnium rerum, neque divinae modo, sed etiam humanae sapientiae, fontes plenissime contineant, quum libri hi sacrosancti atque divini, quidquid boni ac praeclari in ceteris omnibus late libris dispersum est ac diffusum, multo simul excellentius atque perfectius complectantur; quum, quae in his libris Deus syllabatim dictavit, ea etiam, ad uberiorem humani generis in quacunque sapientiae parte doctrinam, vario multiplicique *sensu* donaverit; quum, quae ex ceteris sparsim libris hauriri possunt, bonae omnes artes atque disciplinae, multo eae certius multoque purius ex hoc uno sacrorum librorum volumine deriventur, atque exprimantur; quum denique tanta sit horum sacrorum librorum praestantia, atque dignitas, ut, quod Graece nomen commune est librorum, id porro, ad notam quandam auctoritatis atque excellentiae, proprium ac peculiare horum divinorum librorum habeatur, quis hos libros, tam divinos, tam sanctos, tam refertos copia omni doctrinae atque eruditionis, totos investiget, atque intelligat, nisi qui omnem sibi doctrinae elegantiam adsciverit, omnemque sibi rerum omnium maximarum, artiumque liberalissimarum scientiam comparaverit? Dicat hic aliquis, quae sacris litteris Deus consignata esse voluit, non ea utique omnia scitu cuique esse ad salutem sempi-

pi-

piternam necessaria. Quod quis unquam neget, auditores? Sed, quamvis de divinis his libris plurima ignorare Christiano homini liceat, quae non ita ejus interest scire, paucisque omnino capitibus, quod ad salutem cujusque sempiternam attinet, Christiana scientia definiatur: tamen quid in sacris libris, ac divinis nescire ei unquam liceat, qui interpretem sese eorum librorum atque explanatorem profiteatur? Talis autem est Theologus Christianus, hoc est, praeceptor, & magister religionis Christianae: cujus profecto est, oracula divina, tum quae litterarum monumentis commendata divinitus sunt, tum quae sine scripto, Deo auctore, memoriae hominum sunt tradita, itaque ad posteritatem veluti per manus transmissa, ad nos tandem pervenerunt, exponere atque interpretari. Qui si quid forte ignorat, quod ad divinorum librorum intelligentiam atque interpretationem quomodocunque pertineat, nae ille nullo modo possit tantum illud Christiani Theologi, divinique interpretis munus pro dignitate sustinere. Age vero, quid si Christiano Theologo sua est religio non explicanda modo; sed etiam ab oppugnatoribus defendenda, & qui Christianae religioni errores adversantur, sunt ii refellendi atque profligandi? Quam multa, & quam magna, & quam multarum & magnarum rerum cognitio est huic Theologo necessaria! Quid enim siqui hominum eo unquam impietatis prolabuntur, ut, quod fecisse olim Diagoras ille atheos, & Theodorus feruntur, Deum de medio tollere, divinamque providentiam e mundo, rebusque humanis, nec solum singulis, sed etiam universis, auferre conantur? Nonne argumentis ex intima philosophia petitis tanta haec, tamque immanis & ferina impietas falsitatis convincenda? Quid si contra alii, quod barbari & Graeci jam inde a vetustissimis temporibus fecerunt, multos in mundum deos inducendos, &, quem unius soliusque Dei cultus penitus

tus sustulit, multorum cultum deorum reducendum atque redintegrandum suadent? Nonne ficta haec & commentitia deorum multitudo ex principiis ipsis philosophiae, atque ex ipsis Graecorum interioribus litteris atque disciplinis destruenda funditus atque disturbanda? Quid si impii quique perversique philosophi (si philosophi tamen ii vocandi, qui philosophia, pulcherrimo Dei munere, ad religionem conculcandam atque perdendam abutuntur); quid si, inquam, impii consceleratique philosophi, quales & Celsus & Porphyrius & Iulianus, aliique hujusmodi fuerunt, in religionem Christianam acerbius & contumeliosius invehuntur, & quae ejus sunt summa ac sacrosancta in primis capita, omni argutiarum genere infirmare atque abolere; vel, ut rationi humanae repugnantia ac plane falsa, in dubium revocare nituntur? Nonne horum ipsorum philosophorum in Christum sacramque Christi doctrinam maledicta ex iisdem eorum *doctrinis* retundenda, &, quae contra sunt argumenta, ex *illis* ipsis, ex quibus ducta sunt, locis dissolvenda; Christianae vero religionis decreta quam cohaerentia inter sese sint, quamque nihil ea discrepans atque a recta ratione alienum, contineant, ex iisdem istis, ex quibus ea oppugnantur, disciplinis Graecorum commonstrandum? Quid enim testimoniorum nostrorum auctoritas tametsi gravissima atque divina, apud eos unquam valeat, qui omnem iis testimoniis fidem derogandam superbe arbitrantur? aut quis etiam Cyprianum, hominem utique de nostris eloquentissimum, atque sanctissimum, non jure olim de imprudentia inconsultaque ratione reprehensum fateatur, quod Demetrianum, hominem a religione Christiana maxime omnium abhorrentem atque alienum, non Philosophorum & Poetarum, quorum ipse unice auctoritate nitebatur; sed nostris dumtaxat, hoc est, sacrorum librorum testimoniis, eo-

eorumque librorum una ac sola auctoritate impugnaverit? Vos ego appello, Christianae religionis vindices acerrimi, vos assertores fortissimi, qui alienis armis, non nostris, decertandum vobis cum adversariis sapientissime censuistis, & quae vobis maxime perniciosa atque adversa humanae doctrinae atque eruditionis arma esse videbantur, ipsa eadem ex hostium manibus extorta atque erepta, ad impietatem confodiendam, Christianamque veritatem vindicandam atque tuendam adhibuistis. Te ego appello, Origenes, omnium Christianorum Patrum non in sacris modo, sed etiam in humanis litteris, eruditissime: cujus variam multiplicemque doctrinam scripta hodieque tua in Celsum satis superque testantur: qui certe qualis & quantus vir, & quam admirabilis in Dialectica fueris, in Rhetorica, in Physica, in Geometria, in Astronomia, in omnibus Mathematicis disciplinis, in Ethica, in omni Philosophia, tum Graecorum, tum etiam Barbarorum, omnique in genere eruditionis, discipulus ille tuus Gregorius Thaumaturgus in laudibus tuis clarissime & disertissime demonstravit. Te appello, Apollinaris, te, Cyrille Alexandrine, oppugnator alter Porphyrii, alter Iuliani. Te quoque appello, Eusebi Caesariensis, non Porphyrii modo, sed etiam Hieroclis, hominis in primis impii atque contumeliosi, acerrime atque ingeniosissime oppugnator. Quis enim vobis ab omni politiori litteratura instructior? Vos etiam appello, qui non unius alicujus impii perditique nominatim philosophi; sed omnium ubique gentium errores propriis certisque libris confutandos atque coarguendos fortissime suscepistis, te, Iustine philosophe, te, philosophe Hermia, te, Athenagora Atheniensis, te, Theophile Antiochene, te, Cyrensis Theodorete; te quoque de Latinis, Tertulliane, in Apologetico tuo, te, Arnobi, te, Minuti Felix, te in libris tuis de Civitate Dei, summe

atque abſolutiſſime Theologorum, Auguſtine. Quis enim vobis in ſtudiis humanitatis omniumque doctrinarum, atque in totius antiquitatis cognitione eruditior? aut quis vobis fortius atque melius Chriſtianam cauſſam contra gentes ex ipſis gentium doctrinis, atque ex philoſophia ipſa Graecorum, defendit atque obtinuit? O ineptos illos homines maleque ſuperſtitioſos, qui optima haec atque liberaliſſima ſtudia vocare in crimen audent, eaque, tanquam vana, aut etiam noxia, certe quidem periculoſa, reprehendere atque inſectari! Sunt quoque nonnulli, auditores, inſigni homines inſcitia atque temeritate, qui ſomnio illo capti ac propemodum perterriti vapulantis Hieronymi, quod ille eſſet Ciceronianus, ſtudioſis eloquentiae adoleſcentibus ſtudium quoque Ciceronis, veluti vanum, Chriſtianoque homine, quam quod maxime, indignum, vehementer diſſuadent. Qui utinam ad exemplum potius Hieronymi, quam ad Hieronymi ſomnium, reſpicere ſeſeque accommodare atque aptare maluiſſent! Quis enim toto fere *vitae ſuae* tempore Ciceronem magis in oculis tulit, quam Hieronymus? Quis pluris Ciceronem fecit, quam Hieronymus? Quis magis Ciceronem dies noctesque manibus verſavit, quam Hieronymus? Quis non Ciceronem modo, ſed etiam Maronem, & Plautum, & Terentium, & Flaccum, ceteroſque praeſtantiſſimos auctores & politiſſimos Latinitatis, magis commendavit atque probavit, quam Hieronymus? quem, magna hominum admiratione, videre erat, grandiorem jam natu, in Bethlemitico illo gymnaſio pueris & Ciceronem ſuum, & Maronem, & Poetas Comicos atque Lyricos, humanioris eruditionis cauſſa, praelegentem atque explanantem. Quid tibi nunc, Hieronyme, conſilii fuiſſe credendum eſt, ut magiſter talis, ac tantus Religionis Chriſtianae, Chriſtianis pueris, quos Chriſtiana tibi pietate imbuendos atque excolendos acceperas, profanos gentium libros

bros exponeres atque interpretarere, nisi ut ita per litteras humaniores melius eos ac facilius ad Christianam doctrinam praeparares atque instrueres? Quo eodem fere consilio non in humanioribus modo litteris; sed etiam in Graeca philosophia usum Origenem fuisse ferunt, ut, quos de discipulis suis excellenti optimoque ingenio esse animadvertebat, eos Geometria & Arithmetica, aliisque hujusmodi disciplinis eruditos, in Philosophiam, atque in varias philosophorum sectas introduceret; quos vero imbecilliori hebetiorique ingenio, eos plerosque omnes ad humaniorum litterarum studia excitaret atque adduceret, quippe qui solitus esset dicere, plurimum eos facultatis atque adjumenti ex liberalissimis illis atque honestissimis studiis ad libros divinos intelligendos esse relaturos. Facessant igitur, qui ex somnio illo Hieronymi studio illi Ciceronianae eloquentiae invidiam quaerunt, & ad humaniores litteras damnandas, in quibus tota fere vita Hieronymus multus habitavit. Hieronymi ipsius auctoritate abutuntur: qui nec prorsus intelligunt, quorsum tandem illud, sive somnium, sive monitum in somnis divinum, spectaverit. Non enim quidem certe, quod somnians Hieronymus promittat, sese nunquam neque Ciceronem, neque alios quoscunque profanos libros amplius lecturum, ideo unquam ipse postea vigilans pertinere censuit, ut a Cicerone aliisque hujusmodi elegantioribus latinioribusque scriptoribus in posterum lectitandis abstineret; sed ut, quam ex Cicerone eloquentiam Latinam, quam ex Comicis Latinis elegantiam, quam ex aliis Latinis Graecisque scriptoribus variam multiplicemque eruditionem subinde acquireret, totam ad Christianae doctrinae usum atque ornamentum conferret. Quis mihi igitur audeat humaniorem hanc litteraturam, veluti Christianae rei perniciosam ac noxiam, aut certe valde admodum periculosam, objicere, quam Christianorum Pa-

trum doctissimi & eruditissimi quique non perutilem modo, sed etiam sibi pernecessariam, ad res divinas tractandas existimarunt? Quis, inquam, Christianis hominibus ponere in crimine audeat politiores humanioresque disciplinas, quas rebus Christianis tantum praesidii, tantumque utilitatis, sive ad defendendum, sive ad impugnandum, afferre ipse acerrimus religionis Christianae hostis, Iulianus Caesar judicavit, ut quo erat ingenio acuto atque perspicaci ad Christianismum exturbandum, funditusque evertendum, nihil tam valere putaverit, quam si liberalissima humaniorum litterarum & disciplinarum studia Christianis hominibus eriperet atque auferret. O cladem illam deplorandam Christianorum studiorum! o illam Christianae Reipublicae a Christo nato maximam & luctuosissimam calamitatem! o Iuliani in Christianos immanissimam, o teterrimam, o maxime omnium barbaram crudelitatem, cum Christianis ille hominibus liberalibus litterarum studiis interdicebat! Quos tu mihi Nerones, quos Domitianos, quos Decios, quos Diocletianos & Maximianos, quos mihi decem aliosve complures, hostes saevissimos, impiosque insectatores Christianorum commemoras? quae mihi crudelitatis in Christianos monstra, quae feritatis atque immanitatis portenta, quae superioris memoriae teterrima saevitiae barbariaeque exempla ob oculos ponis? quas mihi narras carnificinas, quae genera poenarum ac suppliciorum, ingeniosissime in Christianos excogitata ac constituta, eisque miserrime atque atrocissime ubique locorum ac gentium inflicta? cum Christiani, hoc uno soloque Christianitatis nomine, bonis omnibus rebusque suis spoliabantur, exilio mulctabantur, relegabantur, deportabantur, uno aliquo membrorum mutilabantur, ad metalla & bestias damnabantur, vinculis & verberibus, omnique supplicio excruciati necabantur, ferinis pellibus contecti a canibus dilaniabantur,

cru-

crucibus affigebantur, igni cremabantur, atque ubi dies defecisset, ad luminis nocturni usum urebantur. Haec & alia superiorum Caesarum in Christianos exempla, atrocissima crudelitatis Iulianus (quis credat, auditores?) Iulianus, ille, inquam, Iulianus, qui Christiano sese sanguini parcere velle prae se ferebat, interdicto Christianis bonarum litterarum usu, longissime superavit. Illi enim saevitiam in Christianorum corpora adhibuerunt, Iulianus in animos Christianorum. Illi vitam Christianis eripuerunt, Iulianus Christianis doctrinam atque sapientiam. Illi mori Christianos voluerunt, Iulianus rudes Christianos bonarumque litterarum ignaros vivere. Quod si multo pejus, multoque atrocius atque miserabilius sapientissimis viris visum fuit rudem vitam atque incultam in infantia, summaque omnium bonarum artium ignoratione, pecudum instar, transigere, quam gloriosam mortem atque illustrem pro veritate & religione occumbere, quis unquam dubitet, quod minime dubitandum duxit Augustinus, Iulianum saevissimis jam & crudelissimis Christianorum hostibus accensere, eique etiam in insectandis persequendisque Christianis primas inter omnes Caesares immanitatis partes vindicare, qui hominibus Christianis gloriosas illas praeclarasque mortes, quas mira animi alacritate oppetere antea consueverant, malitiosissime inviderit, eosque optimarum artium rudes & imperitos, interdictis earum artium studiis, esse jusserit? cujus quidem factum illi ipsi summi laudum Iuliani fautores, acresque inimici Christianorum, tam ferum, tam barbarum, tam immane, tamque omnis rationis & humanitatis expers judicarunt, ut oblivione illud sempiterna obruendum existimaverint. Neque vero mihi hic disputandum, auditores, quod docti ac diligentes Christianarum antiquitatum investigatores curiosius fusiusque anquirunt, utrum Christianos Iulianus humaniores litteras docere, an vero

ro discere vetuerit. Nam Christiani quidem scriptores, plerique omnes affirmant, Iulianum Christianos a bonis litteris ediscendis prohibuisse: quum tamen ex ipso eodem Iuliano manifestissimum atque perspectissimum sit, quod diserte alicubi Augustinus testatur, edicto eum suo Christianos à liberalibus artibus humanioribusque disciplinis edocendis arcuisse. Qua de controversia dico ego quam brevissime, ridicule eos & imprudenter facere, qui a primo illo Iuliani ferali in Christianos edicto alterum sibi ejus edictum excogitant, de quo neque Ammianus, neque Hieronymus, neque Ambrosius, neque Orosius, neque alter veterum quisquam quidquam sciverit; atque adeo edictum illud unum ac solum Iuliani ad Christianos duntaxat magistros, qui politiores Graecorum libros in scholis praelegere, liberalioresque litteras profiteri prohiberentur, nominatim pertinuisse. Sed, quum qui de magistris superstitioni atque impietati Graecorum addicti erant, summis ii ad caelum laudibus deos suos extollerent, atque ad eorum deorum cultum auditores suos omni verborum atque eloquentiae lenocinio allicere conarentur, quis non intelligeret, quod probe tunc recteque Christiani, posteaque ex communi, neque obscuro, Christianorum sensu, Augustinus, intellexerunt, amotis a docendi munere Christianis magistris, eadem simul opera ab humanioribus litteris ediscendis prohibitos quoque esse adolescentes Christianos, quibus per sacrosancta religionis suae jura minime omnium fas erat ad eos unquam ludos accedere, in quibus a superstitiosis & impiis magistris superstitioso atque impio deorum cultu imbuerentur? Quae vero tunc, Deus bone! ab edicto illo Iuliani, vetitis atque interdictis humaniorum litterarum, liberaliumque artium studiis, Christianae passim reipublicae perturbatio! quum Christiani tunc homines erepta sibi arma esse cernerent, quibus, ut antea, sua defen-

ſenderent, aliena expugnarent. Quid enim tunc reliqui Chriſtianis erat, ſubſidio jam atque ornamento ſpoliatis optimarum diſciplinarum? Itaque, re Chriſtiana ad incitas propemodum redacta, tum demum Chriſtianorum patientia, quae invicta ſane uſque ad illud tempus perſliterat, quaeque nullis unquam difficultatibus, nulliſque doloribus atque ſuppliciis, ne ipſa quidem morte, vinci ac ſuperari poſſe videbatur; tum demum, inquam, victa ac ſuperata eſt patientia Chriſtianorum, cum tandem aliquando Chriſtiani, Iuliano Caeſari minime cedendum rati, pro litteris ac litterarum ſtudiis tuendis atque ſervandis, tanquam pro aris & focis, pugnare contra Iulianum aperto marte coeperunt; atque in primis contra eum in aciem proceſſerunt viri fortiſſimi, atque ab omnibus humanae ſapientiae variaeque eruditionis armis peritiſſimi, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, uterque Apollinaris. De quibus Baſilius quantum in liberaliſſimis omnibus doctrinis, atque in eloquentia excelluerit, ipſe perquam valde miratus eſt ſummus & Theologus & orator Gregorius Nazianzenus. Gregorii vero & utriuſque Apollinaris maxima atque immortalia in litteras humaniores, atque adeo in Chriſtianam rempublicam, promerita quis ſatis pro dignitate commendet? aut quis etiam verbis quomodocunque complectatur atque exprimat? qui ut periclitanti Chriſtianae eruditioni opitularentur, ad libros tandem varii generis, variaeque elegantiae conſcribendos, atque ad carmina componenda, ſemet applicarunt, quae Chriſtiani quique magiſtri, ad liberaliorem Chriſtianorum puerorum culturam, in ſcholis praelegerent, ſuiſque auditoribus in ſtili variaeque eruditionis exemplum proponerent. Nam quid ego hic dicam de Gregorii Nazianzeni carminibus, in quibus, tanquam in ſpeculo, & ejus vitam, & variam ejus omniſque generis doctrinam poſſis palam intueri? Quid de dialogis Apollina-

ris

ris junioris, in quibus secutus ille est exemplum Platonis? quibus ille dialogis, ut in dicendo valde erat exercitatus, universam factorum dictorumque admirabilium Christi, reliquamque sacram historiam, & quae principes Christi sectatores, homines oppido quam divini planeque admirandi, scriptis suis consignaverant, mire est executus. Quid de Apollinari illo majori, homine Syro, viro utique doctissimo, & omni genere disciplinarum, totiusque veteris historiae cognitione ornatissimo, qui artem quoque Grammaticam in Christianorum usum redegit; tanta autem faciendorum versuum copia ac facilitate fuisse traditur, ut antiquam humani generis Hebraeorumque historiam ab orbe condito usque ad Saulis regis tempora, ad Homeri exemplum, versibus heroicis, quatuor & viginti libris, iisque singulis Graecae litterae nomine inscriptis, complexus fuerit; reliqua vero divinorum librorum argumenta vario carminum genere exposuerit, atque etiam Tragoedias ad imitationem Euripidis, Comoedias ad aemulationem Menandri, carmina Lyrica ad exemplum Pindari, conscripserit, tanta porro elegantia proprietateque atque ubertate sermonis, ut unus ille Apollinaris ad priscas illas Graecorum Poetarum laudes propius accessisse, immo & eas laudes, in quocunque tandem scribendi genere veterum singuli excelluissent, penitus exaequasse videretur? Atque hic ipse est Apollinaris, qui scripto contra Iulianum, Graecosque philosophos de Veritate libro, nullo prorsus testimonio ex divinis voluminibus adhibito, ex ipsa Graeca philosophia, atque ex ipsis Graecorum litteris ac doctrinis, eorum de diis sententiam acerrime atque acutissime confutavit. Quid de aliis dicam, viris sapientissimis, & litterarum & antiquitatis bene peritis, eoque ad Christianae Theologiae usum peritioribus, quo iisdem versatioribus in universo orbe humanarum disciplinarum? Dies me de-

ficiat,

ficiat, auditores, si eorum plene laudes persequi, aut nomina etiam commemorare duntaxat velim, qui, Christianorum litteratura in summum periculum ac discrimen adducta, pro ea cum Iuliano, seu singulari proelio, seu integra justaque acie, tanquam pro sacris, decernendum sibi esse censuerunt. Tanti, auditores, Christianae reipublicae fuit, liberalissima atque optima humanarum artium & disciplinarum studia protegere ac tueri. Neque enim, quod Graecis atque barbaris, id Christianis unquam sibi timendum erat, ut nequid damni ipsa eorumdem religio liberalibus Graecorum disciplinis faceret, neve inde arma ad religionem convincendam, aut certe debilitandam, suppeditarentur. Fuerit hic metus Iuliani, fuerit Graecorum, fuerit hominum superstitiosorum atque etiam barbarorum, quorum plane religio vana est, abhorrensque a veritate. Christianorum est, semperque fuit, liberales quasque disciplinas ultro amplexari ac fovere, easque ad omnes nationes & gentes longe lateque propagare atque amplificare; a quibus disciplinis tantum abest, ut Christiana religio quidquam incommodi ac detrimenti accipiat; ut ex iis magis ea magisque confirmetur atque illustretur. Neque enim quidquam mehercule est, auditores, conjunctius veritati, quam ipsa eadem veritas. Ergo, quum religione Christiana nihil unquam verius certiusve esse possit, quae a Deo profecta est, fonte uberrimo totius veritatis, quis non plane perspiciat ultroque fateatur, humaniores disciplinas, quae omnes veritate quam maxime nituntur, dissentire nullo modo posse a religione Christiana; sed ei quam intime consociatas esse oportere, eique, tanquam ministras quasdam dominae suae, subservire ac famulari? Quod & ipsum in caussa fuisse intelligimus, quamobrem summi quique olim Theologi, & sapientissimi atque elegantissimi librorum divinorum interpretes, omne, quod a rerum divinarum me-

unius dialectica, petitisque ex Thomae armamentario argumentis, facile dissolvatur. Quem etiam Thomam quis non miretur ingenio & doctrina tantum potuisse, ut, tametsi Graece fere nesciebat, tamen Latinis qualibuscunque commentariis adjutus, Aristotelem, philosophum illum quidem maximum, sed & eundem, maxime fortasse omnium philosophorum, verae & sanctae in Deum religionis hostem atque inimicum, Christianum, quod ajunt, propemodum fecerit, certe quidem, prae ceteris aliis philosophis, atque etiam prae Platone, viro omnium philosophorum sapientissimo, & rebus saepe nostris concordissimo, Christianae veritati militare coegerit. Nec enim jam in scholis Christianis, nisi ex Aristotele, principe & auctore Thoma illo Aquinate, pleraque religionis nostrae, eaque summa & gravissima capita, explicantur. Adeo verum est, quod ego hactenus demonstravi, humanas quasque disciplinas arma Christianae religioni aptissima & praesentissima copiosissime suggerere atque subministrare, quibus ipsa jam religio vanissimam Graecorum omniumque aliarum gentium superstitionem atque impietatem debellet, externaque, quam vocant, philosophia expugnata ac devicta, justissimum ex ea triumphum agat, & praestantissimos quosque atque celebratissimos Graecorum philosophos, virosque totius antiquitatis sapientissimos, veluti captivos, ante currum ducat. Quae quum ita sese habeant, quis non summis sibi laudibus efferendos atque ornandos putet, veluti de religione Christiana optime promeritos, principes quosque Christianae reipublicae viros, qui, sequioribus jam rudioribusque temporibus, quum inclinari fere litteratura, atque ad barbariem desciscere coepta esset, Christianae sese religioni commode satis consulturos atque prospecturos esse duxerunt, si veluti munitissima quaedam veritatis Christianae propugnacula, erroribus & inscitiae Academias Christianas

opponerent atque obiicerent: quibus in Academiis non divinarum modo, sed etiam humanarum rerum scientia, in omni genere doctrinarum artiumque liberalissimarum, uberrime traderetur. Quis autem primas hujus instituti laudes non ipsis Romanis Pontificibus, summis rei Christianae moderatoribus ac magistris impertiendas censeat, qui ut provinciam sibi divinitus demandatam substinent religionis tuendae atque interpretandae, ita muneris semper sui esse existimarunt, ut seminaria haec totius & divinae & humanae eruditionis atque sapientiae, Academias Christianas pulcherrimis sanctissimisque legibus munirent, foverent, protegerent, omnibusque honoribus atque ornamentis cumularent atque augerent? Itaque, quantum studii atque operae Iulianus Caesar, desertor ille & transfuga Christianae religionis, in eo posuit, ut litteras ac doctrinas, ad religionem Christianam seu infirmandam, seu delendam, Christianis hominibus auferret, tantum industriae ac diligentiae, Christiani in primis Pontifices Maximi, deinde optimi quique Reges Christiani, in id contulerunt, ut ad religionem Christianam qua defendendam, qua confirmandam atque amplificandam, liberalissima quaeque doctrinarum studia, atque adeo has ipsas Christianas Academias, omnibus beneficiis ac decretis ornarent, omnibusque amoris singularisque benevolentiae argumentis complecterentur. Quo quidem loci quomodo ego te silentio praeteream, & non omni potius laude concelebrem, Francisce III. Lotharinge, Magne Dux Etruriae, idemque Rex Hierosolymorum, sapientissime, justissime, atque invictissime, pro tot ac tantis, tamque singularibus & eximiis tuis erga Pisanam hanc Academiam meritis! cujus quidem patrocinio divinaque erga litteras beneficentia tantum honoris ac dignitatis nostrae huic Academiae accessit, ut ea plurimarum toto Christiano orbe Academiarum princeps, nulli certe

alteri cuiquam vel celeberrimarum Academiarum secunda esse videatur. O Academia Pisana! o sedes ac domicilium certum elegantioris doctrinae! o liberalissimorum studiorum mater sanctissima! o parens educatrixque optima bonarum omnium artium atque disciplinarum! Gratulor ego tibi de dignitate ac felicitate tua: gratulor de tuo isto tam excellenti bono: gratulor de hac ista tua tanta, tamque beata copia omnium doctrinarum; quae tanta est profecto, ut, quamvis magnam nuper jacturam feceris, extinctis clarissimis duobus veluti luminibus, altero Mathematicarum disciplinarum, altero philosophiae; tamen propter maximam ubertatem tuam, tuamque praeclarissimam optimorum studiorum institutionem atque disciplinam, nusquam alibi litterae neque fortius, neque felicius Christianae religioni militare posse videantur. Redit nunc tandem oratio mea ad vos, a quibus potissimum coepta est, optimi adolescentes, bonarumque omnium artium atque disciplinarum studiosissimi. Nam si nihil in rebus humanis praestantius diviniusque est religione, si nihil homini ad salutem atque felicitatem utilius commodiusque est religione, si nihil vobis charius atque antiquius neque est, neque esse debet religione, videte etiam atque etiam, adolescentes, quanti vos litterarum studia facere oporteat, quae tantopere prosunt religioni.

SENATVI . POPVLOQVE
PISANO
VETERI . ARMORVM
AC . LITTERARVM . GLORIA
IMPERIO . OLIM
IN . EVROPA . ASIA . AFRICA . COMPARATO
RE . CHRISTIANA
QVOQVOVERSVS . AMPLIFICATA
IVRIS . CIVILIS
OMNIVMQVE . DOCTRINARVM . STVDIO
RESTITVTO
ACADEMIA . VNIVERSAE . SAPIENTIAE
FVNDATA
LITTERIS . PROPAGATIS .
PRINCIPI . QVONDAM . POPVLORVM
ETRVRIAE
NVNC . VERO . SVB . AEQVISSIMO
FRANCISCI . I.
CAES. AVGVSTI . IMPERIO
AVCTA . VRBIS . PISANAE
QVA . MILITARI . QVA . CIVILI . DIGNITATE
VETERIS . ILLIVS . GLORIAE
STVDIOSISSIMO
PRO . ANTIQVIS . EIVS
IN . ACADEMIAM . PISANAM
OMNEMQVE . DOCTRINAM . PROMERITIS
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . HANC . SVAM
DE . ACADEMIAE . PISANAE . LAVDIBVS
PANEGYRICAM
A . SESE . DICTAM . ANNO . MDCCXLIII.
AD . GLORIAM . PISANI . NOMINIS
SEMPITERNAM
L. M. Q. D. D. D.

ORATIO XI.

DE LAUDIBUS ACADEMIAE PISANAE.

QUemadmodum in rebus humanis nihil prorſus nobis laudabilius eſſe videtur eruditione atque doctrina: ita mirari minime omnium debemus, Viri Excellentiſſimi, Auditores humaniſſimi, ſi, qui verba huc uſque vobis ex hoc ornatiſſimo ad dicendum loco de doctrina & eruditione fecerunt, maximis ſemper laudibus liberales quaſque diſciplinas, tum ſingulas, tum univerſas celebraverint. Ut quiſque enim doctiſſimorum virorum docendi hic muneri admovetur; ſtatim eam, quam ex omnibus unam facultatem eſt profeſſurus, ampliſſimis verbis collaudat, itaque collaudat, ut eam ceteris omnibus longe anteponere velle videatur. Orator vero, qui nullo certo definitoque ſcientiae genere reſtringitur; ſed quidquid unquam ſciri poteſt atque oratione explicari, id omne pro munere ſuo profitetur, ſollemni hoc & legitimo die, quo annuum doctrinarum omnium curriculum ingredimur, univerſas doctrinas ſummis ad caelum praeconiis efferat, oportet, earumque praeſtantiam atque utilitatem ſtudioſis litterarum adoleſcentibus patefaciat. Illud vero mirandum, ſi, quum plerique omnes optimas diſciplinas mirifice extollant; tamen, qui harum omnium diſciplinarum matrem ac magiſtram, ſtudiorumque noſtrorum altricem, Academiam hanc Piſanam, proprio peculia-

rique argumento, institutaque ad id ipsum oratione, ab hoc loco commendaret, vix adhuc inventus sit unus. Quod tamen inde profectum existimo, quod tanta sit Academiae Pisanae apud omnes gentes claritas atque gloria, nemo ut quisquam ullis eloquentiae atque orationis luminibus sese eam illustrare posse speraverit. Neque vero tantum mihi arrogo, ut verbis meis aliquid me splendoris Academiae huic nobilissimae afferre posse confidam, quod esset hominis maxime insolentis ac superbi: sed quia, quae in nobis insunt, insignia atque ornamenta doctrinae, Academiae omnia Pisanae accepta referre debemus, ut grati animi qualecumque officium huic nostrae Academiae persolvam, quod bonum ac faustum fortunatumque sit, decrevi ego, hodierno die, Auditores, Academiae Pisanae laudes Panegyricas dicere. Quod si illud sibi acroama valde admodum placiturum Themistocles respondit, quod esset de virtutibus suis, cur non ego certissime sperem, Auditores, aequis vos libentibusque auribus orationem meam de Academiae Pisanae laudibus esse excepturos, quae quidem laudes cum laudibus vestris consociatae in primis sunt, & conjunctae?

Quae vero laudibus Academiae Pisanae par unquam possit oratio inveniri? Nam quae potest unquam esse, aut alicubi etiam excogitari liberalissimarum quarumque artium, atque disciplinarum Academia, cujus non omnes simul cum primis laudes in Academiam hanc Pisanam verissime atque apertissime conveniant? Laus illa a primo celebratissimae cujusque & florentissimae Academiae est, ut loco sit ad litterarum studia maxime opportuno atque accommodato. Quis autem tota Etruria, quid dico, Etruria? tota fere Italia locus ad haec litterarum studia persequenda opportunior atque accommodatior Pisis? Video jam ipso statim orationis meae limine, cum in Academiae Pisanae laudes ingre-

dior,

dior, urbem se mihi ipsam Pisanam commodum collaudandam dedisse, nec posse me tot illa ac tanta alterius decora atque ornamenta explicare, nisi eadem simul opera alterius quoque laudes concelebrem. Non dicam nunc de Pisis, quod alias sum ego ex hoc ipso amplissimo loco fusius & uberius demonstraturus, eam olim urbem, armis potentissimam, atque Etruriae facile principem, maria & insulas regionesque continentes fama nominis sui longe lateque implevisse, innumerabiles hostium classes devicisse, Corsicam ac Sardiniam, insulasque Baleares occupasse, Carthaginem cepisse, Panormum Saracenis, aliquot Graeco Imperatori insulas ademisse, Neapolim & vicina ibi oppida multa praesidio tenuisse, maximas saepe classes aedificasse, imperium sibi in Europa, Asia, atque Africa comparasse. Haec & complura alia omittam de bellis a populo Pisano fortissime gestis, victoriisque clarissimis reportatis: ex quibus, tanquam in luce meridiana, perspectum plane cuique sit, & exploratum, Pisanos olim re bellica, & maritimis terrestribusque copiis, & expeditionibus ceteris omnibus Etruriae populis longissime praestitisse. Nec etiam commemorabo, Auditores, quae, post rem Pisanam fractam ac debilitatam, Magni Etruriae Duces Medicei, ad memoriam pristinae Pisanorum virtutis sempiternam, instituto hic Pisis nobilissimo & amplissimo Equitum fortissimorum Ordine, extare in hac urbe non vestigia modo, sed etiam insignia antiquae Pisanorum fortitudinis bellicae voluerunt. Illud unum dicam nunc de Pisis, ac palam praedicabo, nullam aliam urbem Etruriae, aeque ut Pisas, utriusque simul Minervae, armatae pariter atque litteratae studia consectatam fuisse; itaque cives Pisanos prae reliquis omnibus Etruriae populis in rem bellicam incubuisse, ut simul etiam prae reliqua universa Etruria bonas litteras artesque liberalissimas foverint, auxerint, amplificaverint; atque

adeo ab hoc veluti fonte, ab hac ipsa urbe Pisarum, optimarum quarumque disciplinarum, & juris cum primis civilis, studia in reliquam late Italiam, immo vero & Europam, profluxisse. Clarissimis superiorum temporum monumentis proditum est, Pisanos in bello contra Rogerium, regem Siciliae, inita cum Lothario secundo Imperatore armorum societate, classeque sex & quadraginta triremium instructa, urbem Amalphim adortos, eam urbem primo impetu expugnasse, ac diripuisse, atque ex omni optima opulentissimae & beatissimae urbis praeda unum illud ac solum Pandectarum Iustinianearum volumen, quod ibi archetypon jam inde ab antiquissimis temporibus habebatur, permagnae mercedis loco, sibi petiisse ac reservasse, illudque perinsigne ad posteros victoriae illius monumentum Pisas tulisse, ibique, veluti quoddam Palladium, e caelo delapsum, in thesauro suo reposuisse, & quam diligentissime, veluti rem multo omnium pretiosissimam, custodisse; indeque, e libro illo Pandectarum Pisanarum descriptis jam legibus, duce atque auctore Irnerio, percelebri illo legum Romanarum interprete, jus civile in Bononiensem primum Academiam permeasse; & hanc primam post Iustiniani tempora renati apud nos juris civilis originem ab urbe Pisarum fuisse. An ne vero unquam putetis, Auditores, tanto libri unius amore homines Pisanos affici potuisse, ut prae illo immensam vim praedae ac manubiarum, & locupletissimae urbis divitias contempserint, eoque sese libro, tanquam praemio omnium amplissimo atque uberrimo, pro bello periculosissimo, maximisque in illud bellum impensis, valde remuneratos professi fuerint, nisi incredibili doctrinarum studio exarsissent? Quo de facto Pisanorum quum plura ego, pro rei ipsius magnitudine, velim dicere, ea me statim admiratio, atque is veluti stupor percellit, ut posse me perinde dicere, atque sentio,

pe-

penitus desperem. Iam tum nimirum Pisani, quo in bonas litteras studio, singulari atque eximio, ferebantur, conceperant animo atque adumbraverant, quod ducentos post annos, anno demum a Christo nato millesimo & trecentesimo, octavoque supra trigesimum, perfecerunt, ut stabilem hic Pisis ac fixam sedem iurisprudentiae, omnibusque bonis artibus omnique sapientiae, Academia hac celeberrima constituta, ponerent ac dedicarent. Iam vero quid dicam, quam large ac liberaliter cum hac sua Academia cives Pisani egerint, qui in bello ipso Neapolitano in unum ac solum legum civilium volumen maximos labores, totiusque belli difficillimi sumptus profusissime impenderant? Immunitates ac munera Academicis data commemorem? quum Pisani de publica pecunia impensas in Academiam hanc suam alendam ac sustentandam quam liberalissime fecerint? Doctissimos huc viros frequentes convenisse referam? quum Pisani iis, qui divinas humanasque hic doctrinas profiterentur ac docerent, amplissima & lautissima stipendia constituerint? Studiosos litterarum adolescentes permagna hic frequentia versatos enarrem? quum Pisani omnem iis studiorum liberalissimorum commoditatem munifice tribuerint? Uberrimam hic bonorum librorum copiam fuisse praedicem? quum Pisani libros in urbem suam, vel mercimonii tantum caussa, importatos, vectigalibus prorsus liberaverint? Quae alia unquam civitas, quis unquam alius Etruriae populus, vel ipse ille populus, qui gloriae & dignitatis Pisanorum aemulus in primis esse videbatur, & de Etruriae principatu cum Pisanis certabat, ad eam aliquando laudem assurrexit, aut assurgere etiam potuit, quae propria semper laus fuit Pisanorum, ut prae doctrinarum amore pecunias, reditusque aerarios negligeret, atque a vectigalibus, quos nervos esse reipublicae nemo quisquam ignorat, doctrinae augendae atque ampli-

plificandae caussa, ulla ex parte abstineret? Nihil igitur commodorum atque opportunitatum huic Academiae Pisanae ad doctrinae & ingeniorum diligentem culturam defuisse unquam demonstrem? quum Pisani optima quaeque litterarum studia suis semper commodis & rationibus praetulerint? Nam de caeli quidem Pisani salubritate, ubertate agri, annonae fertilitate, incredibili rerum omnium ad vitam necessariarum copia, quid attinet dicere? quae tamen omnia mirum, quantum apud omnes gentes decoris & laudis Academiae Pisanae concilient; quando haec ipsa fere tibi, Clemens Sexte, Pontifex Maxime, rerum atque ingeniorum aestimator justissime, summeque litterarum patrone, in caussa potissimum fuerunt, ut Academiam hanc Pisanam, pro doctrinarum omnium, quae in ea docerentur, universitate, auctoritate tua munires atque corroborares. Atque haec tibi propria maxime sunt, urbs nobilissima Pisarum, quae nemo quisquam abs te abstrahat unquam atque avellat. Abstrahi e sinu gremioque tuo, e sacrario cimeliarchioque tuo transferri Florentiam potuit sacrosanctum illud volumen Pandectarum tuarum. Pandectae illae tuae, urbs praeclarissima, abalienari abs te, & quae veteri proprioque jure Pisanae erant, transire in Florentinas potuerunt. Academia haec tua traduci transmittique alio nullo modo potuit. Cur, Auditores? quia ea, quibus Academia Pisana efflorescit ac viget, clementia & salubritas aeris, agrorum ubertas, terrarum ac marium opportunitas, beata rerum omnium copia, demigrare hinc alioque absportari minime omnium potuerunt. Tanta haec tamque eximia, ac propria Academiae Pisanae felicitas bene vobis cognita ac perspecta erat, summi Florentinorum proceres, iidemque Principes Etruriae, viri prudentissimi & sapientissimi, qui, post amissam a Pisanis libertatem, jacentem atque afflictam Academiam Pisanam, pro summo vestro erga bo-

bonas litteras ſtudio, erigendam vobis atque in priſtinam amplitudinem, & gloriam reſtituendam exiſtimaſtis. Nec vero tibi, Laurenti Medices, Coſmi illius majoris, avi tui, maxime aemulator, ſatis fuit litterarum gloriae atque incremento apud Florentinos tuos conſuluiſſe ac proſpexiſſe, viroſque maxime litteratos Florentiae foviſſe, ſummiſque beneficiis ornaſſe; ſed quod nulla alia Academia commodiori loco, aere ſalubriori, majori ad altiora quaeque doctrinarum ſtudia opportunitate eſſet, quam Academia Piſana, ut Etruſcarum litterarum linguaeque Etruſcae, ex omnibus Etruriae populis, principatum penes Florentinos eſſe voluiſti, ita univerſae ſapientiae, omniumque doctrinarum penes Piſanos. Fructus certe liberalitatis tuae, tuique amoris litterarum fuit, ut, re Piſanorum publica oppreſſa a Florentinis, ac propemodum extincta, intermortuam paene apud eos ſapientiam recreares, atque inſtaurares, annoque demum a Piſana Academia fundata centeſimo fere & quinquageſimo, haec Sapientiae Piſanae gymnaſia, hoc eſt, verae ſapientiae domicilium ac ſedem, a fundamentis erigeres, eoque perilluſtres doctrina atque eruditione viros ad omnes liberales artes profitendas ampliſſimis praemiis excitares. Hoc tibi, Coſme Medices, prime Magne Dux Etruriae, hoc vobis, reliqui ex hac ipſa Medicum familia Magni Duces Etruriae, exemplum Laurentius Medices praeivit, ut alter ex latiſundio ſanctiori Etruriae certa in ſingulos annos ſtabilique dote Academiam Piſanam locupletares: alteri hanc eandem Academiam benevolentia veſtra complecteremini, atque ex aerario etiam veſtro augeretis & promoveretis. His initiis ac fundamentis conſtituta Academia Piſana, hiſque incrementis aucta & confirmata, cogitate, Auditores, quo tandem faſtigii atque celſitatis, his praeſertim noviſſimis temporibus, ſummo jam Academiae noſtrae & beneficentiſſimo patro-

tro-

trono, Francisco III. Lotharingo, Magno Etruriae Duce, sese illa extulerit. Neque vero Academiam parietes faciunt, aut amoenitates & commoditates locorum; sed doctrinae, quae quotidie assidueque excoluntur; sed bonarum litterarum studia, quae certatim in dies frequentantur; sed docti atque intelligentes viri, qui, tanquam in celebritate quadam nundinarum, nullum non doctrinarum genus profitentur; sed discendi percupidi adolescentes, qui, ut reconditioris cujusque scientiae atque eruditionis compotes fiant, omni studio enituntur; sed quotidiana atque accurata omnium honestissimarum disciplinarum, qua per magistros, qua per auditores, exercitatio. Age vero, quam his quoque laudibus floret atque abundat Academia Pisana! Quid enim in universo orbe disciplinarum? quid in rebus divinis atque humanis? quid in caelo atque astris? quid in terris ac mari? quid in ceteris elementis? quid in herbis ac metallis? quid in immenso illo rerum Physicarum ac Mathematicarum circuitu? quid in toto morum humanorum genere? quid in homine, quem parvum veluti mundum esse dixerunt, cognosci unquam ac percipi potest, cujus scientiam, illamque perfectam atque exquisitam, Academia Pisana non abunde praestet atque profiteatur? aut quid alibi unquam est reconditioris rariorisque eruditionis atque doctrinae, quod non hic simul sit omnibus obvium atque conspicuum? aut quae singularia alibi & praeclara, quae non hic simul omnia mirifice enitescant? Hic specula ad caelum contemplandum, siderumque scientiam comparandam. Hic hortus Medicus ad herbarum vires pernoscendas. Hic Medicum Theatrum ad corporis humani machinam minuta partium singularum sectione ad minimas usque particulas explorandam. Hic instructissima a libris optimis & copiosissima bibliotheca ad animum rerum omnium cognitione explendum atque exsaturandum. Hic omnia

assa-

affatim subsidia atque instrumenta omnium ad unam disciplinarum. Vere hic regnat Iustinianus, vere Hippocrates; vere hic in vobis, viri excellentissimi, cum Demosthene regnat Tullius, vere Euclides atque Archimedes, vere Plato atque Aristoteles, vere Ptolemaeus. Quam hic etiam in divinarum litterarum interpretatione triumphat Hieronymus, in sacra historia Sulpitius, in arcanorum divinorum explicatione Augustinus, in Christiana eloquentia Chrysostomus, in subtiliori veritatum divinarum disquisitione Thomas Aquinas! Parietes medius fidius horum gymnasiorum loqui & ipsi res doctrinae atque eruditionis videntur: adeo haec undique gymnasia divinae humanaeque sapientiae assiduis & multiplicibus vocibus personant. Quod si Marco olim Pisoni apud Marcum Tullium persuasum fuit, iis nos locis, in quibus memoria dignos viros multum esse versatos acceperimus, magis moveri, quam siquando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus, quantum, Deus bone! inde etiam laudis Academiae Pisanae accrescit a summis illis & sapientissimis viris, quorum memoria necesse est ad omnem nos doctrinam commoveri, quum eos meminerimus in hac urbe aut natos, aut doctrinae & eruditionis caussa domicilium habuisse, & huc in hanc istam Academiam ventitasse, & in his porticibus inambulavisse, & in his gymnasiis docuisse, & ad haec peristyla stetisse, & ex hoc ipso summae auctoritatis loco, magna hominum frequentia, verba de doctrinis fecisse! Hic, exempli caussa, post has aedes a Laurentio Medice aedificatas, Philippum Decium de regulis juris disputasse: hic, post has scholas a Cosmo Magno restitutas, Matthaeum Curtium rem medicam summa cum laude pertractasse: hic Cyriacum Strozzam Philosophiam Aristotelis, Hieronymum Mercurialem libros Hippocratis esse interpretatos: hic Bulengerum litteras humaniores, hic Galilaeum Ma-

thematica, professos fuisse: hic innumerabiles alios doctissimos & eruditissimos viros magna se cum ingenii gloria, nostra etiam memoria, in omni genere doctrinarum exercuisse. Sed o illa etiam superiora, o prima illa tempora recentis adhuc Academiae Pisanae! O viros illos clarissimos, & memoria dignissimos sempiterna, qui nascentem primi Academiam Pisanam doctrinae suae ubertate promoverunt, atque confirmarunt! O Bartolum, interpretum juris civilis facile principem, virum plane doctissimum & prudentissimum, quem non semel ferunt, siqua juris dubitatio incidebat, Pandectas Pisanas, veluti oraculum quoddam, consuluisse! O Baldum, discipulum Bartoli, virum & ipsum juris consultissimum, neque juris civilis scientia fortasse a Bartolo secundum! O cetera illa magna nomina jurisconsultorum, omnique alio doctrinarum genere excultissimorum virorum, qui Academiae nomen Pisanae, ipsis ejus primordiis, dederunt! Summos hos viros cum meminimus tanta doctrinae & ingenii fama in hac urbe versatos, eademque, quae nos, loca incoluisse, eundemque hunc Pisanum aerem duxisse ac respirasse, atque hic vestigia, in quibus nos tuto insisteremus, posuisse, quantum ex superiori illa memoria exemplorum nostra haec nobis Academia suppeditat, ut in ejus praeconiis, tanquam in immenso quodam & patentissimo ad laudationem campo, nostra excurrat ac propemodum exultet oratio! Nam & illis superioribus temporibus laus illa fuit Academiae Pisanae, ut Carolus Quartus Imperator, non rebus modo praeclare gestis, sed etiam scriptis suis atque eruditione clarissimus, optimarumque omnium litterarum non summus modo fautor, sed etiam amplificator, qui, pro singulari sua erga Academiam Pisanam benevolentia, auctoritatis suae praesidio munitam eam voluit, omnibusque honoribus atque ornamentis auxit, Carolus, inquam, Quartus Zeno-

nobium Stratensem, magnum pro illis temporibus & excellentem Poetam, ingenti concursu hominum litteratissimorum, & frequentissima totius civitatis Pisanae celebritate, loco urbis maxime splendido atque conspicuo, sua ipse manu tantus Imperator insigni laurea redimiverit. Harum omnium laudum Academiae Pisanae venire nobis in mentem faciunt loca quaeque urbis Pisanae, cum ea nos loca intuemur, maximeque frequentamus, quibus in locis magni illi & clari viri, quos tantopere ab ingenio & doctrina admiramur, impressa eruditionis nobis suae vestigia reliquerunt: quippe quum ea ipsa loca non modo nos virorum illorum memoria ad praeclarissima eorum, & maxima exempla imitanda vehementer commoveant; sed etiam segetem in iisdem ipsis amplissimam & fecundissimam laudum Academiae Pisanae nobis ante oculos ponere videantur. Neque tamen prorsus verum, quod tute, Marce Piso, ajebas, magis nos locis, quam scriptis magnorum virorum, moveri. Habent enim scripta, quod nos doceant; & maximarum quarumque rerum scientia erudiant: ipsaque per sese magnorum illorum virorum, qui tanta tamque uberi & fructuosa doctrina libros suos resperserunt, hoc est, Academiae Pisanae, laudes toto orbe terrarum loquuntur. Loca per se muta sunt, & vocis nostrae praeconio ad laudes Academiae Pisanae percelebrandas indigent. Quibus etiam laudibus illa accedit, quod innumeri ex hac Schola Pisana, tanquam ex equo olim Troiano, heroes prodierunt. Latissimus hic mihi laudum se campus aperiret, si persequi vellem oratione, non dico omnes (quis enim omnibus enumerandis sufficeret?) sed vel principes tantummodo doctrinae atque eruditionis viros, qui Pisanae sapientiae gloriam in omnes late terras, ubi studia humanitatis vigerent, quoquoversus propagarunt, summos philosophos, summos jurisconsultos, summos rei medicae auctores, summos ma-

mathematicos, summos litterarum divinarum interpretes, summos theologos, summos oratores: quippe qui tales prorsus, quales praeceptores eorum erant, evaserint, summi in omni doctrina ac perfecti. Quid si commemoratos etiam vellem, quos ex hac Academia Pisana ad sacras quasque majoresque dignitates, atque ad amplissimos quosque pontificatus summa virtus & eruditio evexit? Sunt enim & hi permagno numero, & tales, ut Academiae Pisanae splendor ac dignitas elucere in iis quodammodo videatur. Atque id quidem valde mirandum, Auditores, si usquam alibi contigisset; tot nimirum ac tantos viros, tanta homines doctrina, scriptisque editis tam illustres, ab una solaque Academia exire potuisse. Sed, cum oculos ad te converto, nobilissima Academiarum Pisana, atque hunc Etruscae, immo & Italicae juventutis, florem lectissimum contueor, atque ex nostris historiis & annalibus repeto, non ex Etruria modo, sed etiam ex tota, quam longe lateque patet, Italia, honestissimos ingeniosissimosque adolescentes, sapientiae comparandae caussà, huc in Academiam Pisanam omni tempore magno numero confluxisse, videoque praeterea, quo quantoque studio, quantaque ingeniorum contentione omnes hic liberalissimae disciplinae pertractentur, & quam crebris assiduisque exercitationibus hoc quotidie Athenaeum exardescat, atque etiam considero, non discipulos modo honestissima inter sese studiorum aemulatione contendere; sed ipsos etiam praeceptores exemplo suo viam studiorum atque disciplinarum auditoribus suis praeire; ipsosque inter sese magistros de doctrinis congredi, & de sapientiae palma disputando acerrime decertare; haec, inquam, omnia cum animadverto, mecumque ipse diligenter reputo, Academia Pisana, & quae nunc fiunt, facta hic semper fuisse intelligo; desino jam mirari, si, quum conventus hic communis universae doctrinae ac sapien-

tiae

tiae celebretur, maxima quoque hic copia doctissimorum virorum & olim extiterit, & nunc etiam existat. Quid? quod, stante ac florente Academia Pisana, nullum in Etruria damnum sentire posse litterae videntur? Equidem id, quod futurum est, nemo quisquam praestare potest, nisi Deus. Sed, quantum ex praeteritis rebus conjecturam licet facere de futuris, dico, quamdiu Academia Pisana litterarum laudibus efflorescet, tamdiu in Etruria, atque adeo in reliqua universa Italia, optimas litteras artesque liberalissimas, tanquam in regno suo, dominaturas: tantum elegantioris cujusque doctrinae & eruditionis ab Academia Pisana in omnem longe lateque Italiam, nedum Etruriam redundat. Atque his quidem laudibus atque ornamentis eo jam magnitudinis & gloriae Academia Pisana provecta est, ut, quae laus olim propria Athenarum fuit, maximo semper honori habitum sit, Pisis aliquando in hac nostra Academia, studiorum liberalissimorum caussa, fuisse. Quod si Pisis operam litteris navasse perhonorificum semper fuit, quanto honorificentius, Pisis hic in Academia docuisse! Quem quidem honorem quum vobis, Patres ornatissimi, vestra virtus ac doctrina detulerit, quid jam miremur, si plerosque omnes ex omnibus locis non tam Academiae hujus nostrae claritudo atque auctoritas, quam sapientiae vestrae atque eruditionis fama Pisas perducat? Narrant vulgo de T. Livio, quosdam ad eum, fama hominis permotos, ex ultimis Hispaniae Galliarumque finibus venisse, ejus ut adspectu fruerentur. O exemplum totius antiquitatis maxime memorabile! o rem omnibus saeculis inauditam, ut urbem tunc Romam ingressi, aliud extra urbem quaererent! Hoc vero ipsum, quod de Tito tunc Livio permirum visum fuit, ac penitus novum, quis nunc de vobis non miraretur, viri excellentissimi, nisi nominis ubique vestri amplitudo & claritas in usum propemodum quotidianum veni-

nire fecisset, ut, qui ubique gentium verae solidaeque eruditionis studio tenentur, sapientiae vestrae splendore ac fama exciti, Pisas ventitent, neque alind iidem Pisis, percelebri urbe, variisque antiquitatis monumentis satis clara, quaerant, nisi ut, quorum admiratione e longinquo afficiebantur, vos coram adspiciant, sapientia vestra praesentes perfruantur, ex ore vestro pendeant, vos alloquantur, in familiaritatem se vestram insinuent. Unde ipsi etiam facile intelligatis, in quanta vos luce totius terrarum orbis versemini. Fatendum enim vero, mihi saepe contigisse, ut cum maximorum illorum virorum, qui scriptis suis ac doctrinis Academiam Pisanam superiori memoria mirifice illustrarunt, in mentem veniebat, ex illorum eorumdem desiderio vehementer laborarem, nec desiderio illi diutius ferendo parem me esse posse existimarem. Adeo me virorum illorum doctrina atque eruditio in eorumdem ipsorum libris ceperat. Sed, cum vos, viri excellentissimi, respiciebam, & quam late in omnibus terris doctrinae vestrae fama percrebuisset, tacitus cogitabam, nihil jam esse caussae fatebar, cur summos illos & doctissimos superiorum temporum viros desiderarem, quorum vos sapientiam atque doctrinam non exaequassetis modo, sed etiam longo post vos intervallo reliquissetis. Videre enim in vobis jam mihi videor Aristoteles, Platones, Euclides, Archimedes, Ptolemaeos, Hippocrates, Galenos, Papinianos, Hieronymos, Augustinos, Thomas Aquinates, Demosthenes, Tullios. Quidquid summorum & doctissimorum virorum antiquitas illa commemorat, id omne videtur mihi, cum vos attentius, Patres amplissimi, circumspicio, in hanc nostram Academiam commigrasse. Ita sane est, Auditores. Plura enim ne de laudibus vestris dicam, modestia me vestra prohibet: & satis de laudibus vestris dixisse ego videri possum, si hanc nostram Academiam, unde ornamenta in primis

nostra proficiscuntur, si non pro dignitate, certe pro viribus meis, atque his praescripti temporis angustiis, laudaverim. Dixi de laudibus. Reliquum est, ut in fine orationis meae compellem vos breviter atque alloquar, optimi adolescentes, & Academiae hujus nostrae, hoc est, omnium bonarum artium atque eloquentiae, studiosissimi. O vos beatos, & iterum ac saepius beatos, si, quam omnis doctrinae parentem atque altricem divinitus nacti estis, Academiam hanc Pisanam ea, qua par est, sedulitate, ac diligentia excolatis! Videte enim, adolescentes, etiam atque etiam in tot ac tantis Pisanae Academiae laudibus videte, ne, quod aliis laudi atque ornamento fuit, Pisis hic fuisse, & in litterarum hic studia incubuisse, id vobis probro ac dedecori futurum sit, in Pisana hac Academia fuisse, &, quam Franciscus III. Lotharingus, dominus noster clementissimus, pro regia sua erga litteras litteratosque homines liberalitate, opportunitatem vobis studiorum maximam atque amplissimam fecit, minime omnium arripuisse.

SENATVI . POPVLOQVE PISANO

PANEGYRICVS

AB

ALEXANDRO . POLITO

CONSECRATVS.

Ff

ORATIO XII.

DE LAUDIBUS URBIS PISANAE.

QUod in more institutoque majorum positum fuit, ut, qui de doctrinarum studiis sollemni hoc & legitimo die instaurandis verba ad vos faceret, Viri excellentissimi, Auditores ornatissimi, is praeclara & splendida quaeque dicendi argumenta consectaretur, quibus & litterarum excellentia atque magnitudo, quasi in quodàm sapientiae theatro, eluceret, & calcar adolescentibus ad hoc doctrinarum curriculum alacriter conficiendum admoveretur; id quum ego, pro munere & viribus meis, huc usque quotannis quam diligentissime exsequi conatus sim, undecima jam oratione sentio tandem, quod in summa rerum dicendarum copia nunquam fore credideram, ingenium mihi meum atque eloquentiam penitus defecisse. Etsi enim in laudibus sapientiae celebrandis nemini cuiquam deesse potest oratio, eaque est dignitas atque amplitudo sapientiae, ut, quo majores laudes ejus accumules, eo etiam semper major atque uberior laudum tibi materia suboriatur: tamen, in quamcunque me partem vertebam, nihil fere occurrebat, quod summi & eloquentissimi viri non ingeniosissime & doctissime praeoccupassent, aut ego etiam de litterarum laudibus, pro loci hujus auctoritate, minime explicassem. An vero aliorum ego, aut dicta etiam mea recoquerem, cui,

 quod

quod vos bene scitis, Auditores, jam inde ab initio propositum fuit, non vulgares quascunque & communes sapientiae laudes persequi; sed, quae nova magis, & praeter consuetudinem argumenta esse videbantur, ea potissimum ad hodiernam celebritatem adhibere? Equidem & illud praeclarum satis ac laudabile, post vestigia doctissimorum hominum ire, &, quae alii de iisdem litterarum studiis sapienter sciteque disseruerunt, paullo attentius retractare. Sed, quando superiore anno oratio mea de laudibus Academiae Pisanae visa minime est vobis displicere: cur, quod facturum me tunc recepi, minime nunc faciam, ut in civitatis Pisanae conspectu, apud ipsam Academiam Pisanam Pisanae urbis laudes panegyricas dicam? Profecto id officii jure suo ab Academia Pisana, pro veteribus ac singularibus suis erga hanc Academiam promeritis, populus Pisanus reposcebat, qui & hanc Academiam fundasset, & omnibus jam pridem honoribus atque beneficiis cumulasset. Quo mihi magis laetandum sit, quod nemini alteri, id mihi divinitus obtigisse, ut, tametsi ingenio & auctoritate longe omnium postremus, tamen de Oratoribus primus, quasi publico Academiae Pisanae nomine, debitum hoc jamdiu laudationis gratulationisque officium civibus Pisanis reddam atque persolvam.

Quanquam quid miremur, Auditores, neminem quemquam de nostris hominibus, doctissimis certe illis, & eloquentissimis viris, exstitisse, qui ex hoc amplissimo & ornatissimo loco publicas de civitate Pisana laudes habuerit, quum ad res Pisanorum exornandas nemo unquam unus sufficere se posse existimaverit? Neque vero ego, qui nulla sum plane eloquentia, arrogantia tanta ac temeritate fuissem, ut panegyricae hujus orationis tantum mihi onus imponerem, nisi, quod Aristides votum laudandae urbis Romae, simile ego votum celebrandarum Pisarum, propter maxima hujus ur-

urbis in Academiam nostram beneficia, suscepissem. Quae enim tanta ingenii atque eloquentiae ubertas, ut universa possit civitatis Pisanae ornamenta, non dicam amplificare dicendo, sed vel numerando recensere? Caput illud omnis laudationis, Pisas principatum quondam totius Etruriae gessisse. Nam de antiquitate quidem quaenam urbs Etruriae cum Pisis contendat? quas multo ante tempora Trojana, immo & ante Etruscorum adventum, conditas, certi quidam, neque ignobiles scriptores tradiderunt. Quod ut alii in dubium revocaverint, tamen noli tu inde putare, urbem Pisas reliquis urbibus Etruscis minime esse vetustiorem; sed ea esse urbem antiquitate, ut, quod urbium vetustissimis atque celebratissimis contigit, ejus origo in obscuro jaceat. Anne vero Pisanae inde urbis antiquitati tute maxime detrahendum putes, quod in vetustos duodecim Etruriae populos minime omnium relati sunt Pisani? Sed enim perspicue inde ostenditur, quod alii valde affirmant, Pisas multo ante fuisse, quam ullas civitates Etruriae, neque in Etruscorum, sed in Ligurum quondam censum, Pisas contributas: siquidem ferunt Pisas a Liguribus, aut certe in Liguria, aedificatas. Quod si antiquitas Pisarum cum Dionysio illo Halicarnassensi arcessenda a Pelasgis & Aboriginibus videtur, qui eam urbem ante Etruscos habuerint, aut, si ex communiori constantiorique veterum fama, origo placet Pisarum clarior atque illustrior a Pisis illis Peloponnesiacis, unde & eaedem Alpheae ab Alpheo amne Peloponnesiaco, Poetis nostris cognominatae, quam nobilem atque celebrem jam inde a primordiis oportet hanc urbem evasisse? praesertim si eam Peloponnesii, sive temporibus Trojanis, quod quidam senserunt, sive, quod alii multo sane probabilius, longe ante tempora Trojana, condiderint. Hac urbs antiquitate, hac nominis gloria & celebritate, nemo jam quisquam mirabitur, si posteaquam

quam in Etrusci nominis societatem venit, Etruriae totius primas obtinuerit, & quod gentis universae commune erat, proprium sibi nomen Etruscum fecerit. Nam, si Etrusci ante Romanum imperium plurimum mari potuerunt, si imperium maris tenuerunt, si mari Etrusco nomen dederunt, si Etrusci nominis fama terras & maria repleverunt, quod veteribus hinde historiis est testatum, hoc fere totum fuit Pisanorum, quorum nominis gloria in reliquam late Etruriam est derivata. Itaque navales laudes pleraeque omnes, quemadmodum antea a Pisanis in Ligures, cum ii Liguribus accensebantur, profectae erant; ita eae plane postea a Pisanis ad Etruscos redundarunt, cum in Etruscum Pisani nomen transierunt. Magna quidem apud me, & in primis gravis auctoritas tua, Isocrates, tum alibi scriptionum tuarum, tum maxime in Panegyrico illo tuo de laudibus Athenarum. Quid enim, Deus bone! illo Panegyrico pulchrius atque elegantius? quid eloquentius simul ac sapientius? quid admirabilius ac divinius? quem panegyricum ajunt Isocratem, virum disertissimum, totos annos decem elaborasse. Multa cum ibi praeclare Isocrates, tum illud praeclarissime, quod Graeciae totius principatum ideo Atheniensibus deberi demonstrat, quia nulla alia urbs Graecorum terrestribus proeliis tantum, quantum Athenae navalibus, excelluit. Quis autem hinc non continuo clareque intelligat, urbem etiam Pisarum vetustissimis illis temporibus principem facile fuisse reliquarum urbium Etruriae, quod nulla alia urbs Etruriae terrestri tantum bello, quantum Pisae maritimo, valuerit? Qua de urbe Pisarum certa sunt & explorata testimonia, eam antiquitus urbem magnum sibi nomen a rei navalis copia, & proeliis navalibus peperisse, quippe quae virtute bellica urbibus longe Etruscis antecelluerit. Iam vero posterioribus etiam temporibus, post fortunam Etruscam ever-

eversam, vigente maxime & florente re Romana, quanta unquam apud Romanos, victores illos gentium humanarum, prae omnibus populis Etruriae nominis Pisani existimatio, cum Senatus Romanus gratias Pisanis pro agro, quo Latina colonia deduceretur, agendas, triumvirosque ad eam rem creandos decrevit! Ita Pisae, colonia facta est Latina, ita tamen, ut municipii etiam jure uteretur; eademque sub Caesare Augusto, Cajo, & Lucio Caesaribus, Augusti filiis, optimis hujus coloniae & summis patronis, Colonia Obsequens Iulia Pisana nuncupata. Haec Pisanorum sub Imperio Romano fortuna. Quo postea Imperio labente atque inclinato, omni re Italorum misere perdita ac perturbata, tanquam si nomini Etrusco tenebrae & caligo offusa esset; ita secuta sunt tempora multo obscuriora; donec tandem primis Etruscorum erigentibus sese in libertatem, atque in melioris fortunae spem, Pisanis pristina felicitas affulgere visa est atque adspirare. Ingredior, Auditores, campum multo patentissimum ac propemodum immensum laudum Pisanarum: quo in campo exultare quidem possit oratio; sed finem minime omnium possit invenire. Ac saepe ego quum soleam res populorum Etruriae mihi ante oculos ponere, eosque inter sese populos diligenter conferre, adeo mihi Pisani reliquis omnibus populis Etruriae omni virtutis & sapientiae laude praestitisse videntur, Etruriae ut totius principatum, quem ii olim ante Romanum Imperium habuerant, Imperio jam Germanorum per Othonem Magnum fundato, & rerum gestarum magnitudine, & praeclarissimorum institutorum splendore, sibi eos rursus vindicare merito potuisse certissime existimem. Nam si de populis tunc Etruscis judicium ex rebus gestis ferri debet, cujusnam populi Etruriae res fortius ac praeclarius gestae, quam Pisanorum? qui rem navalem Etruscam jacentem jamdiu & collapsam primi omnium resti-

stituerunt, qui primi ac soli Etruscorum bella navalia susceperunt, qui pro salute & dignitate Etruriae in maxima se discrimina conjecerunt, qui jugum ab Etruria acerbissimum servitutis barbaricae repulerunt, qui ex Etruria primi pro religione Christiana contra immanissimos ac teterrimos hostes steterunt, qui plures provincias, quam omnes reliqui populi Etruriae confecerunt, qui ex Etruria uni ac soli imperium suum in Europa, Asia, atque Africa dilatarunt, qui Etruscum nomen quoquoversus intulerunt. Quid enim dicam, Pisanos iis temporibus, cum barbari vicinas insulas tenerent, & Etruriae oram infestam haberent, Etruscum mare tutum atque immune a praedonibus reddidisse? Quid Pisanos, imperio Etrusci maris denuo potitos, Musactum, regem Saracenum, e Sardiniae possessione deturbasse, eamque imperio suo insulam adseruisse? Quid Pisanos Carthaginem in Africa cum ipso rege cepisse, multasque & magnas Saracenis in Calabria atque alibi, clades intulisse, Panormumque iis in Sicilia ademisse? Quae praeclara Pisani facinora in hostes Christiani nominis acerbissimos atque infestissimos ediderunt, interea dum populi Etruriae, malum! alii aliis, ipsisque etiam Pisanis, in sacras illas piasque expeditiones profectis, iniquissime insidiabantur. Sed apud Pisanos, viros plane magnanimos, & fortes, Christiana magis caussa valuit, quam injuriae illae Etruscorum. Itaque hae minime facere potuerunt, quin Pisani, rebus fere suis neglectis, omni animorum viriumque contentione, ad rem Christianam ubique terrarum magis magisque augendam atque promovendam adniterentur. Testis Asia, & bellum illud Ierosolymitanum, quod bellum communi omnium gentium Latini nominis Christianarum consilio susceptum, communibusque viribus administratum, Pisanorum in primis opera confectum est atque absolutum. Quae enim unquam Christianorum fortitudo

do ac virtus ad tantum illud bellum, & locorum varietate, & multitudine hostium, tam longe lateque dispersum, suffecisset, nisi Pisani ad illud bellum socios sese laborum & periculorum adjunxissent? Clausum erat Christianis militibus mare, nullus iis portus tutus, insidiae iis ubique paratae, commeatus interclusi. Quae omnia impedimenta virtus Pisana feliciſſime superavit. Hic ego nihil equidem prorsus laudibus detraxerim heroum illorum Christianorum, procerumque Gallicorum, quorum etiam mirabilia & pulcherrima facta, ut nostrorum plerique & Poetarum, & Oratorum & vorsa & prorsa oratione ornare conati sint atque efferre, tamen nemo unquam unus pro dignitate celebravit: qui quidem heroes Christiani (non enim homines utcunque appellaverim, in quibus majus quiddam fuisse videtur, quam humanum) periculosissimum illud & difficillimum bellum fortissime gesserunt, & nominis sui gloriam nobis immortalem reliquerunt. Sed dico, Pisanos, Daiberto auctore, urbis Pisanae Antistite, viro sanctissimo, & religionis Christianae propagandae studiosissimo, ingenti classe navium centum & viginti instructa, mare militibus nostris ad oram usque Syriae patefecisse, duces se ac principes maritimi itineris exercitui Christiano praebuisse, impedimenta, quae hominibus Latinis ab Imperatore Constantinopolitano multa & magna inferebantur, penitus removisse, Leucadem & Cephaleniam, aliasque insulas expugnasse, Laodiceam aliasque urbes in Syria munitissimas cepisse, itaque Pisanos captae urbis Hierosolymae duces atque auctores cum primis fuisse, totiusque belli ipsos victoriam Christianis attulisse. Pro quibus etiam promeritis id honoris, prae omni natione Christianorum, civitati Pisanae datum, ut, qui Pisarum Antistes erat Daibertus, idem ipse sacris ac religioni in urbe Hierosolyma cum potestate praeficeretur. O maximam hanc laudem, o multo omnium

praeclarissimam atque pulcherrimam Pisanorum, sacri belli Hierosolymitani, belli illius celebratissimi ac decantatissimi, primas tulisse, & loca sancta ac religiosa Palaestinae ab impietate & sordibus Saracenorum expiavisse, & Christo Deo reddidisse, &, quam terram Christus pedibus suis calcavit, & sanguine suo consecravit, cultui ac religioni Christianae restituisse, ipsamque urbem Hierosolymam magna ex parte collapsam refecisse, murisque & operibus communivisse! Quis spectare jam possit Pisas, quin totum simul orbem terrarum, certe quidem partes ejus tres maximas, una contempletur, in quibus Pisae olim dominatae! Vel quis universum jam orbem terrarum longe lateque circumspiciat, quin vel in disjunctissimis terris impressa fortitudinis ac pietatis Pisanae simul etiam vestigia intueatur? Verum non his laudum bellicarum terminis virtus Pisana circumscripta est, aut definita. Nam & aliquot post annis Pisani insulas Baleares navibus trecentis aggressi sunt, eas ut insulas a barbarorum manibus eriperent, & *Christianos*, qui, ad triginta hominum millia, diuturna ibi captivitate ac vinculis miserrime detinebantur, in libertatem vindicarent. Nemo hic quisquam vestrum rogot me, Auditores, quid & quantum malorum in expeditione illa Balearica totos sex & viginti menses Pisani sustinuerint, quid & quantum ii periculorum adiverint, quam multa & quam magna ii certamina subiverint, quot & quantos ii labores exantlaverint. Quis enim enumeraverit omnia? Potius me quis roget, quid unquam fuerit, aut excogitari etiam potuerit malorum atque periculorum, quod Pisani non pertulerint, non susceperint, non superaverint. Dicam ne, Pisanorum exercitum commeatus tunc difficultate laborasse, quum milites plerosque fames extinxerit? nulla tunc Pisanos pericula detrectasse, quum vulnera ibi saepe & clades acceperint? tempestate tunc Pisanos adversa jactatos, quum aliquot etiam

iam eorum naves naufragium fecerint? Pisanos, tot malis ac tantis fractos & debilitatos, tandem aliquando concidisse, quum maxime tunc constiterit, virtutem Pisanam labore & constantia, quo contendisset, pervenire potuisse? Victae enim sunt a Pisanis insulae Baleares, caesa quinquaginta hostium millia, captivi Christiani e vinculis soluti, victoria omnium clarissima reportata. Quid vero inde & quantum praedae ac manubiarum? quum eo barbari vim immensam divitiarum & quidquid unquam rerum pretiosissimarum praedando e regionibus circumcirca Christianis abstulerant, congessissent? Quibus ex manubiis Pisani id, quod multo omnium pretiosissimum, maximeque aestimabile erat, Deo consecrarunt. Testatur templum Pisanum maximum, testantur valvae ejus ex aere, opere caelato, admirabili atque pulcherrimo, testatur sacra ejus & locupletissima supellex, testantur cetera & plurima dona, Deo Pisis dedicata; haec, inquam, omnia testantur, quo Pisani tantae illius victoriae fructum retulerint, nimirum ad religionem. Religio Pisanos ad bellum illud Balearicum impulerat. Religio Pisanorum animos erexerat, & confirmaverat. Religio robur Pisanis & fortitudinem addiderat. Dederunt igitur Pisani religioni, quod religionis ductu atque instinctu fecerant, ut insulis Balearibus, & tanta illa, & tam opima inde praeda, potirentur. Nec enim amor divitiarum, Auditores, nec praedae, aut dominationis cupiditas ad bella unquam Pisanos rapuit, aut inflammavit. Fuit hoc proprium, fuit Pisanorum, religionem Christianam, quam a Petro, summo illo & principe, secundum Christum, ejus religionis antistite, primum didicerant, studiosissime colere, hanc unice quaerere, hanc sibi normam, hanc regulam, hanc actionum quarumque suarum praescriptionem proponere. Vetus & constans apud Pisanos fama est, Petrum ad Pisana littora appulsum, eo lo-

co, cui nunc ad Gradus nomen est, primam in Italia ex marmore aram erexisse: quam etiam nunc aram, beatissimi Clementis sanguine guttatim resperſam, in veneratione habent atque ostendunt Pisani. Ab eo tempore religionem Christianam ferunt summopere apud Pisanos, vel in maximis ac violentissimis procellis, firmam ac stabilem, & nullo unquam errore contaminatam, viguisse, & hac religione nihil unquam sanctius & antiquius Pisanos habuisse. Inde ex avito illo religionis Christianae studio, postea etiam quam civitates Etruriae frenum Romani imperii excutere, suique juris esse coeperunt, hac veluti tessera discreti & sejuncti sunt Pisani ab aliis populis Etruriae, quod alii res vicinorum invadere; Pisani rem Christianam quoquoversus amplificare studuerunt. Alii ad rem navalem, mercaturae tantum & negotiationis faciendae caussa; Pisani, religionis potissimum dilatandae caussa, sese applicaverunt. Aliorum populorum Etruriae primus impetus, primaque aggressio in finitimos, hoc est, in *Christianos*, fuit; Pisanorum in Saracenos. Ego vero vobis irascor, & vehementer quidem irascor, populi Etruriae, qui in omnem occasionem opum augendarum, potentiaeque amplificandae intenti, bella cum Pisanis serere, eorumque de Christianae religionis adversariis victorias, vel in medio earum cursu, retardare, aut etiam omnino impedire, nunquam destitistis. Quis enim nescit, populos Pisis cum primis finitimos, tametsi ceteris suis laudibus valde admodum praestantes, tamen interea, dum Pisani, religionis Christianae caussa, domo, contra Musactum Sardiniae regem, abessent, in territorium Pisanum hostili manu irruisse, magnamque ejus territorii partem occupasse; coactosque etiam esse aliquando Pisanos Florentinorum fidei urbem suam adversus eos populos tuendam conservandamque commendare, interea dum ipsi, salvis rebus suis, in expeditionem illam Balea-

learicam proficiscerentur? Ita Pisani, ut Christianae caussae ac religioni servirent, sua minus curare, hoc est, ea, quae sibi charissima erant, ipsamque patriam, qua nihil prorsus homini dulcius est atque charius, rei Christianorum publicae longe posthabere minime dubitarunt. O Pisani! o vere omni laude & immortalitate dignissimi! quis vestrum hoc factum verbis satis suis extollat? Quod factum tale profecto est ac tantum, ut animo quis fortasse possit illud cogitare; oratione certe persequi & explicare nequaquam possit. Tale hoc & tantum, & tam divinum, ac propemodum incredibile in religionem Christianam studium Pisanorum bono tuo expertus es, Aymerice, rex Hierosolymitane, vir fortissime, qui, quum undique bello a Saracenis premerere, qui urbem quoque jam Alexandriam occupavissent, confugiendum tibi esse ad Pisanos, eorumque tibi opem implorandam esse, existimasti. Quis enim tunc Pisanis aut a copiis navalibus instructior? aut Reipublicae Christianae tutandae servandaeque studiosior? aut ad pericula Christianorum hominum propulsanda alacrior? aut ad belli discrimina subeunda promptior? aut ad auxilium tibi ferendum paratior? qui, triremibus missis quadraginta, victoriam tibi pulcherrimam atque gloriosissimam de hostibus tuis compararunt. Pro quo benefacto Pisanorum gratiae abs te, Aymerice, Senatui Populoque Pisano perhonorifica legatione, verbisque quam amplissimis & ornatissimis actae. Atque hinc cognoscite, Auditores, Pisanos ea inter Etruscos potentia fuisse, ut magni quoque reges ad eorum opem confugere consueverint, eo autem religionis studio, eaque animi magnitudine ac temperantia, ut ex bellis contra Saracenos gravissimis & difficillimis salutem ipsi duntaxat & securitatem Christianae reipublicae quaesiverint. Non enim quaestu aut pecuniis felicitatem ac magnitudinem suam mensi sunt Pisani; sed rempublicam

Chri-

Christianam conservare; sed pro salute & dignitate Christiana sese periculis objectare; sed religioni Christianae militare; sed nominis sui honestissimam ubique, & clarissimam famam colligere, has veras & tutissimas esse divitias, hoc officii sui munus, hoc Pisanum esse, duxerunt. Quo quidem religionis studio, rege quondam Carthaginis capto, ille demum Pisanis verus & justus triumphus visus fuit, ut eum regem captivum Christiane erudiendum curarent, Romamque ad Pontificem Christianis mysteriis initiandum adducerent, indeque eum Pisis apparatu regio exciperent, ac tandem sumptibus ipsi suis in regnum reducerent. Quem ex bello illo Carthaginiensi Pisani laborum suorum fructum maximum atque amplissimum perceperunt. Hoc ipso religionis Christianae studio quis jam Pisanos non fateatur victorias omnes de Saracenis suas in religionis ejusdem propagationem atque incrementum & fructus uberrimos & lectissimos victoriarum in sacra quaeque aedificia, & religiosiora pietatis Christianae *monumenta*, atque in templi maximi & sanctissimi structuram atque ornatum, uberrime contulisse? Quis enim ignoret, Pisanos studio illo religionis, similiter atque Helenam quondam Augustam, matrem illam Constantini Imperatoris, narrant terra Hierosolymitana sacellum Romae Hierosolymitanum inde appellatum, constravisse, Pisanos, inquam, aemulatione illa religionis, vel usque ex Hierosolymis terram Pisas advexisse, inde ut in patria sua campum religiosum ac sanctum construerent, quem Ubaldus Lanfrancus, Pontifex Pisanus, publice dedicavit? eodemque religionis studio Pisanos ex praeda ac manubiis victoriae illius Panormitanae templum maximum & religiosissimum, aedesque proximas pontificales, exaedificare Pisis coepisse, & Ioanni Comneno, Imperatori Graecorum, quod iter is Hierosolymitanum intercludere atque impedire conatus esset, eam multam ir-

irrogasse, ut templum illud & aedificium Pisanum impensa sua absolveret? Quis vero tanti hujus templi non admiratione summa moveatur, & religionem in eo simul ac magnificentiam Pisanam non vehementer suspiciat? quod augustissimum templum, quingentorum & quadraginta passuum ambitu, columnis marmoreis subnixum duabus & septuaginta, operis majestate simul ac splendore, admirationem eam sui excitat, ut miraculum illud Etruriae jure nos appellare posse videamur. Quis ibi etiam sacrae turris marmoreae atque pulcherrimae adspectu non obstupescat, ac simul etiam artificio non totus contremiscat? quae turris inclinando extrinsecus ac propendendo, praesentem jam praecipitemque ruinam minitatur: quum tamen, si eam intus adspicis, sese eadem ad perpendiculum rectam sistat tibi statim ac repraesentet. Studium hoc religionis tota loquitur urbs Pisarum, loquuntur publica & privata donaria, loquuntur sancta quaeque, & pia instituta civitatis, ipse etiam loquitur, qui in honorem Rainerii, viri sanctissimi, & patroni praesentissimi Pisarum, quarto quoque anno, summa omnium laetitia, maximoque populorum exterorum concursu, dies festus peragitur celeberrimus, & cum primis sollemnis, cum, lucernis & funalibus numero propemodum innumerabili confertis, & in varias concinnasque figuras pulcherrime dispositis, iisque noctu tota urbe accensis, totae ardent Pisae, & nox diem propemodum exhibet, &, quacunque per urbem vagere, tot illae simul luces vivam quandam solis purissimi atque splendidissimi imaginem referunt. Iam vero ex hoc ipso religionis studio quam Pontificibus Romanis dediti, & obsequentes! quam Pontificum Romanorum observantes & studiosi! quam officiosi in Pontifices Romanos & hospitales Pisani! Testem ex annalium monumentis te cito, Gelasi Secunde, Pontifex Maxime, cito etiam te, Callixte Secunde, quorum alteri profugo,

go, dum Henrici Quinti Imperatoris iram declinares; alteri hac transeunti, dum Romam e Galliis proficisceere, tutum ac liberale hospitium Pisae praebuerunt. Nec tibi, Innocenti Secunde, in tanto illo Romano tumultu gravissime ab adversariis periclitanti praesto alii fuerunt, qui te fugientem exciperent, & in urbem suam paratis triremibus ducerent, nisi Pisani, qui & caussa tua bellum maximum & periculosissimum contra Rogerium, Siciliae regem, suscipere minime omnium dubitarunt. Quid? quod Pisani, tametsi, propter initam cum Florentinis societatem, interdictione eadem sacrorum, qua Florentini, a Gregorio Undecimo, Pontifice Maximo, puniti, tamen eum Pontificem, Romam e Gallia contendentem, venerati, secundum Deum, omni officiorum genere, maxime sunt, &, missis etiam triremibus, adjuverunt? Tanta Pisanorum fuit adversus Pontificem Romanum reverentia atque observantia. Et quisquam mirabitur, Pontifices Romanos labenti reipublicae Christianae, & afflictis rebus suis, praesidium aliquando & firmamentum a Pisanis quaesivisse, & Pisas, paratissimum ac praesens perfugium habuisse, quo, & ipsi in summo rerum discrimine semet tuto reciperent, & commune gentis Christianae Concilium convocarent? Quo etiam perfugio nullum sibi melius atque paratius ceteri quoque Antistites Christiani in rebus Christianae reipublicae desperatissimis esse judicarunt. O illam Pisarum in Annalibus Christianis memoriam sempiternam! o memoriam illam amplissimis monumentis consecratam, cum ab Innocentio Secundo, Pontifice Maximo, ex omni gente Christiana Concilium Pisas coactum est, ibique, de Patrum sanctissimorum sententia, res Christianae, quae vacillare quodammodo ac claudicare videbantur, confirmatae sunt & constabilitae! O illud etiam ad memoriam urbis Pisanae maxime insigne, cum in deplorando illo, maximeque diutur-

tur-

turno Christianae reipublicae discidio, toto orbe Christiano in partes duas diviso, atque inter sese acerrime concurrente, ad discordias Christianorum sedandas, pacemque inter partes conciliandam, nullum praesentius atque efficacius remedium visum fuit, quam utriusque partis homines Pisas in unum simul Concilium frequentissimos congregari! Sinite hoc loco, Auditores, Oratorum more, omittere me ac praeterire labem illam nominis Pisani, quam Pisani, ut Friderico Secundo Imperatori, Gregorii Noni, Pontificis Maximi, hosti acerrimo & crudelissimo, gratificarentur, imprudentes contraxerant, quae quidem labes tanta certe fuit, ut perpetua potius oblivione obruenda, quam ulla ex parte memoranda esse videatur. Sed decepti sunt Pisani a Friderico. Sed rei potius ignoratione, quam ulla in Ordinem sacrosanctum malevolentia, Henricum, quem, corrupto nomine, Hencium vulgo vocitarunt, filium nothum Friderici, qui triremibus viginti instructissimis a Friderico advenerat, ducem & auctorem sceleris, secuti sunt. Sed culpa illa fuit erroris humani, quo eodem postea errore Manfredo, alteri filio notho Friderici, adhaeserunt. Sed quidquid illud fuit facinorum, inconsideratae que temeritatis, & multitudine & magnitudine benefactorum Pisani largissime compensarunt. Nam eximia quidem pietas vestra in Pontificem Romanum, Pisani, quum semper antea plurimis & certissimis argumentis declarata fuerit, tum etiam postea maxime enituit, cum, Pisis in Florentinorum potestatem redactis, conciliabulo ibi contra Iulium Secundum, Pontificem Romanum, temere atque impudenter constituto, vos, vos, inquam, cives Pisani, qui amissam libertatem magno fortique animo ferebatis, tale & tantum nefas contra Pontificem Romanum ferre nullo modo potuistis; sed, armis arreptis, impetuque facto, seditiosos factiososque homines, qui eo, tanquam ad concilium, convenerant,

ex urbe vestra profugere, atque in rem malam abire, coegistis. Tantum apud Pisanos studium valuit religionis: de qua bene merendo Pisani, promeriti jampridem fuerant, ut quas insulas ditioni ipsi suae subjecerant, earum insularum primatum, Sardiniae nimirum & Corsicae, Pontifices Romani in Pisanum Pontificem conferrent. Age vero, quanta fortitudo Pisanorum bellica! quorum vel in otio semper fuit jam inde a pueritia ad bellum, atque ad pugnandum etiam cominus in acie, exercere sese atque erudire. Quid enim, per Deum immortalem! quid aliud tandem sibi voluit umbratile illud & domesticum bellum, sapientissime olim apud Pisanos institutum, & etiam nunc magnifico subinde apparatu a Pisanis celebratum, cum, divisa in partes factionesque duas civitate, pars altera bellum alteri de ponte indicit, jamque utraque acies infestis signis medio in ponte inter sese concurrit, & pedites utrinque cataphracti collato pede proeliantur; jamque in eodem vestigio stant confertissimi, itaque manus conferunt, & clavarum ictibus validissimis verberant sese ac contundunt? Alii alios loco pellunt; capiunt, & capiuntur; aliis fessis alii succedunt; jamque eo propemodum ventum est, ut, adversariis repulsis, pontem uni occupent, cum ecce tibi, subsidiariis cohortibus in primam extemplo aciem emissis, pugna subito restituta, instantibus hi adversariis cedere, & victoriam, quam in manibus habebant, amittere, & maxima simul fieri utriusque exercitus concursatio, donec alii alios penitus vinçant, aut dubiam certe utrique victoriam relinquant, tanta virium contentione, tanto ardore animorum, tantoque partium studio, popularis ut illa concertatio non simulacrum jam belli, sed civile & crudele bellum, & verum justumque proelium referre omnino videatur. Quid igitur aliud sibi ludicro illo bello atque umbratili veteres Pisani, homines sapientissimi ac

for-

fortissimi, voluerunt, nisi ut ita juventutem Pisanam ad usum belli, & ad vera justaque certamina praeparent atque instruerent? ut in illo nimirum veluti militiae tirocinio Pisani assuescerent, sive pro varia belli fortuna vincerent, sive vincerentur, semper se milites bonos, & viros fortes, hoc est, Pisanos, praebere. Hac indole virtutis bellicae prae omnibus Etruriae populis Pisani fuerunt, homines unice facti ad gloriam Etrusci nominis quoquoversus dilatandam: ut divino prorsus consilio mihi semper visi sint Magni Etruriae Duces Pisis, prae reliqua Etruria, tanquam loco maxime commodo, atque ad memoriam antiquae Etruscorum gloriae & fortitudinis in primis opportuno, nobilissimum equitum fortissimorum & splendidissimorum Ordinem instituisse, ejusque ibi sedem stabilem collocasse. Nec tamen Pisani, summi illi Orientis & Occidentis victores, bella unquam ulla cum populis Christianis gesserunt, nisi coacti & lacessiti, nisi ut res suas, nisi ut sociorum suorum, & Pontificum cumprimis Romanorum, jura defenderent, nisi denique ut illatas sibi injurias ulciscerentur. Hae unae ac solae Pisanis bellorum contra Christianos suscipiendorum caussae. Bella Pisani magna & periculosa cum Genuensibus gesserunt, cum Florentinis, cum Lucensibus, cum Rogerio, Siciliae rege, cum Iacobo Aragoniae, cum Imperatore Graecorum. Sed quam justa illa bella, & quam necessaria! quibus semper in bellis fidem sibi ante omnia praestandam tenendamque esse censuerunt. Namque & foedera religiose servare, & amicitias fideliter colere, Pisanorum fuit. Nam de potentia tunc & viribus Pisanorum quid attinet dicere? quum in bello Ligustico familiae centum Pisanae rostratas totidem naves sumptu suo aedificaverint, omnique apparatu ad pugnam navalem instruxerint. Quid de amplitudine & munimentis urbis Pisarum? quum Pisae decem fere praecelsarum atque editarum

turrium millia, ad praesidium & munitionem urbis, numeraverint. Quid de terrestrium navaliumque copiarum multitudine? quum classes Pisanae amplius quadraginta bellatorum fortissimorum millia navibus trecentis in expeditionem eduxerint. Quid de multitudine & magnitudine victoriarum? quum Pisani urbes potentissimas & munitissimas, insulasque & regna sub jus potestatemque suam subjunxerint. At gloriae tamen bellicae alii etiam tecum consortes aliquando fuerunt: gloria sapientiae ac litterarum inter omnes urbes Etruriae tota tua est ac fuit, urbs clarissima & celebratissima Pisarum. Tuum, prae reliquis urbibus Etruscis, fuit, simul cum imperio sapientiae quoque, ac doctrinarum studia propagare atque augere. Tuum, ex opima urbis Amalphitanae praeda manubias tibi unas, Pandectas Iuris Romanorum civilis petere ac reservare. Tuum, a vectigalibus tibi tuis parcere, ut litteras artesque honestissimas foveres, atque amplificares. Tuum denique opus, tuaeque sapientiae fuit, Academia haec *Pisana*: qua certe Academia ad laudum tuarum cumulum nihil unquam afferri potest majus atque uberius. Quid enim, Deus bone! ad Pisani nominis gloriam majus, atque ad Pisas collaudandas uberius, quam ex tota non Etruria modo & Italia, sed etiam Europa, summos quosque & doctissimos viros huc Pisas frequentes confluere, Pisas, amores & delicias suas ducere, Pisas, non domicilium modo, sed etiam oblectamentum & solatium vitae, habere? Sunt & alia complura, fateor, quae peregrinos quosque & exteros homines huc Pisas vehementissime allectent atque invitent, caelum, quo nihil salubrius atque mollius, mare, quo nihil amicius atque hospitalius, plaga, qua nihil pulchrius atque amoenius, ager, quo nihil uberius ac fertilius, ipsa etiam urbs, qua nihil nobilius ac celebrius. His omnibus quis non videat fontes laudum uberrimos contineri? Sed

haec,

haec, quae ceteros vulgo homines mirifice permovent; minimum certe valent apud eos, qui uno ſapientiae ac doctrinae ſtudio afficiuntur. His unum illicium, unae illecebrae, unum incitamentum, emporium hoc clariſſimum omnium honeſtiſſimarum artium atque facultatum, inſtructiſſima haec eloquentiae & ſapientiae officina, nobiliſſima haec Academia Piſana: ubi & caelum ac ſidera ex alta ſpecula contemplentur, & herbarum naturam ac vires ex hortis lectiſſimis ac pretioſiſſimis perноſcant, & reconditiora quaeque atque abſtruſiora omnium doctrinarum ex ſummis & eruditiſſimis magiſtris perdiſcant. Itaque haec mihi viſa eſt Piſarum laudandarum ſumma, ut jam omnes uno plane ore conſentiant ac fateantur, Piſas omni laudis genere, & rerum quondam geſtarum gloria, & nominis celebritate, & urbis ſplendore, & proventu uberi agrorum, & aeris ſalubritate, &, quod maximum eſt, atque omnis laudationis caput, ſtudiis etiam nunc ſapientiae, toti reliquae Etruriae longe antecellere. Neque vero putetis, Auditores, temporibus illis barbarioribus, ante hanc Academiam fundatam, ſtudia doctrinae & litterarum, tanquam in ſitu & ſquallore ſepulta atque neglecta, apud Piſanos jacuiſſe. Quis enim neget, ſuperioribus etiam temporibus, ſi uſquam alibi, certe quidem Piſis, publica bonarum litterarum, legumque in primis civilium, ſtudia maxime viguiſſe? quum hinc Piſis Lotharius Primus Imperator viros doctiſſimos & ſapientiſſimos arceſſiverit, quorum ipſe opera Romae in legibus condendis uteretur, & hic Piſis religioſiores etiam viri, antequam iis juris civilis profeſſione in ſcholis interdiceretur, egregiam juriſprudentiae addiſcendae operam navaverint, & hic Piſis perinſigni viri ſcientia atque litteratura, in rebus divinis & humanis, in medicina & juriſprudentia, & in omni politiori doctrina atque humanitate, ſummopere floruerint; nec vero Piſani, rebus

bus

bus praeclare ac sapienter & fortiter gestis, praestare adeo potuisse tunc videantur, nisi ingenio bonisque artibus & disciplinis praestitissent. Quae quum tot sint ac tantae laudes Pisarum, quid ego jam dubitem, Auditores, Graecos Poetas & Oratores imitari, &, quod illi magnifice non minus, quam vere, Athenis elogium tribuerunt, pari id ratione ad urbem Pisarum transferre atque accommodare, ut, quemadmodum illi Athenas, Museum Graeciae, columen & firmamentum Graeciae, Graeciam Graeciae, dixerunt, sic ego, quam maxima possum & vocis & animi contentione, Pisas, Museum Etruriae, Pisas, columen & firmamentum Etruriae, Pisas, Etruriam Etruriae, splendida aeque ac vera laudatione, appellem? Macti animo, viri Pisani, estote. Bene vobiscum divinitus actum, quod, sub aequissimo jam Francisci III. Lotharingi, Magni Etruriae Ducis, Domini nostri clementissimi, imperio, tantum & splendoris & dignitatis urbi vestrae accesserit, ut ad antiquam illam majorum vestrorum & *fortitudinis* & sapientiae gloriam adspirare tandem possitis. Macti etiam ingenio & doctrina, adolescentes honestissimi, estote, qui, sapientiae comparandae caussa, huc Pisas, in hanc Academiam Pisanam, in hoc universae sapientiae ac doctrinae domicilium, ex tota Etruria, atque etiam fere Italia, convenistis. Efficite, quod vos maxime decet, & quod jure suo a vobis Academia Pisana postulat, adolescentes, ut hinc doctrina per vos in reliquam Etruriam, atque adeo Italiam, totamque Europam, longe lateque propagata, nomen Pisanum, non gentis jam Etruscae nomen, sed sapientiae & doctrinae Etruscae argumentum esse videatur.

CA-

CAIETANO . ANTINORIO
EQVITI . PATRICIO . FLORENTINO
CAESARI . ET CAESAREO
ETRVRIAE . REGIMINI
A . SECRETIS
VIRO . CLARISSIMO
ET . NOBILISSIMO
ET . GRAECARVM . ET . ROMANARVM
ATQVE . ETRVSCARVM
ANTIQVITATVM
OMNIBVSQVE . ERVDITIONIS
STVDIOSISSIMO
DOCTO . IPSI
ET . DOCTORVM . IN . PRIMIS . VIRORVM
AMANTISSIMO
DE . LITTERIS . ET . DE . ACADEMIA
PRAESERTIM . PISANA
ET . COLLECTIS . VNDIQVE . INGENTI
SVMPTV
ATQVE . IN . MVSEO . SVO
ADSERVATIS . RARISSIMIS
ET . PRETIOSISSIMIS . CIMELIIS
DE . TOTA . ANTIQVITATE
OPTIME . MERITO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . HANC . SVAM
AD . ACADEMIAM . PISANAM
DE . NOBILITATE . LITTERARVM
MEMORIAE
ET . HONORIS . CAVSSA
L. M. Q. D. D. D.

ORATIO XIII.

DE NOBILITATE LITTERARUM.

SAepe ego ad aures vestras pervenisse puto, Viri excellentissimi, Auditores ornatissimi, querelas nonnullorum gravissimas de conditione misera litterarum, quod male cum litteris ageretur, nec sua doctrinae atque eruditioni praemia deferrentur. Quae quidem querelae ut justam satis caussam aliquando habuisse videantur, quod praeclara quaeque optimarum artium studia ita contempta atque neglecta veluti in tenebris & squallore jacerent; tamen nobis & Academiae nostrae maxime nunc gratulandum, quod Franciscus Primus Imperator, Pius, Felix, Augustus, Dominus & Patronus noster praesentissimus atque beneficentissimus, nullum jam his querelis locum reliquerit; sed augusta sua ac propemodum divina liberalitate afflictas & abjectas litteras erexerit atque recreaverit. Sic enim Academia nostra omnibus ingeniorum doctrinarumque laudibus, ut nunquam antea, florebit ad memoriam tantae liberalitatis sempiternam. Quanquam, ut verum fatear, Auditores, tanta est dignitas atque amplitudo doctrinae, ut in ea doctorum hominum quisque, nullo alio sibi quaesito praemio, merito conquiescere posse videatur. Ipsa enim sibi praemium doctrina. Ego, quum hoc sollemni & legitimo Studiorum nostrorum instaurandorum die, ad inflammandos litte-

rarum ſtudio adoleſcentes, nobiliſſima quaeque dicendi argumenta mihi ſemper perſequenda eſſe duxerim, rem nobilitate veſtra digniſſimam, neque vobis audita injucundam, facturum me judicavi, ſi ex plurimis ac maximis litterarum laudibus nobilitatem praecipue ſeligerem, quam hodierna vobis oratione ante oculos ponerem atque celebrarem. Quod ſi apud vos, Auditores nobiliſſimi, pro dignitate & nobilitate litterarum praeſtitero, facile me impetraturum confido, ut nemo jam unus doctorum litteratorumque virorum conditionem litterarum miſeram conqueratur.

Quid enim litteris nobilius atque illuſtrius? quarum eſt cetera quaeque nobilitare. Hic non dico, quod alii plerique omnes vulgo jactitarunt, ſiquem alium, virum certe nobilem maxime litteras decere, nec cuiquam alteri turpius eſſe, quam viro patricio & nobili, non dico jus, quod Q. Mutius diſerte affirmabat; ſed ea omnia, quae libero & eleganti homine digna *ſunt*, ignorare. Nec etiam dico, quod in *ſcitis decretiſque* veſtris, Iuriſconſulti, poſitum eſt, excellentem cujuſpiam doctrinam nobilitati generis longe eſſe anteponendam, aliamque plane eſſe nobilitatem generis a nobilitate doctrinae. Quae quanquam ab aliis veriſſime & ſubtiliſſime diſputantur, ea tamen non dico, ne, quod ab orationis meae argumento quàm maxime abhorret, committere inter ſeſe velle videar & litterarum & generis nobilitatem. Illud unum dico, & palam atque audacter praedico, nobilitatem quam nos vocamus, unde alii prae aliis nobiles illuſtreſque appellantur, qualiſcunque ea demum & quantacunque ſit, totam a litterarum gloria proficiſci: quae nobilitas nulla unquam in rebus humanis fuiſſet, niſi litterarum lumen acceſſiſſet. Atque utinam liceret mihi, quod Geographi ſolent, per totum vos terrarum orbem longe lateque circumducere, aut, quod ſolent Chronographi, ſuperiorem omnem

omnem memoriam, jam inde ab ultima antiquitate, oratione complecti atque percurrere! Sic enim & vobis in promptu esset, Auditores, & loca quaeque inspicere, ubi litterae & altae & educatae increverunt, & tempora ultima recordari, quae tempora litterae ab oblivione & silentio vindicarunt; itaque, quanta omni tempore & ubicunque locorum gloria atque nobilitas litterarum fuerit, clarissime intueri. Quotus autem vestrum quisque est, qui nesciat, quemadmodum hominibus, ita & suam locis nobilitatem inesse, aliasque urbium nobilitate aliis cedere, alias etiam cum aliis de nobilitate decertare? Hinc plerosque omnes scimus laudem sibi ac decus nobilitatis a nobilitate patriae quaesivisse, &, quod valde quis miretur, ambitionis hujus suae duces atque auctores nonnullos de jurisconsultis habuisse, qui in libris suis de nobilitate ad hominis cujusque nobilitatem, claritatem aliquando, & nobilitatem patriae satis superque esse censuerunt. Fertur etiam Ulpianus nobilis ille Iurisconsultus, valde admodum gloriatus de patria sua Tyro, urbe nobilissima atque antiquissima Phoenices: quum tamen Alexandrum Severum Augustum puderet, se genere Syrum vocari, qui se a majoribus Romanum dictitaret. Verum qui doctrina ac sapientia ceteris longe mortalibus antecellit, is, ego nolim, sese venditet atque efferat eo genere laudis, quod sit ei cum vulgo hominum commune. Non enim, ut ceteris, sic etiam viro docto, ac sapienti, patria honori fere atque ornamento est; sed ipse patriae. Celebratissima urbs Ciliciae, ac veluti Ciliciae oculus, Tarsus fuit. Nihilo tamen inde a patria Tarsensis Paullus celebratior. Immo vero ipsa Tarsus multo inde clarior atque nobilior, quod Paullum, scriptorem sapientissimum ac vere divinum, protulerit. Clarissima urbs Ioniae, Ephesus; neque inde tamen clariores, qui Ephesii patria fuerunt, Heraclitus ille Philosophus, & Sora-

nus Medicus. Urbs notissima & celeberrima, Halicarnassus. Sed non quia Halicarnassensis patria, ideo notior atque illustrior pater ille historiae Herodotus, aut historiae Romanae scriptor nitidissimus atque elegantissimus, Dionysius. Syriae urbs maxima, maximoque ea in urbibus nomine, Antiochia. Neque ideo tamen magis laudati, aut Libanius, qui viam Chrysostomo ad eloquentiam praeivit, aut aurea ille eloquentia, Chrysostomus, aut sectator Chrysostomi studiosissimus, Theodoretus, aut Aphthonius ille Sophista, aut de scriptoribus etiam divinis Lucas, is, qui res Christianorum primus historiae mandavit, non hi, inquam, magis laudati, quod ab urbe Antiochia prodierunt. Amplissima urbs & ornatissima, Alexandria, urbs olim urbium secundum Romam maxima, quae ad notam quandam magnitudinis atque excellentiae, Polis Graecis appellata est, quemadmodum Roma, Urbs Romanis. An ideo nobiliores, quod Alexandrini, Didymus ille Grammaticus, optimus & laboriosissimus, alterque *postea* Didymus, interpres librorum divinorum diligentissimus, & Ammonius, praeceptor Origenis, & ipse Origenes, longe ille princeps totius & sacrae & profanae eruditionis, & Athanasius & Cyrillus, cui a patria cognomen Alexandrino, & Appianus, & Herodianus, & Achilles Tatius, &, si ita placet, Claudianus etiam Poeta, & Pappus ille Mathematicus, & Grammaticus ille Philoponus, & alii quamplurimi viri doctissimi, atque ab omni rerum praeclarissimarum scientia instructissimi? An hi igitur nobiliores, quod patria Alexandrini? Minime vero. Immo doctrina hi sua nobilitatem illam patriae mirum in modum auxerunt. Nobilissima urbs Africae, itemque maxima Carthago, quae de magnitudine & nobilitate cum urbe Alexandria facile contenderit. An ne vero inde nobiliores atque illustriores, & Terentius, Poeta elegantissimus maximeque Lati-

tinus, & lumen illud Africanae eruditionis, Tertullianus & Cyprianus, & Marius Victorinus, quod ii patria Carthaginenses? Nequaquam, Auditores. Constantinopolis, nova Roma, sede eo translata Imperii Romani, majestate atque magnificentia sua visa est ceteras omnium terrarum urbes vel potentissimas atque maximas longissime superasse, urbs sane & natura & situ & descriptione aedificiorum pulcherrima, quam eo quidem laudando extulerunt, ut orbem terrarum orbis, eam urbem appellarent. Tulit ea urbs viros in primis doctos atque eruditos. Tulit Iulianum, hominem unice factum ad studia bonarum litterarum, nisi ingenii lumen atque doctrinam impietate obscurasset. Tulit Photium, qui Bibliothecam scripsit. Tulit praeter alios multos, interpretem Homeri maximum atque locupletissimum, & a varia doctrina instructissimum, Pontificem postea Thessalonicensem, Eustathium. An his tanta viris praestantia ac nobilitate doctrinae Constantinopolim patriam quidquam ad gloriam atque ad nominis celebritatem contulisse existimabimus? Nihil mehercule: nihil certe magis, quam ceteris civibus suis vel summo loco natis, quorum extincta penitus memoria est oblivione sempiterna posteritatis. At contra percrebuit doctissimorum illorum fama, eaque in omnem deinceps aeternitatem manebit: itaque, vel misera atque jacente urbis Constantinopolitanae fortune, laudes semper ejus urbis magis magisque celebrabuntur, quod viris doctrina claris atque insignibus incunabula, sive etiam domicilium praebuerit. Nam & urbi Constantinopoli singulari ornamento ac decori fuerunt viri plerique alii doctissimi, qui, tametsi aliam patriam sortiti, tamen in ea urbe ingenii & doctrinae laude summopere floruerunt: qualis Themistius, magnus & Philosophus & Orator, cui, propter vim admirabilem eloquentiae cognomentum fuit Suadae; itemque Michael Psellus, summus

mus ille Philoſophorum, atque in omni rerum optimarum ſcientia verſatiſſimus. Dies me deficiat, Auditores, ſi velim, non dicam exornare dicendo, ſed vel numerando percurrere inſignes quaſque urbes, & in primis nobiles atque illuſtres, quas viri docti & litterati vel ortu, vel domicilio ibi ſuo cohoneſtarunt. Quid enim referam Apameam, patriam Poſidonii, Amaſeam Strabonis, Peluſium Ptolemaei, Spartam Chilonis, Megalopolim Polybii, Chaeroneam Plutarchi, Mediolanum Salvii Iuliani, Miletum Thaletis & Anaximandri, Mitylenen Pittaci, & Alcaei, Cyrenen Callimachi & Eratoſthenis, Damaſcum Nicolai & Ioannis, qui inde Damaſceni appellati? Quid urbes clariſſimas Meſopotamiae, Edeſſam & Niſibin, quarum altera Ephraemum Edeſſenum, altera Iacobum Niſibenum, vel in lucem edidit, vel in civitatem recepit? Quid Caeſaream Cappadociae, alteramque Caeſaream, urbem opulentiſſimam Palaeſtinae, quarum alteram Pauſanias, ſcriptor Graeciae perquam curioſus atque accuratus, alteram Euſebius ille Caeſarienſis, & Procopius hiſtoricus, nobilitarunt? Quid Syracuſas, urbem quondam potentiſſimam Siciliae, atque ex quatuor urbibus maximis conflatam, cujus tamen ornamentum eximium ac maximum, Philemon & Epicharmus, & Theocritus, & Mathematicus ille admirabilis, Archimedes? Quid Sinopen, urbem inclytam Paphlagoniae, regiam illam quondam Mithridatis, quae tamen multo magis nominata propter Diogenem Cynicum Sinopenſem? Quid Pergamum, regum Attalicorum ſedem celebratiſſimam, & copioſiſſimis ſelectiſque Bibliothecis ornatiſſimam, cuius tamen urbis nihil omnino glorioſius atque ad omnem memoriam commendatius Galeno, medicinae ſecundum Hippocratem? principe, alteroque illo medico praeſtantiſſimo, Oribaſio? Quid Sardes, urbem Lydiae vetuſtate antiquiſſimam, regiam quondam Croeſi, cujus tamen nihil

ad

ad nos illustrius Polyaeno, & Eunapio, & Pontifice illo Sardensi, Melitone? Quid Corinthum, lumen illud Graeciae, quod tamen nihil clarius lucidiusque habuit sapiente Periandro? Quid Thebas, urbem Boeotiae clarissimam, omnique laude cumulatissimam, quam ferunt Cadmum condidisse, eum, qui litteras e Phoenice in Graeciam primus intulerat? Multa, & mira, Auditores, de Thebis passim Boeotiis concelebrantur: cujus etiam muros dictus est Amphion lyrae sono excitasse. Quae & urbs visa est deos protulisse. Summos ea certe imperatores, Epaminondam & Pelopidam protulit. Satis haec magnifice atque ambitiose de Boeotiis Thebis decantata: adeo ut Scriptores quidam minime obscuri, nec contemnendi, ne Athenis quidem Thebas Boeotias celebritate nominis atque gloria cessisse judicaverint. Quae tamen omnia ad nobilitatem Thebarum multo minora videbuntur, si ad Pindarum comparantur: adeo visus est Pindarus ingenio & carminibus suis prae omnibus illis ornamentis atque insignibus urbem Thebanam decorasse. Nec immerito magnus ille Alexander, quum deleri Thebas de Sociorum sententia placuisset, reverentiam adversus Pindarum adhibendam censuit, ut ejus domum, unam de tota urbe, sartam tectam conservaret. Quid hic dicam de Athenis? Athenas cum dico, Auditores, putate, dicere me, quod Thucydides, Graeciam totius Graeciae, urbem me dicere ea dignitate atque auctoritate, ut vel solo Athenarum nomine dignitas atque auctoritas universae Graeciae niti olim videretur. Qua de urbe fama erat, deos inter se ipsos certasse. Quae etiam urbs fruges mortalibus prima ostendisse ferebatur. Pleni omnium libri, plenaeque omnium voces laudibus Athenarum: quae quum plurimae ab urbis vetustate & potentia, & rerum gestarum magnitudine atque gloria in vulgus praedicentur; tamen quis neget, nullis aliis magis ornamentis,

tis, quam doctrinarum studiis liberalissimis, & viris doctis atque sapientibus Athenas nobilitatas? Non probo te, Sophista Eunapi, cujus sententia fuit, iis, qui nati essent Athenis, nobilitatem illam & gloriam patriae ad doctrinae & eloquentiae splendorem multum contulisse. Contra se res habet, Auditores. Nam, quod seu Menodotus, seu Galenus, verissime gravissimeque affirmabat, compertum re ipsa & exploratum est, non ex patria doctos viros, sed ex doctis & sapientibus viris patrias percelebres ac perillustres evasisse. Quod egregie Galenus comprobabat ipso exemplo Athenarum. Unde enim tandem existimemus, tantum, & tam celebre nomen Athenarum per omnes late terras pervasisse, easque omnino terras replevisse, nisi a summis & sapientissimis viris, qui, quum omni doctrinae atque eruditionis gloria Athenis maxime floruissent, gloriam, quam ipsi ex semetipsis acquisiverant, cum urbe Athenarum communicarunt? Namque inde profecto laudes illae praecipuae atque amplissimae Athenarum, *quod omnium* doctrinarum magistrae atque inventrices Athenae, quod summa dicendi vis & inventa & perfecta sit Athenis, quod nobilissimum orbis terrarum gymnasium, Athenae, quod litterae & civilis disciplina suum veluti templum habuerint Athenis, quod non fruges modo, sed etiam humanitatem & doctrinam & jura & leges in omnes terras distribuerint Athenae. O veram hanc nobilitatem! o gloriam immensam Athenarum! quam nimirum nobilitatem atque gloriam urbi Athenarum summi homines ac summis ingeniis praediti compararunt: homines, inquam, quorum vel unum ac solum nomen ad omnem abunde laudem ac praedicationem suffecerit. Et de Poetis quidem Tragicis, pater ille Tragoediae Aeschylus, siren illa Attica, Sophocles, &, qui maxime Tragicus, atque in sententiis summus habitus est, Euripides; de Comicis, princeps ille veteris Comoediae, Aristopha-

phanes, ut & novae Menander; de Philosophis, maximus ille Philosophorum, idemque, Apollinis testimonio, mortalium omnium sapientissimus Socrates, & Plato ille divinus, & Speusippus, & Epicurus, &, qui Philosophorum magis, quam historicorum, classi accensendus videtur, Xenophon ille Socraticus, de Scriptoribus historiarum, Thucydides, & Dexippus Herennius; de Oratoribus, pater ille eloquentiae, Isocrates, & Oratorum longe princeps Demosthenes, & Demosthenis adversarius acerrimus atque eloquentissimus, Aeschines: de nostris tandem, hoc est, de Christianis hominibus, Dionysius ille Areopagita, & Philosophus ille Athenagoras, & Clemens, qui, tametsi vulgo audiat Alexandrinus, quod versatus est docuitque Alexandriae, ubi & Origenem discipulum habuit; tamen natus est Athenis, unde & alicubi cognomen ei Atheniensi. His talibus ac tantis in doctrina viris, quis jam non videat ac fateatur, tantum gloriae ac dignitatis urbi Atheniensi accessisse, ea ut una urbs totius Graeciae decora atque ornamenta complexa esse videatur? Quare etiam veteres Poetae Athenas inter omnes Graeciae urbes propria singularique appellatione inclytas vocitarunt, non tam ab ejus civitatis potentia, atque a rebus praeclare & fortiter gestis, quam a claritate & splendore litterarum. Quid? quod egregia illa & praeclara Atheniensium facta, ut satis ampla & magnifica fuerint; tamen multo ea majora, quam fuerint, magno Scriptores ingenio repraesentarunt? Quid? quod Atheniensium virtus tanta habita est, quantum ingenio & eloquentia valebant, qui eam verbis extulerunt? Quid? quod minima etiam Atheniensium facta miro hominum eloquentissimorum artificio pro maximis per terrarum orbem divulgata? Quid? quod maxima etiam maximeque gloriosa Atheniensium facta in oblivionem jam pridem perpetuam venissent, nisi ea scriptis suis summi ac littera-

tissimi viri memoriae hominum consecrassent? Quaesiverat olim Plutarchus, rebus ne bellicis, an studiis sapientiae celebriores Athenienses atque illustriores extitissent; ubi multa ille sapienter atque erudite. Et vere ille quidem affirmaverat, si nulli res gesserint, nullum prorsus historiae Scriptorem futurum. Sed & illud peraeque verum, si multi res multas, easque praeclarissimas gesserint, & tamen defuerint, qui res eas, seu scribenda historia, seu carminibus pangendis, litteris consignent, omnem earum rerum praeclarissimarum memoriam quam brevi perituram. Quid? Romanorum res gestae magnitudine atque gloria praeclarissimis quibusque omnium aliarum gentium atque populorum factis plurimum praestiterunt: quippe quum res Romanorum non certis quibusdam locis, sed orbis terrae regionibus, definitae essent atque circumscriptae, & tam late quoquoversus Romani arma circumtulissent, Romana ut historia non unius populi, sed generis humani historia videri posset. Et tamen tot illae res ac *tantae, quas* Romani gesserunt, donec imperio orbis terrarum potirentur, nullum vestigium sui reliquissent, nisi summi eas Scriptores & Graeci & Latini ad memoriam posteritatis propagassent. Quis enim nescit, quantum nominis atque splendoris, jam inde a temporibus vetustissimis, rei Romanae attulerint antiqui illi seu historiarum, seu annalium Scriptores, ut nihil nunc dicam de Graecis, Fabius Pictor, M. Porcius Cato, L. Coelius Antipater, Q. Valerius Antias, L. Cornelius Sisenna, aliique bene multi, qui nisi extitissent, tota res Romana vetustior, urbisque Romae primordia in tenebris jacuissent? At vero, Deus bone! quantum nobilitatis & gloriae rei illi Romanae carminibus suis Nevius & Ennius Poetae adjunxerunt! quorum alter bellum Punicum primum, & luculente quidem, cecinit; alter annales Romanos epico carmine conscripsit: qui & in Scipio-

pione, Poemate suo, Scipionem illum Africanum superiorem, aliosque fortissimos & clarissimos viros ita laudavit, ut illis eorum laudibus populum maxime Romanum decoraverit. Postea vero, quam, aucta & confirmata Imperii Romani dignitate atque potentia, Latina ingenia polire se ac limare ad omnem Graecorum elegantiam atque subtilitatem coeperunt, & Roma, domus illa virtutis, imperii & dignitatis, Graeciam, principem illam & sapientiae & eloquentiae, quam armis superaverat, superare quoque voluit litterarum studiis & doctrinae, quantum inde splendoris & gloriae a litteris, & disciplinarum optimarum studiis rebus gestis Romanorum accrevit! Audeo dicere, Auditores, Romanos, victores illos orbis terrarum, non tantum armis, quantum sapientia & eloquentia, valuisse; quin etiam quod multo dictu mirabilius est atque grandius, magnitudinem Romanam, illam tantam, quanta, post hominum memoriam, nullius cujusquam populi fuit, minimam ac fere nullam, visam fuisse prae magnitudine sapientiae & eloquentiae Romanorum; atque adeo Imperii Romani majestatem & gloriam nunquam majorem atque illustriorem in oculos nationum, atque in orbis terrarum admirationem incurrisse, quam cum eloquentiae studia, & summa quaeque ac praeclara ingenia omnibus excellentis doctrinae laudibus in urbe Roma viguerunt. Neminem vestrum fugit, Auditores, quod vulgo notissimum ac celebratissimum est, exemplum historiae Romanae maxime omnium memorabile, quod ut viri eloquentissimi summis in caelum laudibus extulerint, atque ego etiam ex hoc ipso loco semel atque iterum tertioque expenderim atque commendaverim, sane non indiligenter; tamen multo illud majus atque gloriosius est, quam ut unus aliquis verbis, aut etiam fortasse cogitatione, & animo, complectatur, de homine nimirum illo Gaditano, quem narrant T. Livii nomine ac gloria excitatum, ab ulti-

mo orbe terrarum ad eum visendum venisse, eoque viso, inde statim abiisse. Mirum tibi videtur, Hieronyme, quem Roma ad contemplationem sui minime omnium traxisset, hunc eo famam unius hominis perduxisse. Videtur enim tibi magnum ea aetas omnibusque saeculis inauditum miraculum habuisse, ut, qui tantam urbem ingressus esset, aliud ab ea urbe quaereret. At enim ea est gloria, Hieronyme, eaque nobilitas eruditionis ac litterarum, multo & mehercule major atque admirabilior, quam omnes res gestae & maxima quaeque ac gloriosissima facta Romanorum. Itaque hominem illum Gaditanum Romam, non ipsa urbs princeps orbis terrarum, tot trophaeis ornata, tot triumphis ditata, tot victoriis spoliisque omnium gentium locupletata, cujus etiam urbis Senatus tot e regibus, quot e Senatoribus, constare videretur, non ipsa, inquam, Roma Romam, longe a patria, eum hominem attraxit atque allexit; sed unus ille ac solus Livius, qui historiam populi principis terrarum jam *inde ab urbe* condita lactea prorsus eloquentia miraque ingenii ubertate per annos amplius septingentos usque ad tempora sua perduxisset Cogitabat enim, nihil esse in urbe Roma, atque adeo in toto Imperio Romano, quod cum T. Livii nomine atque gloria adaequaretur. Quod si Livius Patavinus rebus Romanis tanto decori atque honori fuit, ut homo Gaditanus nullum omnino urbis principis atque pulcherrimae ornamentum cum Livio conferri posse existimaverit, quid porro censendum de aliis summis & praestantissimis viris, qui eloquentiae & eruditionis gloria Livio longe antecelluerunt, aut certe nihilo, quam ille, inferiores fuerunt, quantum eos nominis atque nobilitatis credendum est rebus Romanis, populique Romani majestati adjecisse? Non est meum, hoc praesertim loci, Auditores, de magnis atque excellentibus veteris memoriae ingeniis judicare. Attamen

scio,

fcio, acerrimo olim viros judicio, rerumque iftarum, quae ad ftudia humanitatis pertinent, intelligentiffimos, Livio illi Patavino in hiftoria Romana Salluftium longe antepofuiffe: quem etiam Salluftium Thucydidi audacter oppofuerunt, ita ut, qua virtute Thucydides potiffimum valet, nimirum brevitate, hac eum a Salluftio victum, fuperbe nonnulli jactitarent. Scio etiam, fexcentos alios, eximia viros fapientia atque doctrina, nomen Romanum ingenii fui & eruditionis lumine mirifice illuftraffe, itaque illuftraffe, ut Roma, lux illa orbis terrarum, litterarum magis & eloquentiae, quam rerum geftarum fplendore, genus humanum ad magnam admirationem fui traduxerit. Quis enim non maxime miratus aut Romanorum omnium doctifsimum atque eruditiffimum M. Terentium Varronem, quem tam multa legiffe ajunt, mirum ut fuerit, aliquid ei unquam temporis ad fcribendum vacaffe, & tam multa fcripfiffe, ut tam multa vix alter quifquam legerit; aut fubtilem illum de natura difputatorem, magifque Philofophum, quam Poetam, Lucretium, quem tanti feciffe M. Tullius dicitur, ut ejus libros emendaverit; aut magiftrum praeftantiffimum atque copiofiffimum morum & difciplinae, Senecam Cordubenfem; aut praeceptorem illum prudentiffimum atque uberrimum civilis doctrinae, Cornelium Tacitum, patria Romanum; aut C. Plinium Veronenfem, virum temporum fuorum facile doctiffimum, qui naturae totius hiftoriam opere admirabili ac vario accuratiffime ac diligentiffime defcripfit; aut etiam C. Iulium Caefarem, victorem illum non exterarum modo gentium, fed etiam ipfius Imperii Romani, clariffimum atque celebratiffimum, qui tamen multo celebratior ac clarior ab eloquentia & eruditione, quam a victoriis, fuerit, multoque magis ingenio, quam rebus fuis maximis, nomen Romanum condecoraverit? Quid in fingulis moror, Auditores, excellenti viris ingenio

atque

atque eloquentia, qui commentando & scribendo plus nobilitatis & gloriae nomini Romano, quam duces & imperatores fortissimi Romanorum agendo, pepererunt? quando omnium instar esse possunt, qui duo inter omnes mortales omni ingenii & eruditionis atque doctrinae laude maxime excelluerunt, M. Tullius & Virgilius. Quem enim mihi inter omnes Graecos & Latinos Poetas parem dederis Virgilio? qui omnem Poeticae gloriam, qua Graeci maxime propter Homerum & Hesiodum & Theocritum, aliosque optimos Poetarum circumfluebant, videtur mihi unus ad Romanos derivasse. Vel quem mihi de omnibus & Graecis & Latinis Oratoribus parem protuleris Marco Tullio, qui Demosthenis ita eloquentiam expressit, ut Platonis simul sapientiam perfecte adaequaverit? Vere tu olim, Cai Caesar, de Marco Tullio, eum, quod Latine loquendi copiam in urbe Roma invenisset atque illustrasset, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum fuisse. Quam plane splendidam atque *magnificam* Marci Tullii laudem cur non aequo nos jure cum Virgilio, Poeta maxime divino, communicemus? ut utrumque illum, & Oratorem & Poetam, de populi Romani nomine & dignitate optime promeritos praedicemus, eo quia, quo uno Romani a victis Graecis vincebantur, id Tullius & Virgilius, in suo quisque scribendi genere, aut Graecis eripuerunt, aut certe Romanis cum Graecis communicarunt; itaque plus illi dignitatis populo Romano, quam omnes summi imperatores, propter victorias de hostibus reportatas, attulerunt. O immortalem hanc gloriam, o dignitatem, o nobilitatem litterarum! O ceteros illos Oratores Romanos! O delicias illas Poetarum Romanorum! O Lycea, o Academias, o tot summos Philosophos Romanorum! O leges illas Romanas, quae sapientia atque auctoritate vitae sunt omnia scita, ac decreta philoso-

pho-

phorum longissime superasse! O jurisconsultos illos Romanos, summa viros sapientia & eloquentia! o Q. Mutium Scaevolam! o Antistium Labeonem! o Attejum Capitonem! o Masurium Sabinum! o Aemilium Paullum Papinianum, tutissimum illud & certissimum asylum juris Romani! o etiam de Medicis Cornelium Celsum, magna virum doctrina, adeo ut Hippocratem eum Romanum vocaverint! O Roma, Roma, tandem illa Christiana, quanto tete major atque nobilior, Roma, a gloria atque nobilitate ingeniorum Christianorum! quanto plus tibi laudis, atque ornamenti a Gregorio illo Magno, atque ab Ambrosio, Pontifice Mediolanensi, utroque cive tuo, priori etiam Pontifice! quam te, Roma Christiana, scriptis suis & Clemens Pontifex, & Minutius Felix orator, & Boethius illustrarunt! Apage eos, qui illustrium clarorumque virorum nobilitatem nobilitate duntaxat & gloria patriae metiuntur. Nam, ne Roma quidem patria, ideo docti & sapientes viri a patria nobiliores. Neque tu mihi objicias Themistoclem, summum Graeciae virum ac facile principem: quem ferunt Seriphio cuidam, quum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria, splendorem esse assecutum, in jurgio respondisse: nec hercule ego, si Seriphius essem; nec tu, si Atheniensis, clarus unquam ac nobilis fuisses. Quasi vero ignobilitas patriae homini quidquam officeret atque obstaret ad nobilitatem claritatemque nominis consequendam. Atque ita sane esto, si ita vis, Themistocles. Ignobilis plane sit, per me licet, atque obscurus, qui patria est Seriphio, insula exigua admodum atque ignobili: sed, nisi accesserint ornamenta virtutis aut doctrinae. Nam ne Athenis quidem, hoc est, in urbe nobilissima, natus, in clarum unquam ac nobilem virum, Themistocles, evasisses, nisi virtute ceteris praestitisses. Quod si ornamenta illa adfuerint, quid tandem, quocunque quis loco natus sit,

de-

deſuerit ei ad gloriam atque nobilitatem ? Teſtor ego ſumma olim viros ſapientia, atque a doctrina celebratiſſimos, qui quum vel humili atque obſcuro loco nati eſſent, vel parva atque ignobilia oppida incoluiſſent; tamen, quod aliis dedecori ac probro ducebatur, ignobilitas nimirum & obſcuritas patriae, id ipſum illis in nobilitatem celebritatemque nominis redundavit, quod patrias nimirum ſuas, ſuoſque lares atque incunabula nomine illi ſuo illuſtraviſſent. Scytha fuit Anacharſis. At quanto Scythiae decori atque ornamento, cum Scythico illo ſuo tegmine, Anacharſis ! quem ſi Scythia philoſophum minime genuiſſet, ſapientiae ea nunquam nomine commendata a veteribus fuiſſet. Eleates fuit Zeno. At quantum Eleae, Lucanorum oppido, nobilitatis & gloriae ingenii ſui ſubtilitate Zeno ille Eleates comparavit ! Stagirita Ariſtoteles fuit, oppido tenui & obſcuro Macedoniae. At quid Stagiris propter Ariſtotelem celebratius ? Ariſtotelem, inquam, maximum illum, ſecundum Platonem, Philoſophorum : *qui non* Stagira modo patriam nominis ſui claritate exornaverit : ſed etiam Athenarum gloriam ingenii ſui ac doctrinae ſplendore, non minus, quam Plato ipſe Athenienſis, auxerit atque amplificaverit. Thrax fuit Democritus, Thrax Protagoras, uterque Abderis patria, unde & ipſis appellatio Abderitis. At quantum Thraciae ſplendoris & gloriae Democritus, Philoſophus ille ſapientiſſimus, & auditor ejus Protagoras, impertiverunt ! de quibus Democritus tam elato excelſoque animo fuiſſe dicitur, ut ne venerit quidem Athenas, ut ne gloriam, quam ipſe daret loco, in quo verſaretur, a celeberrima illa urbe aucupari idem velle videretur. Ereſius Theophraſtus fuit, Sappho quoque Ereſia, oppido quidem in inſula Lesbo ſatis fortaſſe claro ab ubertate & fertilitate agrorum, at o quanto eodem clariori atque notiori propter Theophraſtum illum divinum, & illam a carmi-

minum suavitate decimam veluti Musarum, Sapphonem Poetriam! Quis Samum, tametsi clarissimam olim illam & nobilissimam, tamen quis nunc Samum nominaret, nisi, ut nihil loquar de Samio Aristarcho, natus in ea fuisset Pythagoras ille Samius, a quo nomen ipsum Philosophiae? Quis nunc Teon, urbem Ioniae, nisi in ore vulgi, frequentique hominum sermone vigeret Anacreon Tejus? Quis Prienen, urbem & ipsam Ioniae, nisi eam urbem, patriam suam, claram & illustrem ad memoriam posteritatis reddidisset sapiens ille Bias Prienensis? Quis Nyssam, urbem Cappadociae, nisi famae etiam nunc celebritate floreret Gregorius Nyssenus? Quis Phalerum, pagum quondam Atticae, nisi in lucem ibi editus fuisset Demetrius Phalereus? Quis Ceon, insulam Aegaei, nisi maxime celebrem ac memorabilem eam fecisset inventor ille artis memoriae Simonides Cejus? Quis Coon, nisi eam insulam ortu ac domicilio suo prae ceteris plerisque insulis nobilitasset parens ille medicinae Hippocrates Cous? Quid de plerisque aliis urbibus, atque adeo locis, aliquanto nunc obscurioribus atque ignobilioribus, quae tamen doctrinae doctissimorumque hominum beneficio, clarissimum atque amplissimum apud posteros nomen obtinuerunt? Quem enim nunc vestrum, Auditores, Stridonis nomen praetereat, oppidi jampridem eversi, planeque nunc ignoti, nisi nominis ei famam ac celebritatem Hieronymus Stridonensis dedisset? Quem fugiat Tagaste, municipium quondam Numidiae, nunc penitus obscurum, nisi pater ille Theologorum, Augustinus Tagastensis ortu illud suo illustrasset? Quis jam Daldiam ignoret, quam vulgo notam atque percelebrem fecit Artemidorus Daldianus? Quis jam nesciat Nazianzum, oppidulum illud Cappadociae, quo tamen nullum omnino oppidum clarius atque celebrius, propter Gregorium Nazianzenum? aut quis tandem Ascram, oppidum te-

nue & miserrimum Boeotiae, cujus tamen tamdiu nomen memorabitur, quamdiu nomen & carmina Hesiodi Ascraei? Quis jam finis exemplorum? quando post hominum memoriam ea semper fuit gloria sapientiae ac litterarum, ut, qui in iis excellerent, quae loca obscura atque ignobilia erant, ea ii loca ingenii & doctrinae suae lumine illustrarent; quae urbes maximae atque nobilissimae, iis illi urbibus magnam claritatis atque nobilitatis accessionem adjungerent; ipsi vero non aliunde, quam a semetipsis atque a doctrina sua, claritatem nominis atque nobilitatem acciperent ac mutuarentur. Quae quum ita se habeant, quis jam miretur, Auditores, celeberrimas quondam & nobilissimas urbes totius Graeciae tanta inter se contentione, tanquam de principatu & imperio, de Homero decertasse, quaenam eum sibi civem suum vindicaret; neque urbes modo Graeciae, sed etiam totas nationes, de Homeri patria inter sese acerrime pugnasse? Nam & Aegyptii Homerum, tanquam suum, sibi a Graecis repetebant. Tantum inde sibi ornamenti & laudis & nobilitatis ab ingenio illo divino, fonteque totius Graecae sapientiae omniumque doctrinarum copiosissimo atque uberrimo, accedere existimabant. Quid? ipsi illi, qui dignitate & potentia atque auctoritate dii veluti quidam inter mortales habentur, summi imperatores ac reges, quorum etiam est pro maxima sua potestate natalibus homines restituere, hoc est, de plebe adsciscere ad nobilitatem, non ne ipsi illi, qui nobilitate ceteros donant, a litteris & doctrina nobilitantur? Neque id modo, si litteras ipsi excolant; sed etiam si doctorum litteratorumque hominum consuetudine ac familiaritate utantur, &, quos eximia praestare vident doctrina, singulari eos atque extraordinario honore afficiant. Appello te, Sigismunde Imperator, summa vir prudentia atque perspicacia, quem ad principes viros Germanorum, quum ab

ab iis aliquando reprehenderere, quod doctos homines, humili loco natos, coleres, ac foveres, id responsi dedisse ferunt: Ego vero illos observo, quos natura longe inter alios excellere voluit. Ac vere tu quidem, & praeclare, Sigismunde. Nam quae ab Imperatore ordinis & conditionis prae reliquo vulgo nobilitas in viros quosdam principes atque eximios proficiscitur, quam plerique vestrum, Iurisconsulti, veram ac genuinam ducunt & praeclaram nobilitatem, ea certe, neque vos mihi, Iurisconsulti, negabitis, tota posita est in more atque instituto humano: quae quidem nobilitas & dari potest & auferri. Verum quae ab excellentia eruditionis atque doctrinae in summos atque egregios viros profluit, ea mehercule nobilitas non fortunae est, sed naturae: quippe quum natura comparatum sit, ut sapientia ceteris rebus humanis, iisque fluxis atque fragilibus, longe antecellat. Hinc pretium, hinc dignitas, hinc amplitudo & nobilitas litterarum. Hinc iis, qui in altissimo rerum humanarum apice constituti erant, multo saepe minor regni & imperii majestas visa fuit, quam praestantia litterarum. Hinc qui, propter rerum gestarum gloriam, summamque potentiam, aliis erant admirationi, ipsis maximae admirationi homines in primis docti & litterati fuerunt. Quid? quod ne reges quidem maximique imperatores, rebus maximis gestis, in tanta illa fortunae gloria, atque in illo tanto victoriarum ac triumphorum splendore, ne propter regnum quidem, quo nihil in rebus humanis sanctius atque augustius habetur, satis sese prae reliquo hominum genere claros ac nobiles crediderunt, nisi ad cetera illa dignitatis regiae atque imperii ornamenta lumen quoque doctrinarum ac litterarum adjungerent? Ambitiosissime Magnus ille Alexander ad Aristotelem: Ego vero, inquit, optimarum rerum scientia malim, quam opibus & potentia, ceteris praecellere. Et prae-

clare quidem ille Magnus, qui magnitudinem in eo potissimum suam collocabat, ut doctrina & scientia magis, quam imperio, ceteros anteiret. Quid de nostris C. Iulius Caesar? cui non satis fuit, tot & tam barbaras gentes, & tam late dispersas, domuisse, &, quod multo majus atque gloriosius fuit, Pompejum illum Magnum memorabili proelio vicisse, & totam rempublicam Romanam unum tenuisse, nisi ipse semet litteraturae quoque laude nobilitaret, rerumque suarum commentarios tam eleganter & ingeniose conscriberet, ut omnibus, qui vellent historiam scribere, palmam praeripuerit. Hinc igitur a nobilitate illa & quadam veluti divinitate litterarum tot illi honores, & tanti, omni tempore habiti iis, qui maxime in litteris excellerent, honores illi quidem certe tam magni, ut majores maximis regibus atque imperatoribus nunquam deferrentur. Quid enim in litteras honorificentius, quam tantum honoris tributum esse Virgilio, quantum memoriae in Dialogo de Oratoribus traditum fuit, ut populus Romanus, auditis in theatro versibus Virgilii, universus surgeret, & praesentem spectantemque Virgilium sic, quasi Augustum, veneraretur? Quid de praemiis litterarum? Quid enim majus, magisque in omnem posteritatem celebrandum, quam quod in historias Cimbricas relatum est, Cimbros tanti litteras ac Poesin fecisse, ut paucos quosdam versus, quos Hiarnus quidam Poeta in Frotonis, regis sui, tumulum composuisset, ipso Cimbrico regno remunerarentur? O Pisae, o Pisae, o urbs, princeps quondam Etruriae, quanta, o Pisae, prae reliquis Etruriae urbibus nobilitas tua! Dixi ego, minus certe, quam debui, atque etiam volui: at dixi tamen, quantum potui, laudes tuas. Magnae laudes tuae, Pisae, quas tua tibi virtus, rerumque gestarum magnitudo, adsciverunt, tot bella gessisse, tot provincias confecisse, tot barbaras gentes devicisse, tot

ter-

terras disjunctissimas Europa, Asia, Africa, victoriis illustrasse, tot de hostibus nominis Christiani triumphos egisse, tot ubique tropaea erexisse, tot & tam opimis victarum gentium spoliis temetipsam locupletasse. Attamen laus tua maxima, urbs clarissima Pisarum, splendor est ac gloria litterarum, quarum beneficio ceterae laudes tuae supra reliquam longe Etruriam in communi nunc orbis terrarum luce versantur. Quae quidem laudes nisi a litteris & eloquentia eluxissent, universae jam pridem in oblivione hominum sempiterna, o Pisae, delituissent. Haec vera nobilitas est, cives Pisani, quae vestra etiam est ac fuit, nobilitas litterarum. Quod si maxima haec est, atque excellentissima, splendidissimaque omnium nobilitas, videte, cives Pisani, quantum civitas vestra litteris debeat, quantumque a litteris ceteris Etruriae civitatibus nobilitatis gloria antecellat. Videte hic etiam, optimi adolescentes (ad vos enim, quorum caussa suscepta est, mea jam convertetur oratio) videte, inquam, adolescentes, verae solidaeque nobilitatis, hoc est, sapientiae, & eloquentiae, omniumque doctrinarum, studiosissimi, quanta sit dignitas atque gloria litterarum, quae hanc tantam tamque gloriosam nobilitatem principibus etiam urbibus, ipsis quoque regibus atque imperatoribus, largiuntur, ipsae a nemine quoquam mortalium mutuantur. Id enim mihi unum reliquum est, adolescentes, ut, qui generis nobilitate praestatis, ad id vos excitem, quod praecipuum est ac singulare ornamentum nobilitatis; qui vero ingenio & doctrina consequi potestis nobilitatem, ad studia vos litterarum cohorter, quae est una via veri honoris, veraeque nobilitatis.

IM-

IMPERATORI . CAESARI

F R A N C I S C O I.

PIO . FELICI . AVGVSTO

P A T R I . P A T R I A E

QVOD . MERITO . VIRTVTIS . SVAE . ITA . ELECTVS . EST

I M P E R A T O R . R O M A N V S

VT . VNVM . OMNIVM . ELIGI . EVM . AD

P V B L I C A M . F E L I C I T A T E M

ET . QVIETEM . OPORTVERIT . IPSEQVE . ANTEQVAM

I M P E R A T O R . F I E R E T

DIGNISSIMVS . OMNIVM . QVI . FIERET

C E N S E R E T V R

QVOD . EX . EADEM . STIRPE . ORTVS . EX . QVA

G E N S . A V S T R I A C A

V T R I V S Q V E . G E N T I S

ET . LOTHARINGICAE . ET . AVSTRIACAE

ITA . IN . SE . DECORA . OMNIA

ATQVE . ORNAMENTA . EST . COMPLEXVS . VT . EA . ETIAM

VEHEMENTER . AVXERIT . ATQVE

A M P L I F I C A V E R I T

QVOD . IN . EIVS . SINVM . DOMVS . AVSTRIACA

S E . T O T A M . R E C E P I T

A C . C R E D I D I T

EVMQVE . DIVVS . CAROLVS . VI . DIGNISSIMVM

QVI . SIBI . IN . IMPERIVM

SVCCEDERET . DATA . EI . IN . MATRIMONIVM

M A R I A . T H E R E S I A

F I L I A . I V D I C A V I T

QVOD . DOMO . AVSTRIACA . REPARATA

PRAESTANTISSIMORVM . QVORVMQVE

ET . CLARISSIMORVM . GERMANIAE . OPTIMATVM

GLORIAM . LONGE . SVPERAVIT

QVOD . PVBLICAS . CALAMITATES . A . POPVLIS . DEPVLIT

I P S E Q V E . F E L I C I S S I M V S

FELICITATEM . SVAM . CVM . GERMANIA

I M P E R I O Q V E

R O M A N O . C O M M V N I C A V I T

QVOD.

QVOD . VIRTVTVM . SVARVM . GLORIA . PERFECIT
Q V A N T V M
N E M O . Q V I S Q V A M
ALTER . ARMIS . CONSEQVI . AVT . ETIAM
SPERARE . POTVISSET
VT . AVCTORITATE . NOMINIS . SVI . IMPERIVM
R O M A N V M
S V S T E N T A R E T
GERMANIAMQVE . SERVARET
IMMO . ET . IMPERIVM . IMPERIO . REDDERET
G E R M A N I A M Q V E
GERMANIAE . RESTITVERET
QVOD . MAIORVM . SVORVM . ATQVE . AVSTRIACORVM
EXEMPLO . HONESTISSIMA . QVAEQVE
PRAECLARISSIMARVM . ARTIVM . ET . LITTERARVM
S T V D I A
PROMOVIT . ATQVE . EXORNAVIT
QVOD . CVM . IN . PVBLICIS . RERVM . CVRIS . NIHIL
ANTIQVIVS . ATQVE . CHARIVS
SAPIENTIA . ET . DOCTRINA . HABVERIT
TAMEN . AD . COMMVNES . PVBLICAE . LAETITIAE
C A V S S A S
SINGVLARIA . SVA . ADIVNXIT . IN . ETRVRIAM
ATQVE . IN . ACADEMIAM
PRAESERTIM . PISANAM . BENEFICIA
DE . ORBE . CHRISTIANO . DE . IMPERIO . ROMANO
DE . GERMANIA . DE . ETRVRIA
DE . ACADEMIA . PISANA . OPTIME . MERITO
A L E X A N D E R . P O L I T V S
DEVOTVS . NVMINI . MAIESTATIQVE . EIVS
ET . PRIVATO . SIVE . IPSIVS . ET . PVBLICO . ACADEMIAE
P I S A N A E . N O M I N E
IVSTA . ET . DEBITA . OFFICIA . GRATVLATIONVM
E T . G R A T I A R V M.

ORATIO XIV.

DE LAUDIBUS FRANCISCI I. IMPERATORIS.

QUod ab hinc octo annos, hoc ipso die, sollemni & anniversario, Kalendis Novembris, ex hoc ipso summae auctoritatis loco, quum Francisco III. Lotharingo, Magno tunc Etruriae Duce creato, laudes Lotharingicas simul & Mediceas dicerem, adflatu quodam, & instinctu divino ex Oratore in Vatem repente ego mutatus, certissime & constantissime, verbisque planissimis & disertissimis, praedixeram vobis, Auditores, maximum Francisco imperium esse divinitus destinatum, & qui Magnus tunc Dux, magnum olim Regem, magnumque Imperatorem nominatum iri: id tandem Francisco I. Romanorum Rege, atque adeo feliciter Imperatore, fausteque evenit.

Meministis superiore anno, AA. ante menses tredecim, in communi illa Etruriae & Pisarum laetitia, quo quantoque gaudio Academia Pisana frequentissima, & gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & supplicationibus & votis exultaverit, & quam mihi honorificum atque gloriosum tunc inter ceteros fuerit, pro munere Oratoris meo, publico Academiae Pisanae nomine, publicaque auctoritate, cuncta fere Academia audiente & plaudente, suam Imperatori Caesari, Francisco I. Augusto dignitatem gratulari, laudesque ejus

Imperatorias oratione panegyrica praedicare. Eam ego orationem quum in angustis illis temporibus, quasi ex tempore, d. IV. Kalendas Octobres habuerim, & non nemo etiam vestrum a panegyri illa Academica abfuerit, cui tamen eam orationem probatam quam maxime cuperem, e dignitate Academiae Pisanae fore censui, si, quae erat a me, publica totius Academiae ad Caesarem gratulatio, rudis adhuc & impolita, ea aliquanto cultior atque concinnior, in hoc veluti Academiae theatrum reduceretur; itaque justa illa ac debita Academiae Pisanae per me in Caesarem gratiarum, & pietatis officia memoria nunquam hominum dilaberentur; sed aliquod eorum exstaret monumentum ad posteritatem.

Quod enim ad me attinet, in communi gaudio illud mihi valde laetandum, quod primus ego Etruscorum Francisco I. Imperatori Panegyricum dixi nomine Academiae Pisanae, & quod eum nunc Panegyricum, paullo limatiorem atque elaboratiorem, apud Academiam Pisanam dico, die eodem anniversario, quo studia haec nostra litterarum non instaurantur modo, sed etiam multo, quam antea unquam fuerant vegetiora, atque beatiora ad Academiae Pisanae, atque adeo universae Etruriae felicitatem & gloriam, majoribus jam atque augustioribus Imperatoris tanti auspiciis renascuntur. Interea vero pro singulari vestra erga me benevolentia, gratias ego vobis ago quam possum maximas, viri excellentissimi, quod tam benigne de me, atque etiam honorifice sentire volueritis, ut qua in re Academiae Pisanae summa dignitas agebatur, gratulationem ad Caesarem, publico Academiae nomine, habendam mihi potissimum decerneretis. Utinam voluntati huic vestrae, Academiae Pisanae dignitati, ceterorum exspectationi, tanti argumenti magnitudini, oratio satis mea respondeat!

Nec vero, Francisce Imperator, nisi Academiae Pi-

Pisanae gravissima auctoritas impulisset me, atque confirmasset, tantum muneris, atque oneris suscipere unquam ausus fuissem, ut de laudibus aliquando tuis Panegyricum cogitarem: quae res & ingenii mei, & qualiscunque eloquentiae meae, si qua tamen inest in me eloquentia, facultatem longissime superabat. Satis mihi pro virium mearum imbecillitate fore arbitrabar, si capita tantum quaedam laudum tuarum attingerem, ac veluti delibarem. Sed quando ad ceteras opportunitates summa quoque adjuncta est auctoritas Academiae Pisanae, habetque audacia mea excusationem: da mihi, Caesar, hanc veniam, ut laudes iterum tuas, tertioque, quartoque ingrediar, non quod sperem, eas me laudes perfecte unquam posse dicendo exprimere, ac repraesentare; sed ut oratio qualiscunque mea aliquam saltem earum laudum speciem ac formam adumbrare voluisse videatur.

Ac primum omnium AA. illud statuendum, quod firmamentum est ac caput nostrae hujus gratulationis, neminem alterum quemquam a Francisco Lotharingo Imperatorem Romanum eligi oportuisse. Sic enim vos existimare aequum est, Principes viri, atque Optimates Germaniae, universae Germaniae non salutem modo, sed etiam dignitatem, salute, & dignitate domus Austriacae contineri, eaque potissimum re Imperium Romanum difficillimis & calamitosissimis temporibus penes Germanos perstitisse, quod penes gentem Austriacam steterit. Hic mihi, tanquam pro re nata atque opportune, dicendum esset de laudibus Austriacis. Sed, si eas ego laudes dicerem, quem tandem finem inveniret oratio? Dicerem, nullam toto terrarum orbe familiam unquam fuisse, & Heroum, & Regum, & Imperatorum fecundiorem atque feraciorem Austriaca. Dicerem gentem Austriacam, ut nulli ea alteri clarissimarum, celeberrimarumque gentium vetustate, ac nobilitate generis

est secunda, ita gloria & rerum gestarum magnitudine omnibus longe aliis antecellere. Dicerem de gente Austriaca plurimos quidem Reges, plurimosque Imperatores; sed, quod in ulla alia gente vix reperias, tyrannum nullum auditum. Quid nullum prorsus de Austriacis tyrannum? Dicerem, Austriacos Imperium pietate, ac virtute & firmasse, & administrasse, & quotquot de iis Reges atque Imperatores vel fando vel legendo accepimus, omnes vere se Reges, hoc est, patres, populis praestitisse, & clementia atque humanitate amorem sibi magis a populis, quam impotenti, herilique dominatu metum, conciliasse. Referrem Albertum illum Habspurgicum, sapientis nomine celebratum, tanto virum studio propagandae religionis Christianae, ut exercitum contra Saracenos in sacram expeditionem eduxerit, ibique in Palaestina, quam ex barbarorum manibus ereptum, & recuperatum ierat, mortem oppetierit. Commemorarem hujus filium Rudolphum I. Imperatorem Austriacum, virum fortissimum, atque religiosissimum, qui Religione ac fortitudine Imperium Austriacum fundavit. Recenserem jam inde a Rudolpho illo I. ad Divum Carolum VI. Imperatores omnino sexdecim, Austriacos summa viros sapientia, & gloria militari, eosdemque plane heroes, quibus sane imperantibus visa merito est Germania aliis quoque gentibus atque nationibus longe lateque imperare debuisse: itaque utrumque in iis Albertum nominarem, & Carolum Quintum, & hujus Caroli Quinti fratrem Ferdinandum Primum, & Leopoldum postea primum, ipsumque tandem Carolum VI. quo uno in homine summa omnia universae gentis Austriacae esse videbantur. Quare etiam dicerem, omnia beatae totius Germaniae decora atque ornamenta in unam simul gentem Austriacam copiosissime atque uberrime confluxisse; atque adeo dicerem, quod nunc palam atque auda-

dacter dico, nullam aliam gentem Germanicam ad tantam illam Imperii Romani gloriam atque dignitatem apud Germanos sustinendam, aeque atque gentem Austriacam valuisse. Nolim ego de laudibus quidquam tuis, Germania, maxima tu & nobilissima provinciarum Europae, nolim certe ego quidquam detrahere. Plurimae, o Germania, laudes tuae, ab Europae totius principatu, a Religionis magnitudine, ab immensa vi divitiarum, ab innumerabili virorum fortissimorum copia, a viribus bellicis, a virtute, a potentia, a praeclaris omnibus belli artibus & pacis, a multitudine non gentium modo bellicosissimarum, sed etiam optimatum principumque virorum: quorum alii magni sunt, & potentissimi Reges; alii iis opibus, eaque potestate, & amplitudine dominationis, ut magnis facile Regibus exaequandi videantur. Quarum omnium laudum summa illa est, quod penes te stat, Germania, Imperium Romanum, hoc est Imperium illud, quo nullum plane post hominum memoriam, neque majus, neque augustius, neque splendidius unquam fuit; & tu te Germania, prae ceteris orbis terrarum provinciis una ac sola abunde sufficis ad Imperii illius auctoritatem non servandam modo, sed etiam augendam, atque amplificandam. Verum quo major haec est a me, atque verior laudatio tui, o Germania, eo etiam inde majores, verioresque fateri te laudes oportet domus Austriacae, qua maxime domo Majestas apud te, atque auctoritas Imperii illius Romani nixa est, atque suffulta.

Quis autem hinc vestrum, AA. nimirum ex hac tanta, tamque admirabili magnitudine Austriaca non statim intelligat, quam ingens plane, immo & propemodum immensus, atque interminatus sese mihi campus aperiat laudum Francisci I. Lotharingi, qui omnium omnino mortalium unus natus divinitus videtur ad domum Austriacam cadentem jam & mortaliter labentem,

non

non reparandam modo, sed etiam in saecula sempiterna propagandam. Magna mehercle res est, Imperatorem Romanum fieri. Quid enim in rebus humanis majus atque sublimius Imperatore Romano, qui Regum Rex est, & universae Christianae Reipublicae longe maximus, ac princeps? sed ita Franciscum I. factum esse Imperatorem Romanum, ut is etiam fieri debuerit, ut omnium ipse dignissimus, qui fieret, non Germanicae modo, sed etiam ceterae gentes, debitum ei Imperium Romanum faterentur, ut in capite unius illius hominis totam rem Romanam, eandemque Germanicam, consistere arbitrarentur; ut ipse unus ad Imperium Romanum pro dignitate gerendum paratissimus, atque instructissimus videretur; ut ipse tandem unus magnitudini Austriacae ferendae par omnino censeretur, praeterea nemo; haec res profecto multo major, quam humana, eademque supra quam dici potest, admirabilis, ac propemodum divina. Iam vero, quid ego splendida illa, atque ad speciem illustria commemorem, quae vulgo plurimi ducuntur, natum esse Franciscum gente Lotharinga, genere longe vetustissimo atque nobilissimo; eodemque jam inde a majoribus Germanico, quod neque de vetustate, neque de nobilitate Austriaco quidquam generi concedat? immo & Franciscum ex illa eadem generosa stirpe profectum, ex qua Heroes illi Austriaci generati? si quidem veteribus iisque certis, monumentis traditum est, utramque hanc familiam, Lotharingicam & Habspurgicam, quae altera plane ipsa est Austriaca, ex uno, eodemque Hugone summo viro & Principe Alsatiae procreatam. Quid hic etiam in medium proferam heroes illos Lotharingicos, viros fortissimos atque clarissimos, qui tanquam ex equo Trojano, innumeri prodierant? Quid nostra etiam memoria Carolum Lotharingicum, avum Francisci I., patrem hujus Francisci Leopoldum, alterum summum atque invictum

ctum Imperatorem; alterum singulari virum sapientia, insignique adversus Deum pietate, atque sanctimonia? Quid alterum nunc Carolum fratrem natu minorem Francisci, ipsum quoque Imperatorem optimum, & virum fortissimum, cujus potissimum virtute, atque consilio res in Germania Austriacae defensae sunt, & constabilitae? Quid ceteras, easque divinas atque immortales, Heroum Ducumque Lotharingorum laudes persequar, quas ego alias memini me ex hoc amplissimo, & ornatissimo loco, ut dixi, sollemni, ac panegyrica oratione pro viribus celebrasse? Quas quum omnes simul laudes ita in sese Franciscus complexus sit, ut laudibus illis Lotharingicis gloriam quoque, atque claritatem Austriacam adjunxerit: quid ad summum illum & altissimum dignitatis gradum obtinendum deesse unquam potuit Francisco, ut, quo jure principes Germaniae Divi Caroli VI. filio, qui dignus esset Imperio, si is aliquis exstitisset, Imperium Romanum sine dubio detulissent; non eodem prorsus jure aequitatis Divi Caroli VI. gener, omni imperatoria laude ornatissimus, in cujus veluti sinum domus Austriaca sese totam recepisset, iisdem etiam Germaniae Principibus Imperator Romanus deligendus videretur? Nam si in rebus quibusque & negotiis maximis maxime valere debet judicium atque auctoritas hominum gravissimorum, atque sapientissimorum: in re illa tanta Imperii Romani, ubi de homine, quod ad res humanas & civiles attinet, reipublicae Christianae praeficiendo agebatur, cujusnam magis auctoritatem sequi, aut cujus magis judicio stare par erat, quam summo judicio gravissimaeque auctoritati Caroli VI. viri temporum suorum sapientissimi, ut quem Carolus VI. dignissimum, qui sibi in Imperium succederet, judicaverat, ipse de tot Germanis heroibus unus, tanquam omnium dignissimus, maximeque omnium ad imperandum idoneus, Imperator de-

d ligeretur? Quem etiam idem Carolus filium sibi legibus Romanis adoptasset, nisi Mariam Theresiam, filiam suam, patrimonii Austriaci, & tot Regnorum ac Provinciarum ex asse heredem collocatam ei in matrimonium maluisset? Adeo magnitudo illa tanta virtutum Francisci Lotharingi magnum illum Imperatorem Carolum VI. Austriacum ceperat. Nec vero AA. existimetis, temere Carolum VI. caecoque quodam impetu animum induxisse, ut generum sibi Lotharingum adsciscceret. Sciebat bene Carolus, quem generum suum faciebat, sese eum Romanum Regem & Imperatorem Germanis, quem sibi demortuo substituerent designare. Quippe Carolus noverat, gente potissimum Austriaca Imperium Romanum innixum esse ac sustentatum: itaque eum, cui domum suam concrederet, iis virtutibus praeditum esse oportere, propter quas idem ipse Imperator crearetur; nec vero sine maximo Germaniae, atque adeo orbis Christiani, periculo posse unam rationem ab alia separatam esse atque sejunctam, ut Romanum idemque Germanicum Imperium a potentissima gente familiaque Austriaca distraheretur, alioque transmitteretur.

Atque ut de Germaniae laudibus iterum dicam, quod paullo ante mihi dixisse satis videbar, aperte, planeque fatendum, quod verissimum est, ceteris quoque optimatibus, summisque Proceribus Germaniae, in quibus arbitrium, & libera potestas residet Regis Romanorum & Imperatoris deligendi, tantum gloriae & nobilitatis, & potentiae auctoritatisque & virtutis esse tribuendum, ut quum unicuique eorum imperium merito deferendum esse videatur, nulla unquam difficilior esse possit deliberatio, quam haec ista de uno aliquo ex tot summis, ac principibus Germaniae viris ad Imperium Romanum eligendo. Sed, quum Carolus VI. post longam diuturnamque deliberationem, quemnam ipse

ipſe ſibi generum capiendum putaret, oculos tandem ad unum ſolumque Franciſcum Lotharingum adjecerit, eumque ceteris Germaniae optimatibus atque etiam Regibus, certo praepoſuerit: neceſſe eſt, Carolum aliquid in Franciſco prae ceteris hominibus providiſſe eximium ac ſingulare, neque id jam fere humanum, ſed propemodum divinum; itaque Carolum VI. rectiſſime credidiſſe, oblatum datumque ſibi eſſe a Deo immortali Franciſcum Lotharingum ad Auſtriacam domum ſummamque adeo Imperii Germanici conſervandam atque amplificandam. Fertur Cliſthenes ille olim Sicyonius multum diuque laboraviſſe, omnem diligentiam adhibuiſſe, ut Agariſtam filiam ſuam nuptum ei daret, quem omnium Graecorum optimum atque excellentiſſimum comperiſſet. Itaque quum Optimates illos Graecorum, qui filiae ſuae nuptias popoſciſſent, valde admodum collaudaſſet, doniſque univerſos magnificis cohoneſtaſſet, tamen unum eis Megaclem Athenienſem longiſſime praetulit, quem ipſe omnium maxime dignum cognoviſſet. An, quum Cliſthenes in viros illos Principes ſummoſque Graecorum diligentiſſime inquiſiviſſet, eorumque mores & ingenia & facultates, & vires curioſiſſime exploraſſet, nullumque non lapidem moviſſet, ut, eorum ſingulis probe beneque perſpectis, viro omnium probatiſſimo, atque praeſtantiſſimo filiam ſuam nuptum collocaret: exiſtimatiſne Carolum VI. maximum Regem, maximumque Imperatorem Romanum tam incurioſe ſeſe atque negligenter erga filiam ſuam optimam ſibique chariſſimam, quam in ſinu atque oculis ferebat, atque erga rempublicam, cui tantopere ſtudebat, geſſiſſe, ut filiae ſuae, eique ex aſſe heredi de viro mortalium omnium optimo atque lectiſſimo non proſpiceret? Immo vero pro certo habetote, AA. tantomajorem curam Carolum, atque cogitationem ea in re poſuiſſe, quanto res major, & momenti majoris in nuptiis Ma-

riae Therefiae filiae conjungendis agebatur. Agebatur in his iftis nuptiis gloria domus Auftriacae ad pofteros propaganda: agebatur Auftriaca regnorum maximorum, atque florentiffimorum hereditas: agebatur patrimonium Auftriacum locupletiffimum atque opulentiffimum: agebatur falus ac dignitas Germaniae: agebatur Imperium Romanum: agebatur refpublica Chriftiana. Quibus omnibus rebus erat a Carolo VI. Imperatore, locanda nuptum filia fua Therefia viro omnium mortalium optimo longeque laudatiffimo, confulendum. Quantum igitur curae diligentiaeque, & laboris cenfebitis Carolum VI. in id contuliffe, ut virum reperiret dignum Therefia filia, dignum magnitudine Auftriaca, dignum Regno Germanico, majeftateque Imperii Romani. Cogitate Carolum illum Auftriacum, tanquam alta fpecula, totum orbem Chriftianum oculis colluftraffe, totamque inprimis Germaniam huc & illuc circumfpexiffe, complurefque ibi eminenti viros virtute & nobilitate, & dignitate perfpexiffe, eofque plane dignos reperiffe, quos in familiam Auftriacam, data uni eorum in matrimonium filia, cooptaret; verum Carolum in unum tandem Francifcum Lotharingum oculos & animum defixiffe, eumque & Therefia filia fua, & Regno Germanico, Imperioque Romano inter omnes digniffimum judicaffe. Sed de virtutibus Francifci Lotharingi paullo nos poft AA. Nunc quum tantarum virtutum Lotharingarum amplitudini atque fplendori graviffimum atque fapientiffimum Caroli VI. Imperatoris acceflerit judicium: deliberandum erat de Francifco ad Imperium Romanum eligendo, qui praeftantiffimorum quorumque & clariffimorum optimatum Germaniae gloriam longe fuperaffet? Cur dubitandum aliquamdiu erat Germaniae, quin cunctis ftatim fuffragiis Imperium Romanum Francifco Lotharingo adplauderet, eumque, non tanquam ex Lotharingia miffum; fed tanquam a

Deo

Deo redditum potius, quam datum Germaniae e vestigio susciperet?

Versor ego, AA. in parte orationis meae omnium difficillima, maximeque invidiosa, quae est de contentione inter se magnorum Regum, ac principum virorum Germaniae, quandoquidem quae summa sunt in Francisco Lotharingo (summa autem sunt omnia) ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per se, enitescunt. Ac profecto tantum abest, ut aliquid ego de gloria atque dignitate summorum procerum Germaniae imminutum velim, ut vere potius ac libenter fatear, quod nemo quisquam diffitebitur, & ego paullo ante semel atque iterum, firmissime adseverabam; plerosque omnes optimatum illorum Germanorum pares omnino esse summo regno atque imperio. Ita me Deus amet, ut magnifice ego atque honorifice prae ceteris gentibus sentio de inclyta illa natione Germanorum. Sed quando nuper Germani luculento admodum memorabilique in posterum documento intellexerunt, Imperium Romanum in domo Austriaca retineri plane oportere: cur, quod Carolo VI. Imperatori omnino licuit, ut Franciscum Lotharingum ceteris Germaniae Principibus viris longe anteponeret, mihi nunc oratori ad Divi Caroli exemplum non recte liceat, ut quod certissimo tandem atque clarissimo totius Germaniae judicio comprobatum confirmatumque videmus, Franciscum eundem inter omnes Germanos Imperio Romano jam pridem dignissimum omniumque mortalium optimum, atque praestantissimum, ut revera ipse est, atque plane praedicem, atque extollam? Nam quae tempora subsequuta sunt, toti Germaniae funestissima, atque luctuosissima; ea quidem certe tempora non tam hominum temeritate contigisse arbitror, quam consilio quodam divino, ut, qui tantus erat Franciscus Lotharingus, multo adhuc major fieret, ejusque virtus, quae tantam sese, tamque

que illustrem & claram mortalium oculis in magna fortunae prosperitate ostentaverat, magis, magisque in adversis rebus splendesceret, atque eniteret. Neque enim utramque adhuc fortunam expertus eras, Francisce. Res te secundae felicem ostenderant. Restabat, ut, quando omnino futurus eras Imperator, res te adversae magnum fortemque virum, & Imperio Romano maxime dignum comprobarent. Ac quae tunc, Deus bone, & qualis facies Germaniae! quam horrida illa, & tristis! quum jam Germania non externo modo milite premeretur; sed etiam intestinis illa bellis atque discordiis universa contereretur, ferrumque non jam in hostem, sed in sua membra ac viscera crudelissime exsereret, jamque rapinis undique ac praedis diriperetur, & sanguine tota redundaret, quum Germania nationes quoque alienas in societatem belli pertraheret, & publico illo & communi bellorum incendio tota conflagraret: quum ita omnia incendio illo corriperentur, ut non nisi Germaniae totius ruina incendium illud exstingui posse crederetur: quum ipsa Romani Imperii firmamenta funditus concuterentur: quum Imperium Romanum ruinam minitaretur: quum orbis Christianus in extremum fere periculum adduceretur, nec desperatis jam ac perditis propemodum rebus, spes ulla salutis reliqua esse videretur. Is status rerum Germanicarum erat, eaque iniquissimorum illorum miserrimorumque temporum conditio. Quo major atque illustrior fuerit gloria Francisci Lotharingi, cui illud integrum reservatum divinitus erat; ut tot illa ac tanta mala unus ac solus depelleret, quieteque publica fundata, Imperium Romanum restitueret, novoque etiam majestatis suae splendore augeret, atque illustraret. Nam Germani tandem cognoverunt, vereque palamque universi confessi sunt, certum atque unicum tot illarum calamitatum, & adflictae jamdiu prostrataeque rei publicae remedium, situm es-

esse in Francisco Lotharingo, qui unus omnium, ac solus posset labenti jam Imperio Romano & Germaniae periclitanti subvenire, neque tam utile esse Imperatorem eum fieri, quam ad salutem Germanicae reipublicae & praesentia temporum momenta necessarium. Qua in re nescio ego, cui magis gratulandum censeam, an Germaniae, quae perspicit jam ac videt, quod maxime uniceque exoptaverat Imperium Romanum penes se per Franciscum I. firmatum & fixum & stabilitum; an vero Francisco I. qui ad ceteram felicitatem suam, illud etiam adjunxit, quod unum ei deerat, fastigium & Regiae & Imperatoriae dignitatis.

Certe quidem utrique non una de caussa gratulandum cum primis censeo. Gratulandum Germaniae, quod Iliadem tantam malorum, quanta nuper universae Germaniae impendebat, quam longissime a Germania Franciscus Lotharingus averterit; quod jugum servitutis a cervicibus Germaniae Franciscus depulerit; quod cadenti jam Germaniae adjutricem Franciscus manum porrexerit; quod salvam atque incolumem Germaniam Franciscus servaverit; quod ab extremo periculo certissimoque discrimine Germaniam Franciscus eripuerit; quod talem tantamque felicitatem, qualem & quantam nunquam antea Germania habuerat, Germaniae Franciscus comparaverit. Sed & gratulandum praecipue tibi, Imperator Caesar, Francisce I. de felicitate tua. Quis enim te jam inde ab omni hominum memoria vel de maximis fortunatisque inprimis Regibus felicior atque beatior? Legimus, quod est sapienter praeclareque scriptum a Tullio, quibusdam summis viris ad amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas, quandam divinitus adiunctam fortunam fuisse. Legimus etiam, ita nonnullis fortunam in omni vita favisse, atque arrisisse, ut a rebus nimium laetis atque prosperis memorando in posterum inviden-

do-

doque cognomine, felices appellarentur. Verum quid unquam bonorum atque felicitatum possit quis sibi cogitare atque optare, quod non uberrime in te Deus, atque copiosissime, Francisce Imperator, contulerit? Omitto illa minora, quaeque, tametsi aliis quoque Regibus virisque Principibus communia, tamen summa in te ac veluti propria laudantur. Omitto etiam illud, quod omnium bonorum tibi divinitus tributorum longe maximum videri potest, uxorem tibi obtigisse, feminarum omnium totius terrarum orbis facile principem, qua nulla plane alia ubivis locorum atque gentium, neque pulchrior, neque sapientior, neque prudentior, neque nobilior, neque opulentior, neque ab omnibus corporis, animique bonis, ab omnibus denique virtutibus ornatior atque instructior. Omitto praeterea beatissimi hujus & auspicatissimi conjugii felicitatem, quod conjugium Deus ad praesidium ac munimentum Austriaci Imperii, maxima orbis Christiani, ac Etruriae praesertim nostrae laetitia, generosissima prole fortunavit. Haec & alia plurima omitto, Francisce, argumenta certissima, & luculentissima tuae felicitatis. Venio ad illud, propter quod tuam tibi nunc felicitatem maxime gratulor, Francisce Imperator, de regno Germanico, Imperioque Romano, quod unum tibi paullo ante dicebam, ad perfectam, omnibusque numeris absolutam felicitatem tuam defuisse, neque jam, ut dicebam, quod gradum altissimum summae dignitatis tenueris; sed quod quum Rempublicam Romanam difficillimo atque alienissimo tempore capessiveris, tibi uni contigerit, quod rebus turbatissimis nullo modo fieri posse videbatur, ut pacem dares Germaniae, & Imperium Romanum ex intestino & crudelissimo bello ad concordiam adduceres: hoc est imperium imperio restitueres. Fuit illa felicitas Septimii Severi Augusti, de qua ipse moriens Eboraci in Britannia valde admodum gloriatus dicitur, ut rempu-

pu-

publicam, quam turbatam acceperat, pacatam tandem moriens relinqueret. At longo tempore Severus, & diu multum postquam Imperium susceperat, pacatam quietamque rempublicam reddiderat. Felicitatis tuae, Francisce, Imperio Romano accepto, turbas illas Germanicas subito comprimere, atque compescere, & intestina illa, atque taeterrima Germaniae bella tranquillissima & beatissima pace commutare: adeo ut merito in dubium revocari possit, plus ne tibi, Francisce Imperator, honoris & gloriae respublica Germanica; an vero tu reipublicae Germanicae plus bonorum & felicitatis attuleris. Quamquam id ipsum, quod non per temporum intervalla, sed statim Franciscus Imperium Romanum, jamdudum turbulentissimum pacaverit, atque ex tristissimo, & calamitosissimo laetissimum atque beatissimum illico fecerit, non tam, mehercule, Francisci felicitati, quam ejus virtuti adscribendum videatur. Nam profecto virtus Francisci incredibilis, ac plane divina tantum ei fidei atque auctoritatis conciliaverat, ut spes unius illius hominis Imperium Romanum sustentaverit, & simul atque auditum est, creatum eum Imperatorem Romanum, mirabilis omnium rerum mutatio consecuta sit; soloque ipse nomine factiones male foederatas dissipaverit, hostiumque impetus continuerit, ac fregerit, totam denique, integramque Germaniam servaverit.

Quid autem hic ego singulas Francisci Lotharingi virtutes enumerem, quae tantam ei auctoritatem universae pepererunt? Quid virtutem bellicam, quae ita in eo excellit, ut praestantissimi quique atque excellentissimi duces Germanorum ex eo uno egregia omnia in bellis administrandis & fortitudinis, & laboris, & industriae, & celeritatis, & consilii exempla sumenda sibi certo esse existimaverint? Quid alias virtutes, quae non in bello magis usui sunt, quam in pace, quumque eae

Re-

Regem atque Imperatorem inprimis deceant, tum in Francisco maxime omnium splendent, ac relucent? quid omnium regiarum virtutum Principes, ac veluti Reginas, religionem, pietatem, justitiam, clementiam, prudentiam, constantiam, temperantiam, alias ejus ordinis virtutes, quae regnare quodammodo, ac triumphare in Francisco Lotharingo videntur? Nam de religione quidem, quae exordium est pietatis, quis nescit, quod publicis documentis est aperte testatum, Franciscum religione, sanctissimo templo exaedificando, Imperii sui initia consecrasse? Quid jam dicam de justitia? quum justitiae fruendae caussa, & Franciscum antea Etrusci Magnum Ducem suum acceperint, & Imperatorem postea Germani constituerint. Quid de clementia, ejusque comite ac socia humanitate? quum utraque haec virtus, nativa utriusque gentis & Austriacae, & Lotharingicae censeri possit: Franciscus autem & clementia, & humanitate populorum ita sibi animos devinxerit, ut, quod olim elogium dictum in Titum Vespasianum, simili nunc elogio in Franciscum Lotharingum omnes gentes consentiant, amorem esse Imperii Romani. Quid vero de prudentia? quum rebus Germanicis implicatissimis, atque desperatissimis, virorum principum animis mire exacerbatis, justitia violata, fide labefactata, republica fere versa, ac profligata, quae ad pacem, & concordiam Imperii Romani redintegrandam opus erant, ea omnia facillime Franciscus expediverit, atque explicaverit. Quid jam de constantia, perpetuaque animi universaeque vitae aequabilitate? quum Franciscum neque res ullae, ut in vita mortali quomodocunque adversae, unquam dejecerint, aut proposito dimoverint, neque tot res secundissimae atque felicissimae, ipseque gradus summus, atque amplissimus Imperatoriae dignitatis supra sese unquam extulerint; sed ipse unus, semperque sibi aequalis, modum in utraque fortuna eundem

dem

dem servaverit; neque tantum in adversis, sed etiam, quod multo rarius ac difficilius est, in tanta illa prosperitate fortunae, atque in magnitudine illa tanta Imperii Romani ipse sibi inprimis imperaverit. Quid etiam de Francisci Lotharingi temperantia? quum is non possit non esse temperantissimus, qui in maxima potestate ipse sibi imperet, hoc est, quum possit omnia, tamen in voluptates, impetusque animi nequaquam rectos maxime dominetur; sic autem in conjugio cum sanctissima & honestissima conjuge sua Franciscus versetur, ut unus det alteri, vicissimque accipiat clarissima, maximeque praecipua exempla omnis continentiae, & castitatis. Quid ego plura de virtutibus Francisci? quum ita ipse in omni virtute emineat, ut longissime eos superet, qui in unaquaque earum virtutum praecellunt.

Hae igitur tot ac tantae, tamque admirabiles ac divinae Francisci Lotharingi virtutes, quum ultro in oculos totius Germaniae incurrerent, atque in admirationem maximam sui mortales traducerent: quis jam miretur, Franciscum, posteaquam manum ad reipublicae gubernaculum admovit, Germaniam brevi Germaniae reddere, imperiumque Romanum in integrum restituere potuisse, &, quod nemo quisquam alter armis consequi, aut etiam sperare potuisset, Franciscum nominis sui auctoritate, virtutumque suarum gloria penitus perfecisse? Nam, si antequam Franciscus Imperator fieret, dignissimus ille omnium erat, qui fieret: cur postquam factus idem est Imperator, non in ejus statim sinum universum Imperium Romanum confugeret? non in eo Germania & praesidium & salutem & dignitatem omnem suam reponeret? non de summo ejus imperio omnes una & mente & voce consentirent? non eum vindicem publicae libertatis, non Christianae pacis auctorem, non Imperii Romani defensorem, non denique Patrem Patriae, salutarent eum ac vene-

rarentur? Ac quanto jam id Germaniae bono, quantaque Imperii Romani felicitate factum est, Auditores: ut, quae intestinis civilibusque discordiis membra Germaniae discissa erant, atque discerpta, in unum iterum reipublicae Romanae veluti corpus sub Francisco capite coirent, atque coalescerent! nec enim alias artes, quam quibus Imperium sibi Romanum Franciscus a Germanis Optimatibus peperit, adhibendas sibi esse duxit ad Imperium Romanum regendum, atque gubernandum: ut, quemadmodum nempe virtute Imperium sibi ab iis Optimatibus comparavit; sic etiam virtute ipse regat, atque administret. Scit enim probe Franciscus Imperium sibi Romanum non ad otium datum esse, sed ad laborem; non ad remissionem, sed ad curam; non ad quietem, sed ad functionem muneris longe omnium maximi, atque laboriosissimi. Scit enim Franciscus, non suam esse rempublicam Germanicam, sed semet esse Germanicae reipublicae; nec caussa sui, sed populorum caussa Regem se Germaniae, & Imperatorem Romanorum declaratum. Scit praeterea Franciscus, quod regis maxime proprium Homerus facit, pastorem se esse populorum, eumque sibi finem propositum esse debere, ut, se duce, ac pastore, commoda beataque vita populi fruantur. Scit denique Franciscus illud esse maximi regni atque imperii, ut maxima semper illud cura ac sollicitudo comitetur. Ergo, quum haec magni regis, maximique Imperatoris munera probe teneat, ac sciat Franciscus Lotharingus, atque ad haec ipsa munera ab ineunte se aetate rectis studiis paraverit, & praeter haec omnia sciat, magnitudinem sibi Austriacam sustinendam pro dignitate esse, immo etiam, si fieri unquam potest, pro viribus augendam: quid aliud pro sapientia & probitate sua faciat nunc Franciscus Imperator optimus, & sapientissimus, quam id, quod facit, ut sese ipse totum in commoda & salutem reipublicae impen-

pendat, ut totam illam magnitudinem Auftriacam, ad amplitudinem, dignitatemque Germaniae convertat, ut eo curas, cogitationesque omnes suas referat, Imperii ut Romani majestatem servet, defendat, tueatur? Quae quidem omnia quum alter nemo quisquam aeque praestare potuerit, ac Franciscus Lotharingus: cur non tandem universus orbis Christianus fateatur, quod tota jam Germania fere & sentit, & fatetur; nemini cuiquam alteri, neque omnino melius, neque ad summas quasque utilitates opportunius, neque ad rerum ac temporum momenta commodius, neque excelsius ad gloriam, neque certius ad salutem, neque tandem, quod ego jamdudum demonstro, dignius quam Francisco transmitti Imperium Romanum potuisse? Ac fuerint fortasse, qui dicant, Franciscum, regno Germaniae, Imperioque Romano obtento, omnis ante actae vitae, maximarumque virtutum suarum fructum amplissimum, atque honestissimum cepisse. Et bene ii quidem dixerint, quod dato Imperio Romano mortales id Francisco, quod rerum humanarum longe maximum erat, dederunt, atque adeo, quod ad summam fortunam attinet, omnia videtur Franciscus, quae virtutibus ejus maximis, planeque divinis debebantur, in Romano Imperio cumulatissime, atque ubertime consequutus. Verum plus ego aliquid dico. Dico enim, quod multo majus est, atque augustius, atque ad laudes etiam Francisci Lotharingi propius, & adcommodatius, magnitudinem illam tantam Imperii Romani minorem quodammodo visam esse Francisco, itaque amplissimam illam & gloriosissimam Imperatoriam dignitatem multo plus ornamentorum & gloriae, quam ipsa Francisco dederit, a Francisco accepisse.

O fortunata, o felix, o beata Germania! O felices, beataeque provinciae Imperii Romani! Quidni enim ego vobis felicitatem ac dignitatem vestram, Franci-

cisco jam primo Romanorum Imperatore constituto, pro summis ejus atque immortalibus erga vos, atque Imperium Romanum promeritis, gratuler? Narrant Arrium quondam Antoninum, hominem gravissimum, summaque virum auctoritate, Coccejo Nervae Imperatori ita gratulatum fuisse, ut diceret, non sese ei, sed & senatui, & populo, & provinciis gratulari, quod Imperii nimirum Romani commodo, non suo, Imperium Nerva suscepisset. Sic igitur & ego tibi, Imperium Romanum, & vobis, provinciae Imperii Romani, & tibi in primis, Princeps provinciarum, Germania, de Imperio Francisci I. gratulabor. Tibi enim ille, tuaeque saluti ac dignitati, & tranquillitati, & gloriae Imperium suscepit. Ac jam vides, Germania, quo te felicitatis, & gloriae Franciscus provexerit, quantam tibi apud mortales in conspectu orbis terrarum existimationem Franciscus reconciliaverit, quantum tibi bonorum atque utilitatum, & quam large ac prolixe, Franciscus pepererit, quam te spes tua, & opinio de virtute simul & fortuna Francisci minime fefellerit, quam profuse, & quam copiose Franciscus jam Imperator virtutem ac fortunam suam tecum communicaverit, quam beate ac feliciter apud te per Franciscum omnes praeclarae belli pacisque artes, & liberalissima omnium bonarum litterarum studia atque doctrinarum revixerint, ac refloruerint. Quae quidem postrema, maxima pars ac potissima est, Germania, tuae felicitatis. Nam hac quoque de caussa, AA. sapientiae nimirum, & litterarum caussa gratulandum inprimis est Germaniae: quando ea demum viris sapientissimis beata olim visa est respublica, quam sapientes, doctique homines regere coepissent. Quis autem doctrinae, sapientiaeque studiis praestantior Francisco Lotharingo? qui studium maximum suum in sapientia & doctrina jam inde a pueritiae disciplina collocaverit. Fuit utriusque semper gen-

tis,

tis, Austriacae atque Lotharingicae, maxime proprium ac singulare, litteras colere ac fovere, industriamque in eo incredibilem ponere, ut honestissima quaeque praestantissimarum artium, & litterarum studia promoverent, atque exornarent. Quid enim ex gentilibus atque avitis utriusque familiae monumentis, aut Richvinum illum Lotharingicum repetam, qui tanti fecit doctrinas, ornamento ut sibi atque honori esse duxerit, Magistrum liberalissimarum artium publice renunciari, aut Ernestum filium natu minimum Leopoldi illius Probi, quod Leopoldo cognomen singularis vitae probitas comparaverat, Ernestum, inquam, Principem illum atque auctorem Austriacae ejusdemque Habspurgicae stirpis, qui in vita privata traditur Bononiae egregiam litteris operam dedisse, adeo ut non immerito dicere quis posse videatur, Ernestum futurae magnitudinis Austriacae firmissimum quasi fundamentum & initium in doctrina atque sapientia jecisse? Testis Academia illa percelebris Lotharingica, Lotharingicae olim erga bonas litteras, liberalitatis perillustre ad posteros, aeternumque monumentum. Testes Academiae illae Germanicae nobilissimae, & ubique gentium celebratissimae, quae Austriacam erga optima honestissimarum, & praeclarissimarum disciplinarum studia beneficentiam in totam posteritatem loquentur. Testis Academia Viennensis, quam Rodolphus Habspurgicus atque Austriacus; testis Friburgensis, quam Albertus, Ernesti filius, fundavit, certaque etiam dote locupletavit. Testes quoque tot docti, & litterati viri, & Oratores, & Poetae, & omni maximarum rerum scientia peritissimi, liberalitate Austriaca alti, atque sustentati: adeo ut minime mirandum sit, si nulla alia gens toto orbe Christiano, hoc est, meliori praestantiorique parte orbis terrarum, a sapientissimis, & eloquentissimis viris aeque laudibus ornata, ac celebrata sit, atque gens Austriaca, quod nulla

la

la alia gens aeque, atque Austriaca, beneficam se & liberalem erga litteras, & viros litteratos exhibuerit. Nam quid dicam praeterea, qua & quanta amoris significatione, quo, quantoque studio, qua & quanta, quamque incredibili benevolentia atque humanitate heroes illi, & Imperatores Austriaci viros excellenti sapientia atque doctrina praeditos excipere, atque complecti consueverint? Commemorandum illud in omnem aeternitatem maximeque admirandum exemplum Caroli V. Austriaci, qui Rex Germaniae, idemque Rex Hispaniae, idemque magnus Imperator Romanus, tamen tantus & Rex & Imperator, regnorum suorum & Imperii fasces submisisse dicitur doctrinae! quem ajunt Academiae Lovaniensis Rectori loco cessisse, & Carolo Seldio viro perdocto, & pererudito, quo cum sermonem in multam noctem produxerat, lumen etiam abeunti praetulisse. O cetera, eaque plurima, magnaque exempla Austriacae simul & Lotharingicae, in litteras & doctrinas eximiae benevolentiae, & charitatis!

Quare, quum universae illae & Lotharingicae & Austriacae laudes in te simul unum concurrerint, Francisce Prime Imperator, itaque majorum tuorum exemplo litteris ac litteratis hominibus patrocinere, ut in publicis rerum curis nihil antiquius ac charius sapientia atque doctrina habere videare: quis jam non videat, planeque non sentiat, quam in communi orbis Christiani, Germaniae praesertim, atque Etruriae, laetitia tibi nunc Imperatori omnes bonae artes ac disciplinae prae ceteris rebus omnibus plaudere debeant, & de imperio tuo, hoc est de felicitate sua secum ipsae laetari? Neque vero jam dubito, quin omnes Academiae Germanicae, quae tanta cum laude studia liberalissima omnium bonarum artium, atque disciplinarum exercent, atque in primis almae illae Academiae tuae, Germanicarum facile principes, Viennensis atque Pragensis, gratulatio-

nes

nes tibi ſuas de tanto dignitatis tuae faſtigio certatim ſignificaverint. Qui enim fieri poteſt, Franciſce Auguſte, ut, quum in tanto orbis terrarum gaudio nemo quiſquam vel infans, atque elinguis, non laetitias ſuas loquatur, de laudibus deinde tuis praeclara illa Academiarum eloquentia, quae eſt loquens ipſa ſapientia, conticeſcat? Quod ſi haec tibi ab Academiis iſtis Germanicis debita erant officia gratulationum, & gratiarum: quanto magis, Caeſar, ab Academia hac Piſana, cui ad communem publicamque laetitiae cauſſam illae quoque acceſſerunt propriae, peculiareſque cauſſae, laetitiae, & gratulationis, quod tua, Franciſce, proprie eſt, hoc eſt, proprio, privatoque jure, Academia Piſana, quod tuis maxime omnium Academiarum beneficiis eſt ornata, quod auſpiciis unice tuis tota innixa eſt, atque ſuſtentata, quod novis tot ſplendoribus ac luminibus doctrinarum, quot neque ullae aliae, neque ipſa unquam antea, tuo ſub ductu atque imperio eſt illuſtrata. Itaque etiam nunc gratulatur tibi, Imperator, Academia Piſana, non quantum ceterae; ſed quantum nullae omnino Academiae tibi ſunt gratulatae; illudque unum veretur, ut, quam animo ipſa laetitiam debitamque tibi gratulationem, concepit, potuerim ego cogitatione conſequi, nedum verbis exprimere, atque explicare. Ergo prae laetitiae magnitudine videtur jam Academia Piſana ex ſedibus ſuis quodammodo exſilire, gratulatumque ad te venire; ipſique jam videntur hujus Academiae parietes laetitia, & gratulationibus, & gratiarum actionibus geſtire; ipſaque haec medius fidius Academiae hujus Gymnaſia ſua quadam voce laudibus tuis undique perſonare: ut unde coeperat, in laudibus tandem tuis, maxime Imperatorum Franciſce I. Auguſte, haec per me Academiae Piſanae gratulatio conquieſcat.

SENATVI . POPVLOQVE . VOLATERRANO
PRINCIPI . QVONDAM . CIVITATVM . DVODECIM
E T R V R I A E
QVOD . ETRVSCI . NOMINIS . DIGNITATEM
A . MAIORIBVS . ACCEPTAM
ET . EGREGIE . OLIM . SVSTINVERIT
ET . NVNC . ETIAM
SVB . FRANCISCI . I. AVGVSTI
EIVSDEMQVE . MAGNI . ETRVRIAE . DVCIS
I M P E R I O
VIRTVTE . SAPIENTIA . RELIGIONE . DOCTRINA
BENE . MERENDO . DE . RE . ETRVSCA
ET . BENE . FACIENDO
A M P L I F I C A V E R I T
ALEXANDER . POLITVS
O R A T I O N E M . S V A M
DE . LAVDIBVS . VOLATERRANIS . PANEGYRICAM
P V B L I C E . A . S E
AD . ACADEMIAM . PISANAM . HABITAM
PRO . SVMMIS . VOLATERRANORVM
ET . VETERIBVS . ET . RECENTIBVS
IN . ETRVRIAM . PROMERITIS
HONORIS . MEMORIAEQVE
S E M P I T E R N A E . C A V S S A
L. M. Q. D. D. D.

ORATIO XV.

DE LAUDIBUS VOLATERRANIS.

QUanquam in Sapientiae ſtudiis ſollemni atque anniverſario ritu auſpicandis nullum magis proprium, & rei & tempori accommodatum, orationis argumentum ſuppetere mihi poſſe videbatur, quam laudes Sapientiae; tamen neſcio quomodo ex ipſis Sapientiae laudibus alia quoque ſubinde ſe mihi ſuperioribus annis commodum laudanda obtulerunt, quae & ipſa quodammodo ad Sapientiam pertinere viſa ſunt, ideoque digna eſſe in primis, quae in hoc Sapientiae theatrum hoc potiſſimum celeberrimo atque auſpicatiſſimo die inducerentur. Sic enim & primum a nobis laudata eſt ſchola & officina Sapientiae, Academia Piſana; tum, quae ſtabilem veluti ſedem certumque domicilium Sapientiae in Academia Piſana collocaverat, ipſa urbs Piſarum; poſtremo quae ex perennibus Sapientiae fontibus uberrime fluxerunt, Imperatoris Caeſaris Franciſci I. Auguſti, ejusdemque Magni Etruriae Ducis, laudes Imperatoriae, pro munere meo, publicaque mihi uni auctoritate demandata, ſunt mihi panegyricae concelebratae. Quotus autem quiſque veſtrum eſt, Auditores, qui ſtatim non videat, has omnes maxime laudes conjunctas eſſe cum laudibus Etruriae, digniſſimamque eſſe Etruriam, in quam laudandam omne ingenium noſtrum, &, ſiquid ineſt in

nobis eloquentiae, impendamus? praesertim quum Etruriae dignitas atque gloria ex Academiae Pisanae laudibus veterique Pisarum splendore, & Francisci Imperatoris majestate ac sapientia existat nunc in primis atque efflorescat. Quod si Etruriae laudes praetermittere nullo modo possumus, nisi patriae, nisi nobis metipsis, nisi ipsi etiam Sapientiae, cujus nos studium profitemur, deesse velimus, unde tandem harum laudum initia meliora atque auspicatiora ducenda erant, quam ab iis populis Etruriae, qui Etruriae olim populorum antiquissimi juxta atque nobilissimi habentur? Sunt autem hi Volaterrani principes quondam civitatum Etruriae, qui his etiam temporibus, virtute & sapientia, bene merendo de republica & benefaciendo, ceteris tam longe Etruscis excellunt, nulla ut alia gens Etrusca praeferri eis posse videatur. Ergo, quod Pisis antea praestitimus, urbi nobilissimae, & civitatibus duodecim Etruriae multo vetustiori, ut justa eam urbem ac publica laudatione afficeremus, cur non id ipsum secundum Pisas Volaterris praestemus, principi quondam urbi, & primae civitatum duodecim Etruriae, ut ejus quoque urbis ex hoc ipso amplissimo atque ornatissimo loco, eodemque festo atque anniversario die, laudes panegyricas dicamus? Quod eo gratius atque acceptius vobis futurum confido, Auditores, quod laudes urbis Volaterranae cum laudibus litterarum quam aptissime cohaerent, magnoque nunc urbis Pisanae, atque adeo Etruriae, commodo evenit, ut re, qua civili, qua sacra, Pisanorum, per cives duos Volaterranos, summa viros gravitate & prudentia, praeclare ac sapienter administrata, Volaterrae jam de Pisis, atque adeo de universa Etruria, optime promeritae esse videantur.

Atque ut ordine mea procedat oratio, primum omnium dicam, quod ad antiquitatem nobilitatemque Volaterrarum attinet, imperio primum Etruscorum ex ci-

civitatibus duodecim constituto, quarum una Volaterrae, ceteris illis civitatibus Etruscis Volaterras & vetustate & dignitate longe antecelluisse! Nam quod graves cumprimis scriptores Romani Vejos praeferre videantur, datum id Vejorum viciniae, quod nimirum Veii proxime ab urbe Roma abessent. At Volaterras primas urbium duodecim Etruscarum exaedificatas, principatum quondam reliquae Etruriae obtinuisse, quod viri eruditi affirmant, quis non sibi ex eo facile persuadeat, quod Volaterrani ipsum nomen Etruscum, quod commune erat totius gentis, proprium sibi ac suum vindicarunt, iique, veluti ad notam quandam dignitatis atque excellentiae, Etrusci sunt appellati? Cito te, Cai Plini Secunde, maxima vir doctrina & cognitione antiquitatis, cui inter Etruriae populos Volaterrani dicti sunt cognomine Etrusci: perinde quasi, quum ceteri Etruriae populi suo speciatim singuli nomine distinguerentur, ita inter eos Volaterrani excellerent, ut idem olim fuerit Etruscos dicere, atque Volaterranos. Nec audire eos velim, Cai Plini, qui pro Volaterranis rescribere apud te Volcentinos minime omnium dubitarunt: *Volcentini cognomine Etrusci*. Nam qui, Deus bone, Volcentini isti in Etruria? Volcentanos sane nos novimus, quos tute nominas in Lucanis; Volcentinos nullos omnino novimus in Etruria. Nec enim plane putaverim, vocari ibi a te posse Volcientes, quorum oppidum Cossa ferebatur: quippe quos paullo ante tanquam populos diversos, commemorasses. Maneat apud Plinium, Auditores, certoque maneat, ex omnium fere librorum fide; atque ex certissima doctissimorum virorum auctoritate, de omnibus quidem Etruriae populis unos ac solos Volaterranos Etruscos praecipue cognominatos. Neque vero quenquam vestrum vitio mihi daturum esse arbitror, quod in Volaterris collaudandis, ubi, pro antiquissimae urbis gloria atque nobi-

bilitate, oratorem quam maxime me agere, omnibusque eloquentiae copiis affluere oportebat, nova quadam & inusitata dicendi ratione, Grammatici fere nunc personam sustinuerim, &, tanto hoc hominum doctissimorum atque litteratissimorum conventu, tam diligenter atque anxie in veram ac genuinam Plinianam lectionem anquisiverim. Etenim, quod quis fortasse valde mirabitur, nostra haec inde in primis apta est ac pendet Volaterrarum laudatio. Nam profecto, si Etruscorum plane nomine maxime omnium intelligendi venerunt Volaterrani, quis non statim etiam perspiciat ac fateatur, iisdem fere finibus Volaterranorum laudes comprehensas, quibus laudes Etruscorum? Quo vero patentiori uberiorique in campo mea exultare possit oratio, quam in celebrandis laudibus Etruscorum, quae tot olim ac tantae fuerunt, nulla ut alia tota Italia gens rerum gestarum magnitudine ac gloria Etruscos tunc superasse videatur? Ac mehercule quinam tunc populorum terras ac maria longe lateque per Italiam fama nominis sui impleverunt? Etrusci. Quinam Tyrrheno mari, quinam Adriatico nomen dederunt? Etrusci. Quinam terra marique maxime omnium gentium Italicarum dominati? Etrusci. Quinam terrestribus tunc navalibusque copiis prae cetera Italia valuerunt? Etrusci. Etruscorum virtutis fuit, trecenta Umbrorum oppida expugnasse; Etruscorum, coloniis Italiam munivisse ac frequentasse; Etruscorum, Italiam universam non tam armis, quam victoriis peragrasse. Ergo, quum tale ac tantum, tamque clarum & illustre Etruscorum quondam nomen extiterit, quantum inde splendoris & gloriae ex laudibus Etruscorum accrescere Volaterranis existimabimus, si uni hi ac soli, Etruscorum praecipue nomine censebantur? Neque vero nunc ego inficiar, quod ex hoc ipso summae auctoritatis loco alias memini me, dum Pisas, principem quondam & nobilissimam ur-

urbem Etruriae publice laudarem, semel atque iterum vehementer affirmasse, quodque etiam nunc tertioque firmissime & constantissime affirmo, quae populis olim Etruscis laudes a copiis praesertim navalibus, imperioque maris sunt in primis tributae, eas quidem laudes proprie fuisse Pisanorum. Certe id quidem (quis enim neget?) posteaquam Pisae in Etrusci nominis societatem venerunt. Antea vero, quam Pisae, urbs illa multo omnium vetustissima ac celebratissima, stante jam ac florente republica Etruscorum, in nomen Etruscum transirent, cum Pisae nimirum in Ligurum, non Etruscorum, gentem contribuebantur, quis mihi dubitet, quin, ut praeclara ac fortia Ligurum facta ad Pisanos potissimum referebantur; ita laudes tunc bellicae Etruscorum ad Volaterranos, populos olim longe potentissimos, & principes Etruscorum, immo & Etruscos praecipue cognominatos, redundaverint? Quid inquam laudes bellicae? quum ex certo exploratoque veterum testimonio satis compertum sit, non belli modo, sed etiam pacis artes praeclarissimas, & liberalissima quaeque bonarum litterarum atque disciplinarum studia apud Etruscos viguisse. Quid hic dicam de disciplina augurali Etruscorum? quum eam totam disciplinam Romani ab Etruscis hauserint, virique principes Romanorum filios suos ea disciplina & Musica aliarumque optimarum artium scientia, bonisque etiam moribus imbuendos mittere in Etruriam consueverint. Quid de ingenio clarisque inventis Etruscorum? quum tuba inde Tyrrhenica ab inventoribus Tyrrhenis sit appellata, & Romani a Tyrrhenis, hoc est, ab Etruscis, insignia quaeque atque ornamenta & magistratuum & imperii, & fasces, & secures, & lictores, & sellam curulem, & togam praetextam, & paludamenta, & alia plura hujus generis decora atque insignia & potestatis & dignitatis acceperint. Quid de ceteris laudibus Etruscorum? quum ido-

idonei quique antiquitatis Romanae scriptores non a potentia modo & opulentia; sed etiam a religione & sapientia, ceteris Italiae populis Etruscos longe antepofuerint. Hae omnes laudes quum communes sint Volaterranis cum ceteris Etruscis; tamen Volaterranis quam eae praecipuae ac propemodum singulares sunt prae ceteris Etruscis? quam eae Volaterranis propriae, quantoque eae magis Volaterranis debitae, quam ceteris Etruscis? quippe quum Volaterrani, ut proprie ac praecipue dicti & cognominati sunt Etrusci, ita communes illas laudes Etruscorum sibi praecipue adseruerint. Quid quod litterae Etruscae, quae & olim & nunc etiam tantopere passim celebrantur, non aliae certe fuerunt, nisi Volaterranae, neque aliunde, nisi a Volaterranis, sunt eae in universam gentem Etruscam propagatae? Quid quod ipsae illae litterae nusquam alibi frequentiores, neque pulchriores atque elegantiores, quam apud Volaterras, conspiciuntur? Quid quod eae etiam nunc litterae, ut alia monumenta taceant, tamen satis loquuntur, quo quantoque studio Volaterrani, prae reliqua Etruria, doctrinam & politiorem atque reconditiorem eruditionem excoluerint, quamque ii diligenter atque ambitiose res suas posterorum memoriae tradendas curaverint? Quid quod non alibi tota Etruria neque plura, neque vetustiora, quam Volaterris, monumenta Etruscae antiquitatis apparent, atque etiam subinde in dies deteguntur? Argumento vetustatis ipse est situs urbis, conditae in colle excelso, valdeque natura munito, quo adscensus est ab ima valle perquam difficilis atque arduus quindecim stadiorum; quippe quum mortalium antiquissimi, quo loca tutiora atque muniiora contra hostilem aggressionem haberent, oppida sua in montibus atque editis collibus exaedificaverint. Haec Volaterris a natura munitio: quas, si loci naturam spectes, inexpugnabiles propemodum vocaveris. Nam &

fe-

ferunt, Syllanis temporibus quatuor duntaxat cohortes vel biennii continenti oppugnatione expugnari nullo modo potuisse; sed ipsas sponte sua, fide publica accepta, urbe cessisse. Urbs ibi posita in loco spatioso ac plano, moenibusque e quadrato lapide ita circumdata atque instructa, ut collibus quinque, interjectisque inter eos colles vallibus profundissimis, speciem quandam manus hominis cum digitis quinque porrectae atque extentae referre videatur. Aditur ad eam nunc urbem portis quinque, quam urbem & fontes aquarum purissimarum, & signa passim marmorea vetustissima atque elegantissima, & aedes nobilissimae atque magnificentissimae, & ipsa etiam vestigia, quae in media adhuc urbe extant, maximi olim amphitheatri, & domorum splendida atria, & pleraque alia perillustria monumenta priscae venerandaeque nobilitatis in primis commendant. Quis enim omnia vel enumerando hic proferat tum vetera, tum etiam recentiora decora atque ornamenta Volaterrarum? aut quis eam unquam urbem satis pro dignitate descripserit, quam prisci illi populi Etruriae, veluti regiam nominisque Etrusci propugnaculum atque arcem habuerunt? Inde e summo montis jugo prospectus est multo pulcherrimus multoque jucundissimus in subjectos late patentesque campos usque ad mare Tyrrhenum. Eo usque, Auditores, agrum jam Volaterranum pertinuisse, veteri est, eaque certa ac probata historia pervulgatum. Unde facile vobis promptumque sit aestimare de prisca quondam opulentia magnisque opibus Volaterranorum, quos historiae Romanae testantur frumento etiam Publii Scipionis in Africam proficiscentis classem juvisse. Etenim quis tota tunc Etruria ager uberior ac fertilior, atque etiam amplior & spatiosior Volaterrano? cujus tunc quidem amplitudo tanta erat, suis ut finibus Populonium quoque contineret. Quis enim nesciat, hoc ipsum Populo-

nium, tametsi oppidum per se satis illustre ac clarum; tamen, differentiae veluti caussâ, appellatum fuisse Etruscorum, quod Volaterrani, quorum erat Populonium, proprie speciatimque Etrusci vocitarentur? O Volaterrani, o qui cognominati estis Etrusci, ubi, ubi vestra illa ad mare urbs, nomine Etruria? Hac de urbe quondam vestra, Volaterrani, quam prisca diaria vestra diu vos ad oram possedisse commemorabant, sentiant alii, per me licet, ut volunt. Ego equidem opinor, Etruriam hanc vestram nullam esse aliam a Populonia Etruscorum: quandoquidem, si tales vos estis, Volaterrani, quales vere auditis, Etrusci, immo & principes olim Etruscorum, certum etiam mihi ac ratum ex auctoritate minime dubia idoneorum ac nobilissimorum scriptorum, unum ac solum de omnibus Etruscorum oppidis, in littore situm fuisse Populonium Etruscorum. Quid hujus jam agri memorem Vada Volaterrana? quid Thermas Volaterranas? quid Salinas Volaterranas? quid loca quaeque multo illustriora atque insigniora agri Volaterrani? quum, quod de veteri Graecia Poeta quidam non obscurus dixit, nullum ibi sine nomine saxum extitisse, usurpari similiter possit de agro Volaterrano, nullum fere agri Volaterrani lapidem nominis, hoc est, celebritatis & gloriae, expertem inveniri. Quid alia quaeque rariora atque admirabiliora agri Volaterrani? quum ipsi etiam lapides, qui plures pluresque in dies ex agro Volaterrano refodiendo eruuntur, reliquiae quaedam pretiosiores, & clarissima quaedam monumenta superioris memoriae eruditaeque antiquitatis esse videantur. Nam, quod ad agri Volaterrani ubertatem ac fertilitatem attinet, quid tandem, bone Deus! profert tota reliqua, non dico, Etruria, sed Italia, vel eximium ac singulare, quod una regio Volaterrana, ipsa sibi per se beata, sive ad vitae usus necessarios, & commoditatem, sive ad oblectationem & voluptatem, non abunde suppeditet

tet ac largiatur? Hic vis ingens metallorum, hic salis & aluminis copia, hic fructuum omnis generis mira varietas, hic pastionum bonitas, hic percommoda vel in collibus clivosis aratio. Denique quae alibi atque alibi terrarum ad vitae humanae & necessitatem & utilitatem & jucunditatem singula desiderantur, ea ager Volaterranus affatim impartitur universa. Iam vero quantus ibi olim & quam uber atque copiosus vini optimi & praestantissimi proventus! qui tantus profecto vel antiquissimis temporibus fuit, ut Volaterrae vino totae fluere viderentur. Atque inde sane, nempe ab affluentia vini, nomen huic urbi iuditum a Graecis accepimus Oenareae. Quippe Oenaream Volaterras vocat Aristoteles in Admirandis. Nec dubitari posse videtur, Auditores, quin eo vere nomine summus ille philosophorum Volaterras designet: quam urbem in Tyrrhenia, seu Etruria, valde munitam, atque in alto colle, leviterque ad triginta stadia assurgente collocatam repraesentat: quandoquidem ab ea parte, quae est ad meridiem, faciliori utique planiorique via, ab agro campestri adscensus est Volaterras ad stadia fere triginta. Neque hic ego eos probo, viros scilicet pereruditos, qui nomen urbis Oenaream corruptum apud Aristotelem arbitrantur: pro quo, qua sunt illi scilicet doctrina atque auctoritate, Volaterras audacter reponunt. Cur enim id nominis apud Aristotelem depravatum, quod apud Aristotelem omnino olim Stephanus Byzantinus legebat? Testis tu mihi certus ac locupletissimus, Stephane, cui urbs illa eadem, decurtato plane ex Oenarea nomine, Oena ex Aristotele in Ethnicis tuis est appellata. Ubi etiam apud Aristotelem videre est, quam sedulo ac diligenter Volaterrani jam inde a principio in republica sua administranda (quanquam id obiter ac veluti per transennam Aristoteles) in libertatis retinendae studium incubuerint. Varia postea fortuna, stanti-

bus jam ac vigentibus rebus Romanis, Volaterranos exercuit: quos etiam narrant auxilia Launis contra Romanos misisse. Deinde, Syllanis difficillimis temporibus, quum Volaterrani municipali jure uterentur, quod partes Marianas sequuti, contra L. Syllam stetissent, memorant eis Syllam agrum ademisse, Romanam etiam civitatem eripere eis voluisse; sed hanc minime potuisse. Fuit quidem magno tunc decori atque ornamento municipibus Volaterranis, summam eis cum M. Tullio intimamque necessitudinem intercessisse. Sed ad cetera illa ornamenta quantus veluti cumulus, M. Tulli, ex commendatione tua accessit, atque ex gravissimo tuo maximoque testimonio de fide & probitate Volaterranorum! Non cives modo vocas Volaterranos; sed etjam optimos cives: de necessitudine tua cum Volaterranis magnopere gloriaris: perpetuum te Volaterranorum defensorem fore, nullumque te officium nullumque certamen, in quo illis prodesse posses, praetermissurum profiteris: gratissimum tibi fore praedicas, si Volaterrani omnibus rebus integri incolumesque serventur. Volaterranos denique summo studio populi Romani defensos abs te in Consulatu tuo ais, & hanc actionem tuam ita Cajum postea Caesarem comprobasse, ut & agrum & oppidum Volaterranum omni periculo liberaverit. Dicam ego, quod sentio, Marce Tulli. Tu, qui princeps, immo & pater Romanae es eloquentiae, nunquam mihi mehercule eloquentior visus es, quam in Volaterranis commendandis atque defensitandis: adeo te sibi Volaterrani beneficiis suis obligaverant: quorum etiam maxima in te promerita ultro ipse gloriosissime depraedicas: quippe qui nec in honoribus tuis, nec in laboribus, tibi unquam defuissent. Nam profecto quinam unquam de populis Etruscis ad gratiam referendam promptiores paratioresque Volaterranis? quorum prae tota Italorum gente eximia semper ac singularis no-

nota fuit, erga homines bene de se meritos & re ipsa & animo esse quam gratissimos. Fuit inter cives tunc Volaterranos Ciceronis intimus familiaris C. Curtius, homo honestissimo loco natus, eaque vir dignitate atque auctoritate, ut eum Caesar in Senatum legerit. Huic etiam, quum in Syllanae injuriae calamitatem incidisset, adjumento Cicero fuit, ut, quam in agro Volaterrano possessionem habebat, ordinem suum tuendum retineret. Quid Curtium? quid unum aut alterum hominem Volaterranum in medium profero? quum toti municipio Volaterrano adjutor Cicero atque auctor & salutis & dignitatis extiterit. Veruntamen lege postmodum triumvirali Volaterrae ex municipio in coloniam Romanam transierunt. Hac, quam diximus fortuna, ante & post Imperium Romanum Volaterrae sunt conflictatae: donec tandem in ea, quae subsecuta est, Imperii Romani, Italiaeque totius eversione, contigit Volaterris, quod aliis plerisque omnibus civitatibus Etruriae, ut res civitatis quondam florentissimae & clarissimae, veluti in obscuro ac tenebris jacerent. Quantum caligo illa & temporum & rerum patitur, Auditores, scimus, Vandalos, Geinserico rege, Leonis I. Imperatoris temporibus, Populoniam ex Africa appulsos, eo usque Volaterras excurrisse, urbemque Volaterras obsedisse, indeque divinitus repulsos, re infecta, abiisse. Scimus etiam, Longobardos, imperio harum regionum occupato, urbem in primis Volaterras coluisse, eamque ex urbibus Etruriae unam, sedem sibi ac domicilium tutissimum delegisse, unde iidem dominationem late suam in Etruriam amplificarent. Quo quidem loci, Auditores, nollem tempus illud calamitosissimum recordari, cum Volaterrae incensae vastataeque sunt a Pannoniis, qui ab Aymerico in Italiam vocati, primum omnium in Etruriam ferro & igne hostiliter invaserunt. Verum aliarum quoque magnarum beatarumque urbium vi-

vicissitudo ea fuit, ut ingentibus nunc cladibus afficerentur, nunc ex illis cladibus meliores ac feliciores, certe quidem aliquando nihilo, quam antea fuerant, deteriores existerent, ac reficerentur. Sic igitur scimus, paucis post annis Volaterras ex clade illa & calamitate Pannonica, ab Othone I. Imperatore, civibus rursus coactis, tametsi aliquanto breviori restrictiorique murorum ambitu, restitutas, novisque etiam e Germanicae nobilitatis flore civibus adauctas, multo porro vegetiores atque florentiores, majoribus jam atque augustioribus Othoniani nominis auspiciis, resurrexisse. Iam Volaterrani, peraeque atque potentissimi quique populi Etruriae, erigere sese in libertatem coeperant, jam movere lacertos, jam reviresсere ac reflorescere, jam libertatem atque imperium suum per Consules duos regere ac tueri, jam denique fortuna Volaterranis ad omnem felicitatem & gloriam favere coepisse videbatur. Ac sane, dum Etruria universa erat in armis, principesque populi Etruriae acerrime inter sese de provinciae hujus principatu dimicabant, ea potentia atque auctoritate Volaterrani erant, ut, quocunque ipsi propenderet, maximum rebus momentum allaturi esse viderentur. Nihil tunc Florentino optatius, quam Volaterranum in partes suas pertrahere. Sed Volaterranus favere, magis visus Pisano, quam Florentino. Hinc bellum inter Florentinos & Volaterranos. Caussa & initium belli a Florentino, dum nulla lacessitus injuria, agrum Volaterranum depopulatur. Superatus est Volaterranus; sed ita superatus, ut vel sub Florentinorum imperio animi sui magnitudinem, & liberi populi dignitatem servaverit. Visum est Florentinis, ex urbis Volaterranae dignitate, cum Volaterranis, tanquam cum populis foederatis, aequis conditionibus agere. Non vacat hic, Auditores, per singula ire tempora Volaterrana, nec dicere, quam sapienter Volaterrani rem-

pu-

publicam suam, curia exaedificata, duodecimviris populi defensoribus creatis, quindecimviris aerario curando praefectis, consilio civium sexcentorum adhibito, familiis patriciis quadraginta & amplius in album relatis, ordinaverint atque disposuerint, nec referre de civibus Volaterranis, quantum inter eos cives gratia atque opibus apud omnes valuerit Octavianus, Belfortis filius, eques splendidissimus, atque nobilissimus, ad quem, quum Belfortem filium sollemni ritu equitem faceret, legationes e tota Etruria gratulatum cum donis venisse Volaterras perhibentur; nec sexcentos alios summos cives Volaterranos recensere, maxima viros sapientia nominisque celebritate, quorum prudentia atque consiliis multum utique incrementi res Volaterrana capere, & libera permanere potuisset, si per factiones civiles licuisset. Quo vero te loco commemorabo, Ioannes Ingeranne, vir fortissime, tanta erga patriam tuam charitate, tantoque libertatis avitae studio, ut, dum duodecimvirum, hoc est, populi defensorem, ageres, contra nimiam potentiam dominatumque paucorum, auctor princepsque civibus fieres recuperandae libertatis, libertatemque publice conclamares. Tempora ego illa consulto praetereo, Auditores, ac venio tandem invitus ad eam orationis meae partem, quae est de clade Volaterrarum a Florentino. Qua tamen clade tantum abest, ut aliquid ego Volaterrarum laudibus detractum censeam, ut in ea potius clade, o cives Volaterrani, vestra in Florentinos promerita, caussaeque vestrae summa bonitas & aequitas elucere magis atque enitere videatur. Sed tamen o luctuosam atque acerbam memoriam temporis illius & calamitatis, cum videre erat, militem, bona fide intra moenia receptum, contra jus fasque nobilissimam Etruriae urbem foede ac crudeliter diripere, rebus juxta sacris ac profanis manus inferre, templa violare, in omnem aetatem ac sexum saevire: ad

ad haec, victores Pontificis tribunal atque aedes diruere, arcemque ibidem construere; agrum tandem adimere, & de clarissimae urbis captivitate, tanquam de victoria aliqua Scythica, missis laureatis quoquoversus epistolis, insolenter exsultare. Quae tanta urbis Volaterranae calamitas eo dolentius deploranda atque lamentanda visa fuit, quo plura antea atque majora Volaterrani fidei suae in Florentinos documenta dedissent. Quid enim dicam, Volaterranum nullam unquam Florentino injuriarum caussam dedisse? quum Volaterrani fidem, quam Florentinis semel obstrinxerant, nunquam prodidissent, nihilque tunc aliud postularent, quam ut ex jure & aequo secum ageretur. Quid? Non ne ut fidem hanc Volaterrani sancte ac religiose Florentinis servarent, amicitiam primum Sigismundi Imperatoris semel atque iterum tertioque constantissime recusaverant? Non ne in summis deinde angustiis, quum ab Alphonso Aragone parte agri privati essent; tamen, ne fidem Florentinis frangerent, oblatas sibi ab eo rege conditiones amplissimas & lautissimas repudiaverant, ejusque regis amicitiae amicitiam & fidem Florentinorum longissime praetulerant? Atque ea sane superiora Volaterranorum promerita in Florentinos. Quid tum postea? Non ne etiam postea Volaterrani, etiam post agros suos amissos, fortunasque suas perditas ac publicatas, Caroli VIII. regis Francorum & Caesaris Borgiae temporibus, cum tota reliqua Etruria tempore commodissimo, atque ad defectionem faciendam maxime opportuno, a Florentinis desciseeret, uni ipsi ac soli in Florentinorum fide manserunt, reique eorum publicae periclitanti qualecunque ultro auxilium miserunt? Namque alia longe posteriorum temporum ratio fuit, cum, propter ejectos Florentia Mediceos, irato patriae suae Clemente VII. Mediceo, Pontifice Maximo, missis contra Florentiam Caesarianis, qui caussam Mediceam tuta-

tabantur, ac propugnabant, his se etiam Volaterrani dediderunt. Namque alioqui prae omni Etruria Volaterranorum semper fuit, amicitias non ex commodo suo, sed ex honestate, metiri, fidem colere, eamque sartam tectam servare, & foedera sanctissime custodire. Ac profecto constat, Auditores, Florentinos calidioris consilii sui valde postmodum poenituisse, principique tunc viro civitatis Florentinae, qui id consilii adversus Thomam Soderinum, civem Florentinum, virum clarissimum atque sapientissimum, dederat, rem postea vehementer displicuisse, eundemque sub exitum vitae manifesta & clara poenitentiae suae signa patefecisse; itaque Florentinos talem illam ac tantam injuriam suis postea in Volaterranos beneficiis compensare, aut certe quidem levare omni ratione studuisse. Et quisquam dubitabit, quin Magni Etruriae Duces Medicei, ut reliquam Etruriam, ita prae multis Etruriae urbibus Volaterras tanquam in oculis gestaverint, qui tot tantisque & honoribus & ornamentis & commodis urbem Volaterranam, hominesque Volaterranos affecerunt, ut, collatis tum in Inghiramios, tum in Guidios, tum in Incontrios, tum in alios plerosque summos viros, patricios Volaterranos, maximis praefecturis atque dignitatibus, in unam urbem Volaterras veluti congesta singularia quaeque & clarissima beneficentiae, atque etiam liberalitatis Mediceae exempla fuisse videantur. Sed reservatum divinitus erat Magno Etruriae Duci, eidemque maximo Imperatori Romanorum, Francisco I. Lotharingo, ut Volaterrae, urbs illa Etruscarum civitatum antiquissima pariter & nobilissima, in pristinam suam dignitatem ac gloriam restituerentur. Quod enim antiquissimis quondam temporibus fuerat, republica primum Etruscorum e civitatibus duodecim ordinata, ut totius tunc Etruriae principatus penes Volaterranos resideret; id etiam nunc, auspice atque auctore Caesare, fieri quodammo-

do videtur, ut, re & civili & sacra Etrusca maximam partem & Pisis & Florentiae & Aretii & reliqua Etruria per homines Volaterranos rectissime & felicissime sustentata, quidam veluti sit inter civitates nunc Etruscas Volaterrarum principatus. Id dedisse Deus videtur tum ceteris eximiis Volaterranorum virtutibus, tum maxime pietati eorum ac religioni. Quis neget, magnam hanc, quam diximus, laudem urbis Volaterranae fuisse, quod ceteras civitates Etruriae tempore ac vetustate anteiverit? Magna mehercule haec laus. Attamen laus illa multo major, multoque divinior urbis Volaterranae, quod omnium ea civitatum Etruscarum prima, sacra Christiana veramque in Christum religionem susceperit. Efferant alii, quascunque volunt, civitates alias Etruriae: eas a viribus bellicis, a navalibus copiis, ab artibus belli & pacis, ab opulentia & potentia, ab urbium pulchritudine & ornatu, ab amoenitate locorum, ab hominum frequentia, a nobilitate & antiquitate, ab alia quacunque re, vel eximia ac singulari, summis ad caelum laudibus extollant. Si cujus alterius urbis Etruscae, certe quidem & hae olim laudes fuerunt Volaterrarum. Itaque hae etiam laudes sint Volaterris cum aliis Etruriae civitatibus communes: dummodo Volaterris haec praecipua & propria laus concedatur, quod eis civitatum Etruscarum primis lux per Christum divina ac salutaris affulserit. Ferunt enim, quod est vetustissimis monumentis, constantique superioris memoriae fama exploratissimum, Petrum, quem Christus vice sua in terris summo secundum Deum jure fungi jusserat, dum Romam proficisceretur, Volaterras venisse, ibique primum in Etruria Christi nomen ac religionem disseminasse, primumque ejus urbis antistitem Romulum constituisse, quem inde etiam Fesulas ad Christum praedicandum misisset. Quis jam hoc etiam religionis nomine non ceteris Etruriae civitatibus Vo-

Volaterras longe anteponat, quod earum civitatum primas Volaterras Petrus ad lucem Christianam vocaverit, quod primae Volaterrae ex ore Petri rudimenta Christiana hauserint; quod eaedem primae ab ipso Petro Romulum virum sanctissimum, magistrum ac Pontificem acceperint? O laudem hanc singularem & immortalem, dignamque plane, cui in laudibus Volaterranis primas facile deferamus! O laudem etiam illam multo maximam atque praestantissimam Volaterrarum ad memoriam aeternitatis, Volaterras orbi Christiano Linum Pontificem Maximum, qui beatissimo Petro in Pontificatum statim Romanum successerit, dedisse, & Leonem postea Magnum, ipsum etiam Pontificem Romanum, virum memoria dignum sempiterna, veritatisque Christianae vindicem acerrimum atque fortissimum, protulisse, & religionem semper Christianam, quam a Petro perdidicerant, puram postea atque intemeratam, firmiter ac constanter retinuisse! An tu mihi importune objicias labem nominis Volaterrani Arianam, quam labem Volaterrani Vandalicis potissimum temporibus contraxissent? Ego vero minime omnium feram, maculam hanc turpissimam Volaterrano nomini inuri, ut Volaterrani religionem unquam in Deum suam Arianismo contaminaverint. Nego igitur, & praecise nego, Volaterranos ad Arianos unquam descivisse; nego, Volaterranos lue se unquam Ariana polluisse; nego Volaterranos pestilentem unquam a Vandalis Arianorum doctrinam percepisse; nego denique, id, quod contra fertur de Arianismo olim Volaterrano, ullo idoneo nixum esse veterum testimonio, ullaque satis certa exploratаque auctoritate. An tu mihi putes, Volaterranos partibus Arianis favisse, quorum urbem Vandali Ariani obsederunt, omnique opere oppugnarunt? an Iustum, summa virum adversus Deum religione & sanctitate, una religionis caussa, unoque in Arianismum odio, ab Arianis ex Africa hostiliter expulsum, ad lo-

ea se Arianorum Volaterras cum Clemente suisque sociis, viris religiosissimis ac pientissimis, contulisse? an cetera per Italiam & Siciliam oppida?, quae Vandali tunc Ariani, Geinserico rege, eo ex Africa profecti, tam male habuerunt, ut alia in servitutem darent, alia solo aequarent, ab Arianis stetisse? Non ne inde potius putandum, quod ad fidem veteris historiae atque ad similitudinem veri accedere propius videtur, oppida tunc Italica ac Sicula tantas illas calamitates a Vandalis Arianis hausisse, quod ea ipsa oppida, atque adeo Volaterrae pravas Arianorum doctrinas, tanquam pestem atque perniciem religionis Christianae, summo opere odissent atque execrarentur? Quae quidem argumenta quis vestrum, Auditores, non videat, eo in primis tota tendere ac referri, ut Arianismi penitus crimine Volaterras absolvant? Namque eas quidem longa Arianorum obsidione per Iustum, virum sanctissimum, patronumque praesentissimum Volaterrarum, divinitus tandem liberatas, historia abunde Volaterrana testatur. Iam vero inde ab eo tempore quot & quanta, quam singularia & praeclara, quam certa atque illustria, verae sinceraeque pietatis ac religionis Volaterranae documenta animo meo obversantur! quot utique & quanta tota simul vix Etruria homini late excurrenti atque evaganti suppeditat. Quid enim est unquam, quod ad religionis quidem studium attinet, quid est in cultioribus religiosioribusque civitatibus Etruriae, tam pium & sacrosanctum, quod non prae reliqua longe Etruria in urbe Volaterrana eniteat, atque excolatur? Omitto basilicas, quibus nullae sunt in Etruria sanctiores atque augustiores: omitto templum vetustate ac religione maxime venerabile, quod in honorem beatissimi Petri dedicatum fuit: omitto quae Alcus quidam vir potentissimus atque locupletissimus templa duo, alterum Iusti, alterum Clementis nomine, magnifice sumptuose-

ſeque aedificavit: omitto alia multa memorabilia in primis, atque ad exemplum poſteritatis praeclara documenta pietatis Volaterranae. Quid dicam de antiſtite Volaterrano, quo nemo quiſquam alter antiquior antiſtes in Etruria? Eum conſtat utraque ſimul poteſtate, tum ſacra, tum etiam civili, quondam polluiſſe, ejuſque juriſdictionem, uni ac ſoli Pontifici Romano ſubjectam, latiſſime olim patuiſſe. Quid de Pontificibus Volaterranis Hugonem referam, virum ſanctiſſimum, tantaque in juribus ſacerdotaliuus defenſitandis conſtantia & fortitudine, ut nemini cuiquam ea quadantenus jura infringere per Hugonem unquam licuerit? Quid Hildebrandum Pannocchium, ſumma virum potentia atque nobilitate, quem Fridericus Imperator in virorum Romani Imperii principum numerum adlegit? Quid Raynerium Ubertinum, tanta virum prudentia, ingeniique dexteritate, ut graviſſimas ſaepe pernicioſiſſimaſque ſeditiones compreſſerit atque ſedaverit? Quid Philippum Belfortium, maxima hominem gratia & auctoritate apud Carolum IV. Imperatorem? Quid Petrum Corſinium, Pontificem ſimul Volaterranum, & Urbani V. Pontificis Maximi ad Carolum IV. Imperatorem, viroſque Germaniae principes legatum? Quid Franciſcum Soderinum, ſingulari virum doctrina, eximiaque rerum civilium moderandarum peritia, quem principem fuiſſe ajunt nobiliſſimae Florentinorum legationis ad Sixtum IV. Pontificem Romanum? quem etiam Soderinum adoleſcentem ferunt leges Piſis civiles publice docuiſſe. Quid Ioannem Salviatum? Quid ceteros antiſtites Volaterranos, viros plane magnos & religione & doctrina, & omni laudum genere celebratiſſimos? Quid recentiori etiam memoria Bernardum Inghiramium, virum & ipſum doctiſſimum, & doctrinae atque religionis propagandae ſtudioſiſſimum, qui legum Romanarum interpretationem publice primum Piſis profeſſus, deinde juris

ris dicundi munere & Senis & Romae summa omnium commendatione perfunctus, tandem Pontificatum Volaterranum adeptus, tantum utilitatis atque incrementi rebus sacris Volaterranorum attulit, ut, quidquid nunc commodorum, decoris atque ornamenti ad Pontificis Volaterrani rerumque sacrarum usum, vel optimorum sanctissimorumque institutorum ad sacrarum divinarumque doctrinarum exercitationem atque culturam habent nunc in paucis urbibus Volaterrae, id totum a Bernardo Inghiramio, rerum bene sapienterque gerendarum principe atque auctore, profectum videatur? Quid multa? Nulli omnino homines in Etruria rerum sacrarum studiosiores atque peritiores, nulli in tota antiquitate Christiana indaganda illustrandaque diligentiores attentioresque, nulli denique Christiana vere scientia cultiores atque instructiores hominibus Volaterranis. Qui quidem homines tantum studii atque operae ad antiquitates sacras Volaterranas perquirendas atque describendas contulerunt, ut unae Volaterrae magis, quam tota simul Etruria; de sanctorum beatorumque virorum historia, hoc est, de optima ac praestantissima sacrae Christianaeque historiae parte bene meritae esse videantur. Testes cito vos, summa viri religione, & pietate, quorum egregia ac singularia in rem Christianam promerita nulla unquam aetas conticescet. Nam vestrum quidem maximum opus atque laboriosissimum & nunc est, & olim fuit, Christianam historiam summa fide, e probatissimo quoque fideque dignissimo scriptore, rebus sanctorum beatorumque hominum praeclaris atque admirandis exhibitis, veluti per partes totam repraesentare. Multas vos multis gratias debere lubentes volentesque profitemini, quod, missis undique ad vos veterum germanorumque monumentorum subsidiis, plurimum vobis adjumenti ad opus illud vestrum conficiendum attulerint. Sed tamen simul etiam gratissimi profitemini, nemini cui-

cuiquam vel summorum clarissimorumque virorum, optimeque de vobis meritorum, magis, quam Volaterranis, debere, eo quod neque ulla unquam civitas, neque ullus hominum ordo Volaterranorum ea in re studium vel superaverit, vel etiam exaequaverit. Res mihi plena suavissimae jucundissimaeque voluptatis est, Auditores, cum otio meo vaco, hoc est, cum, abstracto paullisper a Graecis Romanisque litteris animo, valde me totum ad res sanctorum hominum mirabiliter gestas converto, eorumque acta, ut scriptis primitus mandata sunt, sedulo atque attente pervoluto, legere in iis commentariis atque intueri, quam grata passim memoria viri illi doctissimi juxta atque pientissimi, quotiescunque eis mentio Volaterrarum incidit (incidit autem saepius) studium illud Volaterranorum, ipsumque etiam nomen Volaterrarum prosequantur, & quam grato animo, quamque honorifice atque profuse laudes Volaterranas praedicent ac recordentur. Erit aliquando, erit (neque vanus ego unquam vaticinator) cum pietatis religionisque Volaterranae studia eximia & singularia palam ad memoriam aeternitatis loquetur commentarius ille Volaterranus, quem ab hominibus Volaterranis, de communi civitatis consilio, communique impensa, diligentissime atque accuratissime de antiquitatibus sacris Volaterranis conscriptum viri iidem religiosissimi se in lucem tandem daturos receperunt. Quid enim jam dicam de doctrina atque eruditione & ingenio Volaterranorum? quando non homines modo Volaterrani in libris suis; sed etiam ipsi in agro Volaterrano lapides, doctrinam abunde & eruditionem Volaterranam loquuntur; unus autem libellus Auli Persii Flacci, civis Volaterrani, doctissimis Romanorum viris indicio satis fuit, quantum verae laudis ac gloriae ingenia Volaterrana, quocunque sese ea tandem applicarent, promereri potuerint. Quid enim Thomam nunc

Phae-

Phaedram, recentioris memoriae commemorem, virum perquam doctum & eruditum, multoque Phaedra doctiorem atque eruditiorem, eundemque perinsigni hominem innocentia atque sanctitate, Raphaelem Maffeum, quem a patria, propter excellentem hominis famam, Volaterranum nuncupaverunt? aut quid his etiam temporibus viros summos & praeclarissimos, quorum in primis opera auctoritateque & patrocinio & religio & litterae bonaeque omnes artes tota maxime Etruria vigent atque florescunt? Quid plura de laudibus Volaterranis? quum par his laudibus oratio nulla possit inveniri; ita vero Volaterrae omnibus laudibus abundent, ita omnium egregiarum rerum copia, ita litterarum pietatisque studiis, ita opibus excellant, ita civium splendore, avitaque nobilitate in cunctis Etruriae gentibus eniteant, haec ipsa ut urbs multarum Etruriae civitatum princeps, nulli omnino earum civitatum secunda esse videatur. Atque id quidem nostris his temporibus. Nam, quod ad tempora antiquissima attinet, fateri omnes oportet, quod oratione mea satis demonstratum arbitror, principatum aliquando Etruscorum penes Volaterras exstitisse. Feci ego hactenus, quod potui, Auditores, ut Volaterranos, populos Etruriae nobilissimos, & de nomine Etrusco optime meritos, ex hoc amplissimo ad dicendum loco, sapientiae & virtutis ergo, pro viribus laudarem. Vestrum est, adolescentes honestissimi, omniumque bonarum artium ac disciplinarum studiosissimi, qui in clarissima Sapientiae Pisanae atque adeo Etruriae luce versamini, fructum eum percipere, quem mihi ab initio, dum ad laudes Volaterranas aggrederer, in primis proposueram, ut, quod aliis laudi atque ornamento est, id vobis, adolescentes, incitamento sit & virtutis & sapientiae ad gloriam patriarum vestrarum totiusque Etruriae sempiternam. Cogitate, cum Etruscas laudes auditis, magni vos

vos nominis personam sustinere, qui& Etrusci estis, & ex universa fere Etruria huc Pisas, tanquam ad mercaturam sapientiae, frequentes confluxistis; itaque illud vobis enitendum esse, ut ne, quod multo turpissimum foret, tanti nominis auctoritatem dedecoretis; sed, quod vobis longe gloriosissimum est futurum, praeter communes Etruscae gentis laudes, propria vestrum ipsorum laude plenissime cumulati, in patrias tandem vestras revertamini.

SENATVI . POPVLOQVE . LIBVRNENSI
ANTIQVO . ORIGINIS . SVAE
SPLENDORE . RESTITVTO
NAVALI . ETRVSCORVM . VETERI . GLORIA
INSTAVRATA
SAPIENTIAE . SIMVL . ET . MERCATVRAE
STVDIIS . CONSOCIATIS
DE . RE . ETRVSCA . DE . ITALIA
DE . TOTO . TERRARVM . ORBE
OPTIME . PROMERITO
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM
DE . LAVDIBVS . LIBVRNENSIBVS
PANEGYRICAM
DICTAM . A . SESE . AD . ACADEMIAM
PISANAM
HONORIS . GRATIQVE . ANIMI . CAVSSA
AD . MEMORIAM . NOMINIS
LIBVRNENSIS . SEMPITERNAM
D. D. D.

ORATIO XVI.

DE LAUDIBUS LIBURNENSIBUS.

MIrabatur fortasse antea non nemo vestrum, Auditores, quid esset, quod, hoc auspicatissimo die atque anniversariis sapientiae laudibus consecrato, aliud quidpiam a sapientia commendandum mihi, & panegyrica oratione, praesertim apud homines sapientissimos, in ipso sapientiae Pisanae theatro, efferendum videretur. Nunc, posteaquam proximis superioribus annis idem ipse intellexit, conjunctas maxime esse Etruriae, atque in primis Pisarum, laudes cum studiis sapientiae, nec percupidis gloriae ac doctrinae adolescentibus majori quidquam incitamento esse posse & virtutis & laboris, quam si patriarum suarum gloriam propositam sibi esse animadverterent, indeque ex his urbium Etruscarum laudibus mirabiles in litteris atque in sapientiae studio adolescentium Etruscorum progressiones esse consecutas, qui unus est finis habendae hodierno die orationis; nunc, inquam, posteaquam ex laudibus his Etruscis tantum incrementi atque honoris Etruscae sapientiae accessisse, & rem Academiae Pisanae tantopere amplificatam intellexit, miretur idem ipse potius, necesse est, tamdiu nos sollemnes hujus generis laudationes distulisse; &, quum Pisas, urbem olim principem Etruriae, omni laude ornare ac cumulare niteremur; tamen, quae laudum Pisa-

sa-

ſanarum maxima atque ampliſſima erat, Liburnum, portum nunc Piſarum celeberrimum, neque Etruriae modo, ſed etiam totius Italiae, nobiliſſimum, praetermiſiſſe. Atque equidem fatendum eſt, tot illa ac tanta decora atque ornamenta Piſarum, quot ac quantis recenſendis noſtra vix par eſſe potuit oratio, noſmet longe a nobis diſtraxiſſe, mentemque alio noſtram avocaſſe; nec vero in tanta illa & tam immenſa Piſanarum laudum multitudine quidquam facilius fieri potuiſſe, quam ut unius alicujus earum quis laudum oblivíſceretur. Quis enim laudes Piſarum univerſas enumeraverit, quae una urbs complexa in ſe fuiſſe videtur omnes laudes Etruriae? At enim ea eſt gloria ac dignitas & urbis & portus Liburnenſis, ut Liburnum non in ceteras urbis Piſanae laudes quadam veluti coacervatione congeri; ſed ipſum per ſe celebrari, propriamque a me quaſi ſuo jure laudationem repetere debuerit. Ergo, quod ad Etruriam, Piſaſque perfecte collaudandas reſtare unum videbatur, orationem Panegyricam, qualem jamdudum debebamus, damus nos hodie ac dedicamus Liburno. Aequum eſt, Auditores, ut, quemadmodum Piſanas antea a me laudes accepiſtis, ita me nunc in tanta omnium doctrinarum luce ad ſapientiae Piſanae gloriam de Liburnenſibus laudibus diſſerentem benigne attenteque audiatis.

Nam qui civitati nunc Liburnenſi novitatem objicit, nae ille vehementer fallitur, atque ille etiam tota longiſſime ratione aberrat. Quid enim in primis dicam de antiquitate, atque adeo de nobilitate Liburni? quod apud homines eruditos in confeſſo eſt, Labronis quondam nomine appellatum. Unde etiam merito probari poſſe videatur, quod viri plerique docti valde affirmant, detorto, ut fieri plerumque ſolet, vocabulo, nomen poſtea factum eſſe Liburno. Nec enim plane videtur, quod alii prodiderunt, Liburnum id nominis ab Arno

flu-

flumine, a cujus longius oſtio abeſt, accepiſſe: ut neque unum aliquem veſtrum, Auditores, inductum eſſe animum arbitror, ut, quod in fabellis Annianis pervulgatum eſt, ſibi perſuadeat, vocitatum eſſe olim Ligurnum a Ligure conditore, filio Phaetontis. Fuit equidem, ſcio, ſollemni in more veterum poſitum, origines ſuas conſecrare, urbiumque ſuarum primordia, quo ea auguſtiora atque ſanctiora facerent, ad deos, vel heroes auctores ac principes referre. Sed quid tu mihi Liburni gloriam in tot ac tantis veris ejus laudibus ab origine aliqua ejus fabuloſa ac commentitia aucupere? cujus quidem nomen adeo celebre atque illuſtre evaſiſſe ferunt, Graeci ut nonnulli ſcriptores appellationem inde navium Liburnarum aliquando arceſſiverint. Et fallebatur mehercule hac in re, quam qui maxime, Zoſimus, ſcriptor hiſtoriarum Graecus: quippe quum inter homines vel leviter eruditos nemo quiſquam ignoret, Liburnicas naves a Liburnis Illyricis, qui eas primi naves celeritate ac levitate mirabili excogitarunt, ita fuiſſe nominatas. Attamen quis non inde etiam veſtrum perſpiciat, magnam olim de Liburno Etruſco famam in Graecas late atque in alias nationes emanaſſe? Neque vero fruſtra credendum eſt, Coſmum Tertium Mediceum, Magnum Ducem Etruriae, virum multo ſapientiſſimum atque prudentiſſimum, nobilitatis avitae Liburnenſis tum aliunde argumenta, tum etiam ex ſplendore & vetuſtate clariſſimae glorioſaeque in primis originis repetiviſſe atque confirmaſſe. Dicere hic ego ſi velim laudes navales Etruſcorum, non ne laudes ſimul etiam dixero Liburni, quem olim portum Etruſci ſitu opportuniſſimum ad maritimas in quamcunque partem expeditiones habuerunt? Sed antequam mare hoc immenſum laudum Liburnenſium ingrediar, ſinite, me, Auditores, errorem quendam illorum depellere, qui portum quondam Piſanum cum portu Liburno ſa-

tis

tis inscite atque imperite confuderunt. Nolite hic errare, homines pereruditi, perstudiosique antiquitatis. Portus hodiernus, idemque gloriosissimus Pisarum (quis enim neget ?) Liburnum: quo facilis est ac lenis per fossam ab ipsa urbe Pisana, qualis ab urbe Alexandria fuisse olim Canobum dicitur, ad centum & viginti stadia navigatio. Non ita antiquitus fuit, Auditores. Non ita, ut recentiori, antiquiori etiam memoria Pisae Liburno, tanquam portui suo, navalium unquam usum atque commoditatem attulerunt. Portus vester, Pisani, qui Pisanus a vobis dictus est, longe alius antiquissimis temporibus fuit. Fuerat plane portus ille vester, Pisani, urbi vestrae multo propinquior, ad ostium fluminis Arni, emporium sinus Pisani perceleb re, atque oppido ditissimum: ubi & villa, quae vocata fuit Triturrita: quo nemo unus appulsus olim traditur, quin & portus commoditate mirabili, & summa rerum omnium copia atque affluentia magnopere obstupuerit. Eo siquis navibus veniret, venire atque appelli Pisas; &, si ex eo portu solveret, solvere is aut conscendere Pisis dicebatur. Quippe junctus fere ille erat portus ipsa urbe Pisarum; certe, si terrestri quis itinere proficisceretur, multo propior Pisas. Contra vero, Auditores, veteribus fuit, Labronem navigare, aut Labrone conscendere. Non fuit id profecto navigare Pisas, aut Pisis solvere, ideo quod nimirum portus ille Labronis longius a portu Pisano, atque adeo a Pisarum urbe, ad quindecim fere passuum millia, distabat. Sed neque idem, qui nunc est, fuit olim situs urbis vestrae, Pisani. Non urbem tum vestram Arnus amnis mediam intersecabat. Erant tum Pisae inter amnes duos, quibus eae veluti cingebantur, Auserem & Arnum. Non recta tum Auser alveo & nomine suo in mare ferebatur, neque in mare, ut nunc, octo & quadraginta ab Arni ostio stadiis, exibat. Hi ad Pisas a-

mnes

mnes inter se confluebant; jamque ibi Auser, totus in Arnum effusus, amisso nomine suo, in Arni nomen transibat; jamque ibi Arnus, suis & Auseris simul aquis auctior atque superbior, magna vi & concitatione undarum, inde a Pisis in mare paullo amplius duobus passuum millibus erumpebat. Eo tum spatio mare ab urbe Pisarum recedebat. Ibi igitur ad ostium Arni primitus fuit portus nobilissimus & vetustissimus Pisanus. Quod quis in dubium revocet in historia Romana, aut in Romanorum, Graecorumque scriptorum commentariis paullo eruditior? Nam quod in consuetudine veterum fuit dicere, Pisas navigare, Pisas appelli, Pisas classe, aut navibus venire, id ipsum aperte declarat, proximum tunc urbi Pisanae, atque adeo ad fluminis Arni ostium, portum Pisanum exstitisse. Quae de antiquissimo situ portus Pisani quum tam certa, quam quae maxime, esse videantur, neminem quemquam vestrum velim ego, Auditores, de antiquissimo illo portu Pisano idem judicium ferre, quod de recentiori: quando horum locorum facies longissimo annorum cursu ita tota immutata est, ut, siquis forte veterum ab inferis ad superos rediret, neque Pisas, neque Auserem, neque ostium Arni, neque portum Pisanum, neque ipsa etiam portus Pisani vestigia esset facile agniturus. Non enim jam Pisas urbem, ut prius, inter confluentes positam, sed Arno flumine divisam, neque Auserem amnem, ut prius, in Arnum influentem, sed alio ad mare proprio alveo derivatum, neque Arni ostium, ut prius, urbi Pisanae proximum, sed, reducto inde mari, longius remotum, intueretur; ille denique, quum portum Pisanum ad Arni ostium, ubi prius erat, nullum deprehenderet, alibi eum postea, vel in finibus Liburnensibus, ubi scilicet eum sibi postea portum Pisani paravissent, quaerere cogeretur. Ac novus quidem portus Pisanus, propior Liburno, fuit & ipse posterioribus

deinceps temporibus multo celebratior, unde Pisani arma nominisque late sui gloriam per Europam, Asiamque & Africam circumtulerunt: quem etiam portum narrant superiori memoria captum a Genuensibus fuisse, &, necui unquam commodo esse posset Pisanis, onerariis navibus caemento calceque onustis, ibique demersis, oppletum atque obstructum. Sed non est hujus loci, ubi Labronis, seu Liburni, antiquitas agitur, de situ portus Pisani recentioris prope a Liburno, longius disputare. Ergo quum portus ille Labronis, qui est ipse portus Liburni, temporibus Romanis, suo se nomine a portu plane Pisano discerneret atque distingueret, suoque se splendore assereret ac tueretur, quis jam novitatis notam objectare audeat Liburno, & non certo sibi potius persuadeat, quod est multo verisimilius, atque ad historiae fidem probabilius, quo tempore Etrusci imperio maris potiebantur, & maria & terras Etrusco undique nomine replebant, portum quoque Labronis re navali plurimum valuisse, atque in gloriae maritimae partem cum ceteris Etruriae populis venisse? Verum haec ista multo sunt antiquiora, quam ut in ea longius mihi ac diligentius inquirendum esse censeam: quae propter vetustatem obsolevisse dudum videntur. Neque enim negari potest, clarum illud prius atque illustre nomen Labronis, longissima hominum oblivione, temporumque postea injuria obscuratum ac paene obrutum, ita tandem defecisse, ut, mira & rerum & temporum mutatione consecuta, posteaquam res Etruriae, quae veluti in tenebris diutissime jacuerant, ad meliorem fortunam surrexerunt, non jam Liburnum ad pristinum splendorem revixisse; sed, tanquam si nullum antea usquam exstitisset, de novo prorsus exortum fuisse videatur. Nam quam varia etiam tunc fortuna Liburnenses exercuerit, quid attinet dicere? quum Etrusca superiorum temporum historia pa-

lam

lam testetur, Liburnum, portumque simul, quem vocarunt, Pisanum, in Gallorum etiam, mox Florentinorum, potestatem atque ditionem pervenisse. Quod si ita novum Liburnum arbitratu nostro ponimus, quale utique non fuit, ut antiquioribus illis temporibus, aut omnino nullum, aut certe perquam obscurum & ignobile fuerit, putabimus ne, hac ipsa ratione aliquid nos gloriae & dignitatis civitati Liburnensi esse unquam detracturos? Minime omnium. Immo vero tantum abest, ut ex hac ista novitate, siqua tamen ea unquam fuit, civitatis Liburnensis laudes ullo modo imminutae, aut obscuratae censeri possint, ut inde potius nova mihi atque uberior earum laudum materia suboriatur. Sic enim tandem de Liburno cogitatote, Auditores, tanquam de hominibus novis, quos egregia aliqua virtus, ac fortuna supra antiquam nobilitatem erexit, civitatem hanc novam, si novam forte vultis, Liburnensem eo jam magnitudinis ac potentiae & felicitatis vel intra breve tempus adspirasse, ut maximas quasque atque antiquissimas & opulentissimas civitates vel superaverit, vel certe exaequaverit. Et quid est, quaeso, quod nonnulli temere ajunt, nova haec civitas Liburnensis? Quasi scilicet ulla esse possit in orbe terrarum civitas tam nobilis atque antiqua, omniumque gentium historiis & constanti temporum fama ita celebrata, ut ea nunquam antea nova exstiterit. Soleo ego saepe oculos per omnes longe lateque terras circumferre. Soleo etiam mente praeteritorum temporum longissima spatia in annalibus atque in generis humani historia respicere, & hominum memoriam ultimam repetere. Regna & Imperia & nationes maximae, & populi tum Graeci, tum Barbari fere innumerabiles, & civitates amplissimae atque florentissimae in oculos ultro meos atque in mentem incurrunt. Maxima & nobilissima quaeque jam inde ab orbe condito ad nostram usque memoriam vide-

re licet jam mihi, a parvis tenuibusque initiis per quosdam paullatim veluti gradus ad tanta illa rerum incrementa, tantamque magnitudinem excrevisse. Quid hic commemorem, quae vestrum cuique maxime in promptu sunt, atque obvia? quid reginam urbium Romam? quid aemulam illam Romae Carthaginem? quid imperium Poenorum? quid Romanorum? antequam ea nimirum imperia adolescerent atque corroborarentur. Quid translatitia illa, hominumque sermonibus trita totius exempla antiquitatis? quae utique exempla, quasi digito ad fontes intento, aperte commonstrant, civitatibus saepe & rebuspublicis maximis atque potentissimis exigua atque obscura etiam principia exstitisse. Sed antiquiora illa omitto. Venio, quo mea festinat oratio, ad exempla duo multo recentiora, eaque in re nostra longe omnium clarissima, atque ad res Liburnenses illustrandas prae ceteris accommodata atque opportuna. Quid enim clarius ac nobilius Venetiis? quid notius atque celebrius Amsterodamo? atqui eae duae in primis sunt urbes maritimae, quibuscum Liburnum & opportunitate loci, & multitudine navium, & peregrinarum omnis generis mercium varietate, & omnium rerum affluentia, & divitiarum copia, & publicarum privatarumque aedium splendore, & civilis vitae cultu, omnibus denique rebus laudandis, merito comparandum esse videatur. Quibus tamen olim urbibus quis nesciat, pariter atque nunc Liburno, objectam aliquando fuisse novitatem? An vero, si utriusque illius urbis tum primordia, cum earum fundamenta urbium ponebantur, praesentes adspexissemus, suspicati unquam essemus, tam tenui parvoque initio, eo illas tandem tempore processuras, ut altera mari longe lateque Adriatico dominaretur, altera emporium totius terrarum orbis celeberrimum atque locupletissimum fieret? Videre erat, Auditores, urbe Aquileja excisa, populos Adriae finiti-

timos, Hunnorum metu, e sedibus semet suis praecipites proripere, pavoreque consternatos, recessum, quo se abderent, quaerere, &, quando locus ab hoste tutior, quo se reciperent, non erat, in parvas insulas quam plurimas, quas stagnantes ad littus aquae maris modico inter se spatio discretas reliquerant, tumultuaria manu transire, &, quam quisque sibi poterat, domum exaedificare, & insulas inter se conjungere, &, palis in terra sub aqua defixis, urbem superstruere. Haec Venetiarum aedificatio: quae etiam multitudinis numero Venetiae sunt appellatae, quod ex insulis amplius sexaginta, tanquam ex parvis quibusdam urbibus, in unam urbem maximam coaluerint, quae nimirum urbs ab his initiis profecta, in tantam magnitudinem excrevit, ut nulli prorsus maximarum urbium secunda esse videatur, locumque inde fabulae illi Poetarum dederit, eam deos urbem, non homines, posuisse; certe quidem eam homines in maximis mundi miraculis numeraverint. Quid Amsterodamum, Batavorum urbem, ipsam quoque maximam atque potentissimam? Cernere erat, pagum piscatorum ignobilem in urbem paullatim, eamque palis superstructam, mirifice assurgere: quae tamen urbs brevi eo & magnitudinis & magnificentiae & opulentiae & splendoris evasit, ut & ipsa in miraculis mundi habita fuerit, & nobilissimas quasdam atque amplissimas totius terrarum orbis civitates longo post se intervallo quadamtenus reliquerit. Haec, Auditores, utriusque tandem illius urbis fortuna: quam utramque urbem, tanquam in expressa quadam veluti imagine, videor ipse mihi in oppido ac portu Liburnensi palam intueri. Nam, sive Liburnum, quum gloria olim & dignitate, stantibus rebus Romanis floruisset, a pristino illo & antiquissimo gloriae ac dignitatis statu postea defecerit, quod ego omnino sentio, sive, quod plerique nunc omnes opinantur, Liburnum

num in tenebris atque obscuritate oblivionis antea penitus latuerit; certe quidem, posteaquam ex tenebris superiorumque temporum silentio in lucem Italiae, atque adeo orbis terrarum emersit, novae fortunae suae principia, Venetiarum atque Amsterodami instar, Liburnum habuit tenuiora: ex quibus tandem principiis ita sese tandem extulit ac confirmavit, ut utriusque tandem illius urbis magnitudinem simul & felicitatem complexum fuisse videatur. Quid enim nunc aliud, quid tandem, per Deum immortalem, aliud, urbs ista Liburnensis, quam utraque illa urbs & Veneta & Amsterodamensis, utraque, inquam, illa urbs & pulcherrima, & nobilissima, & opulentissima in unam simul civitatem Liburnensem contracta atque collecta, ut quod in unaquaque illarum ornamenti inest ac laudis, id in se totum una haec civitas Liburnensis includat atque comprehendat? Age vero, quam uber hic & copiosa, ac propemodum infinita seges mihi ac materia nascitur laudum Liburnensium! quas in laudes si mea se diffundat atque explicet oratio, nullum jam exitum inveniat. Nam cum Liburnum, portum Etruriae munitissimum ac celeberrimum dico, cum Liburnum, urbem egregie conditam, duplici portu clausam, sex arcibus, aliisque atque aliis undique propugnaculis defensam celebro, cum Liburnum, omnium nationum atque gentium receptaculum tutissimum, & navium plenissimum, & mercaturis faciendis commodissimum, & omni hominum genere frequentissimum describo, cum Liburnum, commune orbis terrarum emporium appello, cum Liburnum a mercium simul multitudine & varietate, ab armamentariorum copia, ab ornatu aedium, a splendore civium, ab opibus, & divitiis, ab omni laude extollo, cum denique insignia quaeque atque ornamenta Liburni oratione mea singulatim persequor, nolim, putetis, Auditores, qualescunque me laudes de

Li-

Liburno praedicare; sed eas quidem laudes, quibus ego nullas ne cogitatione quidem majores unquam assequi possim. Ac spectaculum quidem ex alto & portus & urbis Liburnensis, quam illud magnificum! quam theatrale, quamque ad hominum admirationem excitandam accommodatum! ubi sese navigantibus in conspectum statim dant longeque ostentant turres ingentes duae, in ipso mari jactis molibus opere mirifico extructae, ac veluti pelago objectae, non ad praesidium, & munitionem modo, sed etiam ad ornamentum Liburni: quarum etiam turrium altera, ad exemplum Phari Alexandrinae, Pharus & ipsa Liburnensis est appellata, quod pariter atque illa olim Alexandrina, accensis noctu facibus, navibus ad longissimum intervallum praeluceat. Ipsa autem urbs spectatu quam digna, adspectu quam pulchra! quae Venetiarum ita pulchritudinem repraesentat, ut novarum quoque Venetiarum appellationem sibi merito vindicaverit: ubi & canales structiles elegantissimi, & pontes lapidei pulcherrimi, & viae latissimae, optimoque inter se ordine dispositae, aliae aliter, aliae etiam in quincuncem directae, & fora amplissima, & aedes picturis varie ac mirabiliter exornatae, & palatia sumptuosissima atque magnificentissima, &, quod admirationem maxime omnium movet, opus in ipso portu, artificio singulari ac prorsus stupendo, factum est aere, Ferdinandus Mediceus, Magnus ille Dux Etruriae, qui muro & fossà Liburnum, post Franciscum Mediceum fratrem, eundemque Magnum Etruriae Ducem, circumdedit, cujus quidem Ferdinandi propria ac praecipua laus fuit, ut rem navalem Liburnensem ipse in primis restitueret atque instauraret, itaque Tyrrheni maris dominator vulgo haberetur. Qua de caussà ejus ibi stat celeberrimo in loco statua regalis, in excelso posita, prementis veluti pedibus atque calcantis mancipia quatuor, catenis constricta, atque ad pe-

des suos abjecta. Quod si ego velim portum & urbem Liburnensem exacte accurateque describere, ejusque urbis pulchritudinem vobis dicendo ante oculos ponere, idem mihi accidat, necesse est, quod pictori, qui pulchram faciem pingere aggressus exprimere nequeat & effingere penicillo, quod ipse oculis intuetur: quem vulgo dicere solemus melius facturum fuisse, eam si oculis faciem spectandam reliquisset. Nam ut Liburni a natura & situ & aedificiis pulchritudinem quibuscunque eloquentiae coloribus depinxerimus; tamen ejus urbis pulchritudo multo illa major, multoque admirabilior videbitur, eam siquis postea cum portu urbem oculis spectaverit. Iam vero quantae illae orarum & littorum Liburnensium ad omnem delectationem prospectumque maris amoenitates! quam probe tota illa littora Liburnensia crebris turribus & propugnaculis, non ad Liburni modo, sed etiam universae Etruriae defensionem & securitatem munita! quam diligenter & caute publicae totius Italiae atque adeo Europae saluti a civibus Liburnensibus provisum duobus illis amplissimis atque ad omnem avertendae luis usum & commoditatem opportunissimis veluti valetudinariis, quibus non omne modo importatae aliunde pestilentiae periculum, sed vel minimam etiam hujus periculi suspicionem longe a se propulsatam voluerunt! Age porro, quam illa facilis atque expedita mercaturae exercendae ratio in portu Liburnensi! Hic autem sentio, me imprudentem in eam orationis meae partem devenisse, quae, si Iurisconsultorum quosdam audimus, civitatis Liburnensis luminibus obstruere, hoc est, ejus urbis nobilitati officere non parum videatur. Quem enim fugiat, quod in scitis vestris, Iurisconsulti, positum atque constitutum voluistis, mercaturam derogare nobilitati? Sed, quod bona venia vestra dictum sit, Iurisconsulti, minime id omnium universe verum est; sed tum demum verum, cum tenuis at-

atque exigua eſt mercatura. Sin magna illa & copioſa, & multa undique apportans, & multis ſine vanitate impertiens, ſententia Marci Tullii eſt, non eſſe mercaturam admodum vituperandam. Quid, Cicero, non admodum tunc mercaturam vituperandam? Immo vero, quod viris olim ſapientiſſimis atque prudentiſſimis, & recentiori etiam memoria ſummis juriſconſultis merito videbatur, & abhinc paucis annis ſollemni ac publico pro Liburnenſi nobilitate decreto, a Magno illo Duce Coſmo III. mirifice probatum eſt, magna illa & copioſa mercatura, propter maximarum rerum uſum, plurimaſque ejus & communes utilitates, novaſque etiam neceſſitudines, quae inde ſaepe cum maximis gentibus maximiſque regibus conjunguntur, eſt cum primis collaudanda: quam & antiquis temporibus viri nobiliſſimi & celebratiſſimi, Solon & Plato & Thales apud Graecos, & Cato Cenſorius apud Romanos, magna cum laude, citraque ullam dignitatis ſuae familiarumque ſuarum maculam, exercuerunt; & nunc etiam nobiliſſimi & clariſſimi quique viri inter Venetos & Genuenſes & Florentinos honeſte & laudate, ſine ullaque imminutione, aut detrimento avitae nobilitatis ſuae, exercent. Mercatores autem Liburnenſes, homines optimi & honeſtiſſimi, pro modeſtia & ſapientia ſua, ſatis habent, eodem plane loco nobilitatem ſuam duci, quo & Veneta & Genuenſis & Florentina nobilitas cenſetur. Quod ſi apud hos populos, totius Italiae nobiliſſimos atque generoſiſſimos, tantum abeſt, ut magna illa & copioſa mercatura generis nobilitati aut perſonarum dignitati ulla ex parte obſit aut officiat, ut potius ad nobilitatem ſplendoremque nominis multum conferat, & quo quiſque inter eos longius nobilitate excellit, eo etiam ſit ille a mercatura celebrior atque laudatior, quanto magis ad nobilitatem nominiſque amplitudinem & gloriam apud Liburnenſes conferre putanda eſt, quae tan-

to major atque copiosior apud eos est, negotiatio & mercatura! Nam, Deus bone! quanta vis mercium omnis generis pretiosissimarum ex omnibus terris atque maribus in portum quotidie Liburnensem invehitur, neque solum rebus Europae pacatis, cum mare est in pace, & libero inter se commercio diversae vel Barbarae gentes utuntur; sed etiam belli tempore, cum, negotiatione impedita, fides mercatorum omnibus fere locis concidit, refertoque praedonum mari, nullus ad perfugium relictus portus videtur! Namque illud proprium est, fuitque semper Liburni, commune esse omnium nationum, quamvis & locis & studiis disjunctarum, perfugium, idemque quovis tempore quibuscunque navibus cum mercibus atque oneribus, ex quibuscunque oris partibusque ultimis maximeque diversis terrarum, adventantibus, portum tutissimum atque paratissimum praebere. Qua in re fortasse nescias, utrum magis mirere, an numerum navium atque mercium ex oris disiunctissimis advectarum, an civium Liburnensium opes, quae tot illis ac tantis mercibus coemendis sufficiant. Unde etiam est, quod reliqua Italia, aliaeque etiam regiones ex portu Liburno, tanquam ex communi quadam orbis terrarum officina, rariora quaeque atque pretiosiora, quae frustra alibi terrarum desideres, sibi expetant atque exquirant. Quibus civium Liburnensium in Etruriam, atque adeo in Italiam universam, reliquumque terrarum orbem promeritis quum insignia quaeque atque ornamenta nobilis in primis urbis accesserint, armorum & litterarum gloria, de quibus paullo post dicam, ordinum & classium civitatis distinctio, patriciorum & plebis secretio, munerum publicorum atque dignitatum inter cives differentia, cetera nobilitatis indicia atque argumenta, quorum maxime ratio in civitatibus quibuscunque nobilissimis haberi solet, mirabimur ne, tantum haec omnia apud Magnos Etru-
riae

riae Duces valuisse, ut in iis permagnum ad veram civitatis Liburnensis nobilitatem momentum collocandum, indeque eam sibi civitatem, nobilissimarum quarumque urbium instar, omnibus honoribus atque titulis ornandam atque augendam esse judicaverit? Neque vero cum Magni Etruriae Duces nobilitati Liburnensi suffragati maxime sunt, fuit illa per eos nobilitatis apud Liburnenses veluti creatio, quasi non etiam antea Liburnenses nobilitate inter Etruscos praestitissent; sed fuit illa certe antiquae nobilitatis Liburnensis quaedam veluti declaratio & confirmatio, quum quam sibi jam inde a vetusta origine nobilitatem Liburnenses virtute clarisque factis pepererant, Magni illi Duces ratam ac firmam habuissent. Cito te prae ceteris, qui ceteris Mediceis heroibus sapientia longe & virtute antecedere visus es, cito te, temporum tuorum multo prudentissime, Cosme Tertie Medicee, cujus ea fuit de Liburno, & tam praeclara existimatio, ejus ut civitatis nobilitatem cum nobilissimis quibusque & antiquissimis Etruriae tuae urbibus exaequandam duxeris, &, qui optimo cuique & nobilissimo viro tota Etruria honoris & dignitatis aditus semper patuit, hunc eundem aditum nobilissimis quibusque civibus Liburnensibus, qui amplissimo ejus urbis Vexillarii magistratu functi fuissent, peraeque patere volueris, adeo ut per leges jam ac iussa tua, Cosme Tertie, nobilissimo cuique Liburnensi civi, qui urbis suae Vexillarium egerit, fas sit ac liceat Ordinis tui equestrem dignitatem, tanquam jure avitae nobilitatis sibi debitam, exposcere, &, qui altissimus apud nos gradus est verae praeclaraeque nobilitatis, veluti suam, repetere. Quod si natalibus unum aliquem restituere, principis est ac regiae & imperatoriae auctoritatis, si ii vere ac proprie nobiles, quos Rex, quos Princeps, quos Imperator nobiles facit, si ea demum vera, ac germana, & genuina, & eximia nobilitas est, quae a sum-

mo Principis jure, veluti a fonte legitimo ac suo, derivatur, quod prudentissimis Iurisconsultorum responsis atque decretis sancitum est, quid civitati tandem Liburnensi deesse existimandum est ad summam & excellentem nobilitatem, quae non ex se modo civitas, atque ex civium suorum splendore nobilitata est; sed etiam ex singulari Magnorum Etruriae Ducum commendatione, gravissimaque auctoritate? Et quisquam mirabitur, tantum nominis atque celebritatis Liburnum toti Etruriae attulisse, ut ipsa jam provincia Etruria, ipsa, inquam, celebratissima ubique & laudatissima Etruria, nomen fere suum apud exteras & remotissimas nationes amisisse, Liburnique nomine commutasse videatur? Nam & qui provinciae longe lateque Etruriae Magnus Dux dominatur, non jam Etruriae, sed Liburni Dominus, apud Barbaras vulgo ultimasque gentes vocitatur, eo quod hoc ipsum nomen Liburni ubicunque terrarum atque locorum multo celebrius ac divulgatius sit, quam nomen Etruriae, unoque illo Liburni nomine, tanquam partis omnium optimae atque praestantissimae, tota regio Etrusca significetur. Ac profecto si urbem ego portumque Liburnensem cum reliqua universa Etruria diligenter contulero, unum ausim Liburnum toti reliquae Etruriae, duodecimque illis Etruriae populis, quibus veluti ex partibus magnitudo Etrusca coalescebat, longe anteponere. Etruriae nos scimus permagnas hodieque esse & olim laudes fuisse: quas ut ego laudes saepe alias ex hoc ipso loco diligenter vobis exponere atque explicare conatus sim, tamen eas nunquam verbis assequi & adaequare potuerim. O beatam, o felicem, o fortunatam Etruriam! quae ipsa per se regio sufficere sibi ad omnem felicitatem videtur, & fertilitate agrorum, & multitudine ac varietate omnium earum rerum, quae tum ad vitae humanae usum sunt, tum ad hominum voluptatem, ceteris facile totius Italiae re-

regionibus antecellit. Laudes has Etruriae maximas atque amplissimas quis non palam ultroque praedicet ac fateatur? & tamen quantulae eae sunt, si ad laudes umquam Liburnenses comparantur! Etruriae tandem sui sunt fines; nulli fines Liburno, nisi quibus orbis terrarum finitur. Etruria non nisi Etruriae est, Liburnum est totius terrarum orbis; immo & orbis universus est Liburni. Patria est Etruria Etruscorum; Liburnum, generis humani. Itaque Etruria beneficium hoc debet Liburno, quod sibi jam undique patet totus terrarum orbis, & quae provinciae amplissimae sunt orbis terrarum, & Britannia, & Gallia, & Hispania, & Sicilia, & Africa, & Aegyptus, & Arabia, & Asia, & India, ceterae denique orbis terrarum regiones maximae & opulentissimae, provinciae jam suae censeri possunt, unde tanta res copia atque ubertate in Etruriam importantur. Atque hae fere Liburni laudes a mercatura. Quid deinde de laudibus bellicis? quid de religionis Christianae promovendae dilatandaeque studio apud Liburnenses? Nolite enim existimare, Auditores, cives Liburnenses tantas illas opes suas, quas ex mercaturis faciendis compararunt, ut solet alibi mercatorum genus molle plerunque esse ac deliciosum, ad luxum atque ad voluptates retulisse. Immo vero nulli hodie Etruriae populi bellicosiores, atque ad expeditiones maritimas promptiores & alacriores, quam Liburnenses. Ea demum, post portum illum Pisanum clausum atque obstructum, rei militaris ac navalis gloria ad urbem portúmque Liburnensem transivit. Itaque divino consilio factum videtur, ut Magni ii Etruriae Duces Medicei, de quibus paullo ante memineram, pro sapientia & prudentia sua, & regendarum atque administrandarum civitatum scientia, Liburnum ex omni Etruria potissimum elegerint, non munimentum modo, & praesidium validissimum Etruriae; sed etiam per-

perfugium tutiſſimum atque expeditiſſimum, quo ſe vel ex ultima barbarie, non tantum ex Graecia, homines, neque mercimonii ſolum, ſed etiam Chriſtianae religionis exercendae cauſſà, undique reciperent; atque unde etiam triremes, & Liburnicae, aliaeque naves Liburnenſes, optime inſtructae atque ornatae, lectiſſima militum manu, in Chriſtiani nominis hoſtes excurrerent, & mare in primis Tyrrhenum, deinde alia etiam maria, libera ab immaniſſimis praedonibus redderent, & magnum captivorum Chriſtianorum numerum ex jugo ſervitutis barbaricae eriperent, rei denique Chriſtianae quoquoverſus dilatandae atque amplificandae pro viribus inſervirent. Etenim, quae laus inter omnes Etruriae populos propria olim fuerat Piſanorum, mercaturam ſimul & militiam ita exercere, itaque quaeſtui & rebus ſimul bellicis ſtudere, ut tamen ex negotiatione non quaeſtum ſuum, neque ex re militari maritimiſque expeditionibus dominationem ſuam; ſed ex utriſque ſimul & belli & pacis artibus rei Chriſtianae incrementa, & reipublicae Chriſtianae ſalutem & dignitatem quaererent; utraque haec tandem laus communicata cum Liburnenſibus videtur, ut ii etiam & negotiationis & militiae ſtudia, quam qui maxime conſectentur, & fructus ex mercatura uberrimos atque ampliſſimos percipiant, & clariſſimas ex navalibus expeditionibus de impiis barbariſque hominibus ſubinde victorias reportent; & tamen uni ac ſoli religioni Chriſtianae lucrentur, eique ſoli religioni militent, quaeſtuſque ſuos & victorias navales ad eam unam religionem cohoneſtandam atque augendam convertant. Quem tandem ſibi fructum, qua induſtriae, qua virtutis ſuae, maximum atque honeſtiſſimum cives ſemper Liburnenſes propoſuerunt. Quo ex religionis ſtudio ubi tota Etruria res Chriſtiana atque Orthodoxa florentior, quam Liburni? ubi Chriſtianae pietatis officia cultiora atque frequentiora, quam Liburni? ubi re-

reverentia atque observantia in res divinas sanctior, atque religiosior, quam Liburni? ubi denique in conspectu fere omnium populorum totiusque terrarum orbis virtutum Christianarum exempla clariora atque illustriora, quam Liburni? ut ego jam minime omnium verear exteris quibuscunque, seu Graecis, seu Barbaris, seu Romanis ac Latinis nationibus, quae ex omnibus terris eo frequentissimae confluunt, & virtutis & religionis Etruscae exemplar perfectum atque germanum Liburnum proponere. Quod si verae sinceraeque in Deum religionis certa veluti tessera semper apud Christianos habita fuit eximia pietas ac veneratio erga Matrem Dei, quis in hoc etiam pietatis & venerationis studio Liburnenses anteiverit? quorum prae ceteris Etruscis tam insignia & singularia in Virginem Matrem studia fuisse feruntur, ut & ipsa Mater Dei pignus & argumentum amoris & patrocinii sui exstare apud Liburnenses imaginem suam voluerit, eo divinitus ex Euboea importatam. Ac stat quidem ei templum in rupe prope a Liburno, magnificum & augustum, maximoque populorum omnium concursu sane religiosum: adeo ut, quum toto orbe Christiano complures Virginis Matris imagines omni cultu & honore afficiantur; tamen post Virginem Lauretanam, maxime omnium celebretur Liburnensis. Et quis Virginis Matris enumeret & vetera & recentia in Liburnenses beneficia? cujus praesentem opem & olim experti sunt, cum Maximilianus Imperator oppidi oppugnatione desistere divinitus coactus est, & nunc etiam quotidie in tot ac tantis & terraemotuum, & pestilentiarum, & bellorum periculis experiuntur. Quid jam dicam de studiis litterarum & sapientiae apud Liburnenses? Quid jam miramur, Auditores, viros olim doctissimos & sapientissimos mercaturam fecisse, quales certe Athenis & Solon & Plato fuerunt, quorum alter leges Atheniensibus de-

dedit, atque in ſapientibus Graeciae eſt adnumeratus; alter vero in ſapientiae ſtudio adeo profecit, ut quidam veluti Philoſophorum deus viſus ſit, certe quidem divinus, & Philoſophorum Homerus ſit appellatus; quid, inquam, jam miramur, doctos olim ac ſapientes viros doctrinae & ſapientiae ſtudia cum mercaturae ſtudiis conſociaſſe atque conjunxiſſe, & de ſapientibus viris Graeciae mercatores duos exſtitiſſe, Solonem Athenienſem, & Thaletem Mileſium? quando jam Liburni, quo quiſque magna illa & copioſa mercatura, opibuſque inde ex ea mercatura comparatis, florentior eſt atque lautior, eo etiam eſt ille in omni doctrina & ſapientia exercitatior, atque eruditior. Quippe laus veſtra, maximeque vobis propria, haec eſt, cives Liburnenſes, mercaturam ita colere, ut doctrinam atque eruditionem quibuſcunque negotiationibus, omnibuſque quaeſtibus & lucris longe anteponatis, idque in lucro deputetis, omne otii tempus in litterarum & ſapientiae culturam impendere: ita ut urbs veſtra non mercium modo omnis generis, ſed etiam omnium bonarum artium atque diſciplinarum commune eſſe emporium videatur. Unde enim tandem urbs veſtra tot & tanta ſapientia & doctrina viros ceteris Italiae urbibus, Romae in primis ac Florentiae & Piſis, atque adeo ipſi Academiae Piſanae Etruriaeque univerſae ſuppeditaret, qui eas urbes, ipſamque adeo Etruſcae ſapientiae matrem & magiſtram, Academiam Piſanam, rerum maximarum ſcientia augerent ac locupletarent, niſi maxime apud vos doctrina, certe quidem magis, quam mercatura, excoleretur? Unde etiam fit, ut, quum univerſa fere Etruria huc Piſas, tanquam ad portum omnium bonarum artium, confugiat; tamen adoleſcentes Liburnenſes, & frequentia & ſtudio aſſiduo ſapientiae, inter ceteros Etruſcos excellere facile videantur: qui & ipſi omni hic rerum ſcientia comparata, tanquam mercem

omnium

omnium optimam & pretiosissimam, doctrinam atque sapientiam, Liburnum in patriam suam invehant, atque ut opibus ex mercatura, ita & sapientia ex omnium praeclarissimarum artium studiis cumulent atque adaugeant. Hinc illa vestra, mercatores Liburnenses nobilissimi, optima & pretiosissima supellex, ut domus vestrae non auro modo, argentoque & ebore, ceterisque rebus pretiosis niteant atque resplendeant; sed etiam siut a bonis utilibusque libris instructissimae: quorum quidem librorum tanta apud vos copia est atque multitudo, ut vel una unius vestrum bibliotheca cum Etruriae totius cunctis bibliothecis & bonitate & raritate librorum certare facile possit. Quid ego plura de Liburno? quid de ceteris ejus laudibus, quae tot sunt, ac tantae, ut praestet quodammodo de laudibus omnino Liburnensibus tacere, quam eas dicendo laudes imminuere? praesertim quum Magno jam Etruriae Duce, Imperatore Caesare, Francisco I. Augusto, magno illo mercaturae simul ac nobilitatis Liburnensis patrono, eo tandem & magnitudinis & felicitatis Liburnum pervenerit, unum ut solumque Liburnum laudes in se universas Etruriae, immo & totius Italiae, comprehenderit. Atque hae quidem, Auditores, laudes a me qualescunque urbis & portus Liburnensis: quae quum laudes urbem Pisanam, atque adeo Pisanam Academiam, propius contingant, videtis, optimi adolescentes, eas quoque laudes prae reliqua Etruria, proprio quodam & peculiari jure, ad vos pertinere. Nec vero ego dubito, quin auribus vestris qualecunque hoc de Liburnensibus laudibus acroama multo jucundissimum atque gratissimum acciderit. Velim, vos, adolescentes honestissimi, eas laudes, ut sunt, vestras esse ducatis, atque inde, veluti quibusdam stimulis, ad veram solidamque gloriam, quod virtutis ac sapientiae praemium amplissimum atque uberrimum est, excitemini. Nam &

mercatura est aliqua ſapientiae, tanto ea quidem illuſtrior atque glorioſior, quanto ſapientia pecuniis ceteriſque rebus fluxis atque caducis praeſtantior eſt atque excellentior. Veſtrum quoque eſt, adoleſcentes ornatiſſimi, ſcientiae & doctrinae agere hic mercatores: unde cetera vobis bona ad veſtram, patriarumque veſtrarum, Etruriaeque totius utilitatem & gloriam facile parabuntur.

SE

SENATVI . POPVLOQVE . SAMMINIATENSI
VETERI . LANGOBARDICAE . ORIGINIS . SPLENDORE
GERMANICI . IN . ETRVRIA . IMPERII . DOMICILIO
CAESAREI . JVRIS . VICARIA . DIGNITATE
CIVIVM . NOBILITATE . SAPIENTIA
RELIGIONE . DOCTRINA
MILITARI . GLORIA . CETERIS . ORNAMENTIS . OMNIBVS
IN . ETRVRIAE . CIVITATIBVS . PERILLVSTRI
ALEXANDER . POLITVS
ORATIONEM . SVAM
DE . LAVDIBVS . SAMMINIATENSIBVS . PANEGYRICAM
DICTAM . A . SE . AD . ACADEMIAM . PISANAM
PRO . EGREGIIS . SAMMINIATENSIVM
IN . EAM . ACADEMIAM
OMNEMQVE . DOCTRINAM . PROMERITIS
MEMORIAE . ET . HONORIS . CAVSSA
L. M. Q. D. D. D.

ORATIO XVII.

DE LAUDIBUS SAMMINIATENSIBUS.

FUit consuetudinis meae, quum anniversario hoc celeberrimo die, doctrinisque instaurandis consecrato, veluti auspicandi caussa, pro munere meo, orationem haberem, ipso statim orationis initio rationem reddere, qua de caussa haec & illa mihi argumenta pertractanda explicandaque proposuerim, praesertim si qua forte argumenta, quod non semel accidit, peregrina, atque etiam a sapientiae & litterarum laudibus, hoc est, a sollemni hujus diei instituto, paullo alieniora viderentur. Nunc, quando jam constat, Viri excellentissimi, Auditores ornatissimi, aptas quam maxime connexasque esse Etruriae laudes cum laudibus sapientiae, neque ad adolescentes sapientiae amore inflammandos atque excitandos magis quidquam valere, quam si suarum iis, hoc est Etruscarum, urbium laudes celebrentur, non ego jam utar consueta ratione dicendi; sed statim ad rem ipsam aggrediar, ut, hoc frequentissimo florentissimoque Pisanae, hoc est Etruscae sapientiae conventu, urbem Etruriae maxime memorabilem atque illustrem Samminiatensem Panegyrica oratione, pro loci hujus dignitate atque amplitudine extollam. Etsi enim urbes sunt in Etruria, quae antiquitate, quae civium multitudine, quae murorum ambitu, quae descriptione aedificiorum, quae prolati pome-

metii magnitudine, quae copia etiam divitiarum, Samminiatensi urbi longe praeferri posse videantur; tamen nego, ullam omnino esse in Etruria urbem, quae civium nobilitate, atque splendore, quae vitae cultioris atque liberalioris instituto, quae humanitate civilique elegantia, &, quod caput est nostrae laudationis, sapientiae ac doctrinarum studiis Samminiatensi oppido quadantenus antecellat. Quare nulla etiam alia in Etruria est civitas, quae cum Sapientiae Pisanae laudibus, non tam locorum inter se propinquitate, quam similitudine & aemulatione studiorum, conjunctior esse videatur. Itaque Miniatum grande mihi & insigne in primis exemplum visum est, quod vobis, adolescentes, ad omnem nobilitatem atque virtutem proponerem. Sic enim existimare debetis, Auditores, quidquid unquam dignitatis atque ornamenti in ceteras dispersum disseminatumque est urbes Etruriae, in una id urbe Samminiatensi, veluti in summa quadam, comprehensum quodammodo esse, atque inclusum. Quod me breviter demonstraturnm confido, si, quas aequissimas aures Pisanis, Volaterranis, Liburnensibus, Cortonensibus laudibus, superioribus annis, tribuistis, easdem etiam mihi aures, Miniatenses nunc laudes persequenti, accommodetis.

Age vero, si qua est, ut certe est, urbium laus ab antiquitate, quis non etiam ab antiquitate collaudandum sibi Miniatum arbitretur, quod oppidum narrant a Langobardis, rerum tunc in Etruria potientibus, ab hinc mille annos exaedificatum? Namque id primum a vobis pro certo statuendum est, Auditores, quod alii conjecturis & cavillationibus suis frustra in dubium revocare conati sunt, Desiderium, anteaquam, Aistulpho rege demortuo, in Langobardorum regnum invaderet, dum Langobardicarum copiarum dux, Etruriae cum imperio praeesset, Miniatum oppidum loco & situ

tu & natura perquam munito, ad Etruscos in officio continendos, condidisse. Quod cur quis vestrum non credat? quod non in Annii alicujus, vani nugacisque scriptoris, auctoritate nixum est, sed in certis exploratisque vetustae Langobardicae historiae argumentis, atque in veteri constantique hominum fama, quae jam inde ab antiquissimis temporibus de Langobardica castri Miniatensis origine ad haec nostra tempora pervenit. Testem cito te atque auctorem hujus famae, quo neminem quemquam alterum certiorem locupletioremque proferre unquam possim, Caelestine Tertie, Pontifex Maxime, cujus in epistola ad Gregorium Genesianum Praesulem, gravissimum atque praeclarissimum exstat de Langobardis Samminiatensibus testimonium. Antiquitatem hanc tantam suam quum ab urbe sua condita viri Samminiatenses virtutis gloria factorumque nobilitate omni semper tempore illustraverint, quid est tandem, quod homines quidam inepti, certe quidem parum justi rerum aestimatores, civitati Miniati novitatem objectant, quod oppidum Miniatense, patrum duntaxat nostrorum memoria, Pontificem suum a Pontifice Romano, & jura, quae vocant civitatis, obtinuerit? Quasi scilicet nulla jam apud nos esse possit neque urbs, neque civitas, nisi cui Romanus Pontifex Pontificem suum proprio peculiarique jure praefecerit. Quod tamen jurisconsultorum nostrorum nonnulli sunt, si Deo placet, opinati. Quod si verum esset, hoc est, si tum primum urbs quaeque constituta, civitatisque jure ornata atque munita intelligeretur, quum Pontificatus in eam honorem Pontifex Romanus conferret, quot & quantae, quamque nobiles in primis atque illustres seu urbes, seu civitates, in discrimen antiquae nobilitatis vocarentur! Itaque actum jam esset, Auditores, de antiquitate, atque adeo de veteri nobilitate civitatis inter Etruscas facile antiquissimae atque nobilissimae Cortonensis,

quam

quam ab annis duntaxat paullo amplius quadringentis plerique omnes fatentur Sacerdotem tandem suum a Romano Pontifice accepisse. Quod si Cortona multo etiam ante, quam Pontificem suum, aliumque ab Aretino, consequeretur, civitas fuit, si fuit una ea civitas de primariis & principibus civitatibus Etruriae, si jure ea civitatis, & quidem nobilissimae, plerisque praestitit nobilibus civitatibus Etruriae, cur hunc istum civitatis honorem Miniatensibus, viris peraeque honestis atque honoratis, tum etiam, cum Pontifice ipsi suo destituebantur, invideamus? praesertim quum quae in viris Miniatensibus Gregorius Quintusdecimus Pontifex maxime omnium commendat, cum jus eis civitatis Pontificium concedit, civili eos civitatis jure, eoque certo plane ac legitimo, egregie jampridem perfunctos fuisse ostendant. Quae enim pars est bene moratae beneque constitutae civitatis, quae superiori etiam tempore, vel ante adeptum jus Pontificium civitatis, non perinde in oppido Miniatensi, atque in cultioribus quibusque & elegantioribus Etruriae urbibus, eluxerit atque triumphaverit? aut quid est, quaeso, civitas, jurisconsulti (id enim a vobis potissimum quaero, qui decernendi de rebus omnibus humanis summum penes vos arbitrium, plenamque potestatem esse voluistis) quid est, inquam, civitas, nisi civium multitudo certis legibus, certisque inter se distinctisque hominum ordinibus, ad bene feliciterque vivendum congregata? Perspecta namque vobis est atque cognita, quam quae maxime (estis enim Iurisconsulti, hoc est, juris cujusque humani & publici & privati, scientissimi atque peritissimi) civitatis & urbis differentia, quarum altera moenia atque aedificia, altera conjunctionem inter se ac societatem civium proprie ac praecipue designat. Haec igitur species, haec forma, haec notio civitatis: quam ego speciem cum mecum cogito (cogito autem saepius)

pius.) videor ipse mihi in ea, vel sine Pontificio civitatis jure, Samminiatensem olim civitatem intueri. Iam vero qualem & quantam ab ipso Miniatensis urbis primordio fuisse hanc civitatem oportet, cujus siquis jura civitatis teneret, magnae id nobilitatis argumentum habitum fuit! Testis tu mihi, gens nnbilissima atque clarissima Borromaea. Quae enim tota Italia gens te nobilior atque illustrior, cujus vel uno ac solo nomine non Mediolanum modo atque Insubria; sed universa etiam Italia, mirifice illustratur? Namque ea sane est, Auditores, gloria atque amplitudo gentis Borromaeae, ut magnae quaeque potentesque familiae Italicae majus quidquam atque gloriosius sibi esse ducant, Borromaeam gentem affinitate ac necessitudine attingere, quam quocunque alio decore, ceterisque omnibus nobilitatis suae ornamentis praefulgere. Atque illud quidem quam magnum & mirabile, gentem hanc Borromaeam, quae splendorem eximium dignitatis Mediolano, urbi maximae ac celebratissimae, afferat, tamen ipsam singulare nobilitatis suae insigne, civitatem patriamque Miniatensem habuisse, atque ad originis suae gloriam vetustatemque indicandam, Miniatensem se genere magnifice inscripsisse, & hac se patriae appellatione magis, quam ceteris quibuscunque honoris & dignitatis titulis, ostentasse! Nimirum magna illa antiquitus fuit nobilitas atque gloria civitatis Miniatensis, quae tam praeclarae notam nobilitatis civibus suis conciliaret. Quid enim nunc ceteras persequar clarissimas familias Miniatenses, quarum etiam postea nonnullas commemorabo? quid Malpighiam? quid Mangiadotiam, quae ipsa est Pallavicina? familiam utramque potentissimam, virisque bonis ac fortibus florentissimam, atque in primis facile Italiae numerandam. Quid de Miniatensibus familiis Bonincontriam? quid Bonapartiam? quid Grifoniam? quid Vitalianam? quid Portigianam & Orlandinam, & Guc-

ciam, & Miglioratam, & Tellucciam, & Turriam, & Stephaniam, & Cardicigolam? quid plerasque alias insignes cum primis & illustres familias, quas Miniatum, veluti quasdam nobilitatis suae colonias, Lucam, Florentiam, Mediolanum, atque in alias nobilissimas principesque Italiae urbes, transmisit? Quominus miremur, si Florentini, homines, quam qui maxime, verae laudis & nobilitatis appetentes, civitatem suam cum Miniatensibus communicaverint, honorique sibi & gloriae duxerint, loco se civium, & nobilium Miniatensium censeri. Et quisquam dubitabit oppidum Miniatum jam tum cum Pontificem nondum suum acceperat, in numero civitatum putare, quando Florentia, civitas nobilissima, & nobilitatis studiosissima, dignitatis suae esse judicavit, pari se jure olim nobilitatis atque oppidum Miniatum haberi? Quid ni vero antiquitus Miniatum praecipuo quodam jure in principibus Etruriae civitatibus adnumeraretur? quam urbem Desiderius, Dux tum Etruriae potentissimus, a fundamentis exstructam, sedem genti suae Langobardicae certam atque stabilem in Etruria, loco totius Etruriae maxime opportuno, atque ad conjungendas disjungendasque Etruscorum vires accommodato, collocaverat atque muniverat; deinde Otho Primus, Magnus e Germania Imperator, muris atque aedificiis beneficiisque omnibus ita ornaverat, atque auxerat, ejus ut urbis originem aliqui non ignobiles sane scriptores ad Othonem illum Magnum, Germanici Imperii auctorem, retulerint. Haec urbis Miniatensis a Desiderio Langobardo auspicia, haec ab Othone Primo, Magno Imperatore, incrementa; qua quidem urbe, tanquam compede, ut ajunt, Langobardi primum, deinde Germani, constringere Etruriam voluerunt. Est in veteri historia, Philippum Macedoniae regem, nobiles tres urbes, Demetriadem Thessaliae, Chalcidem Euboeae, Corinthum Achajae, solitum fuisse Graeciae com-

compedes appellare, quod iis ad Graeciam veluti vinciendam uteretur. Quod Philippo tunc Macedoni tres simul urbes ad Graeciam comprimendam, hoc fere ipsum una plane solaque urbs Miniatensis primum Desiderio, deinde Othoni ad Etruriam continendam praestitit: unde vos, Auditores, coniicere facile possitis, quanta ea olim, & quam potens urbs exstiterit, quantumque ea sibi juris ac potestatis in reliquam Etruriam, ac praesertim in vicina quaeque oppida, vindicaverit. Quid enim dicam de urbis Miniatensis dignitate? quum eam maxime urbem ad Imperii Germanici dignitatem in Etruria sustinendam Magnus Otho Imperator delegerit; qua in urbe, tanquam in sede ac domicilio Imperii, Vicarii sui residerent, hoc est, ii, qui vice Imperatoris Romani in Etruria fungerentur; unde & ipsi jurisdictionem atque jus Caesareum in totam late Etruriam exercerent. Quae sane ratio Gregorium Quintumdecimum Pontificem Maximum potissimum impulit, ut, quae jure suo & publico humanarum gentium civitas erat, hanc Pontificio etiam jure civitatem esse decerneret, hoc est, sancta ei etiam atque Pontificia civitatis jura largiretur. Hic ego quid cetera percurram decora atque ornamenta, quaeque magis memorabilia visa sunt, tum antiqua, tum recentia, civitatis Samminiatensis? quae omnia oratione persequi neque est hujus loci, neque temporis. Quid enim de antiquis temporibus commemorem, Miniatenses Gregorium Quintum, Pontificem Maximum, genere illum Saxonem, & de inclyta magnaque Saxonum natione praeclarissime meritum, a Romanis atque a Crescentio tyranno profugum, solos ex omnibus Etruscis in urbem suam recepisse, eique hospitium ab hostibus tutum, maximeque liberale, religiosissime praebuisse? Quid Miniatenses, coacta cum Volaterranis & Pistoriensibus manu, Pisas a Barbaris servasse? Quid Fridericum Primum Impera-

torem agraria lege, qua Etruscas civitates multaverat, Miniatenses solvisse? Quid Fridericum Secundum Miniatem urbem arce ac propugnaculis, turrique altissima egregie instruxisse atque firmasse, summumque ibi judicem caussarum, ad quem provocatio a tota Etruria fieret, constituisse, & Miniatenses cives Genesiano pago, nobili ac locupleti, fructibusque agrorum, qui ex fluminis Arni alluvionibus contingerent, tertia ex parte donavisse? Quid Miniatenses ceteris non semel Etruscis virtute militari antecelluisse, qui, prae ceteris foederatis Etruriae populis, Henrico Septimo Imperatori fortiter restiterint, complurésque de Pisanis victorias reportaverint? Quid Carolum Quartum Imperatorem, summum illum litterarum, & Academiae Pisanae fautorem & patronum, Miniatense oppidum plurimi fecisse, eumque honorem Miniatensibus legatis in urbe Pisana detulisse, ut de omnibus legatis Etruscis, qui eo frequentes convenerant, solos Miniatenses ad osculum admiserit? Quid Carolum eundem Imperatorem defensores duodecim Miniatenses, qui summus atque amplissimus Miniatensis civitatis magistratus est & fuit, vicarios Romani in Etruria imperii creasse? Quid Miniatenses nulli alteri populo Etruriae dignitate auctoritateque cessisse, qui & ipsi, aeque atque alii liberi populi, juris sui fuerint, & rempublicam suam, per duodecim, quos modo dicebam, defensores, summa plenaque potestate administraverint, & foedera cum liberis Etruriae populis, ac praesertim cum Florentinis & Senensibus, aequis conditionibus pepigerint, & signata pecunia polluerint, & dominationem late suam in oppida quatuor & triginta cum imperio exercuerint? Quid Miniatenses, siqui alii populi Etruriae, de Florentina republica praeclare promeritos fuisse, eique in maximis saepe extremisque rerum discriminibus, magna equitum ac peditum auxilia misisse? Quid Germanicae nobilitatis flo-

rem

rem in urbem olim Miniatensem jam inde ab Othonis Magni temporibus habitatum concessisse, indeque ad generis nobilitatem demonstrandam, atque etiam quia judex ibi caussarum Teutonicus stabilem sibi sedem collocaverat, oppido appellationem ad Teutonum remansisse? Quid Miniatensem civitatem adeo etiam nunc nobilitate inter Etruscos excellere, ut, pro civium numero, in nullo alio Etruriae oppido numerosior atque frequentior, quam Miniati, nobilitas esse videatur? Quid Florentinos Miniatensem civitatem tanti fecisse, ut nobiliores quique potentioresque cives Florentini affinitates cum Miniatensibus jungere sibi semper perhonorificum crediderint, dignosque eos prae reliquis Etruscis esse judicaverint, quos, utraque inter se civitate, ut paullo ante dicebam, publico decreto jampridem consociata, in cives, nobilesque ac magnates Florentinos allegerent? Quid Clementem Septimum, Pontificem Maximum, temporibus difficillimis atque turbulentissimis, domicilium sibi tutum atque illustre, Miniatum delegisse? Quid ego plura oratione de urbe Miniate veluti coacervando percurram? quando Cosmus Secundus Mediceus, Magnus Dux Etruriae, vir oppido magnus atque excellens, ut erat valde magnificus ac liberalis, Mariae Magdalenae Austriacae, uxori suae, de insigni aliqua Etruriae urbe gratificaturus, pro sua & uxoris suae, summae feminae, dignitate, se facturum existimavit, si eximium ei ac regale donum, Miniatum, quippe nobilem urbem atque opulentam, largiretur. Tanti, Auditores, erat Cosmo, viro sapientissimo, Etruriaeque suae aestimatori justissimo, inter cetera Etruriae oppida Miniatum. Fertur in antiqua historia rex quondam Aegypti reginae uxori suae Anthyllam, urbem Aegypti percelebrem atque copiosam, propriam in calceamenta concessisse. Quanto profecto sapientius, quantoque magnificentius Cosmus ille Secundus urbem Mi-

nia-

niatem uxori suae Austriacae dono dedit, quo illa dono non ad usus deliciasque muliebres, sed ad Etrusci Imperii gloriam, atque ad Etruscae dominationis propagationem atque dilatationem uteretur! Quanti igitur Miniatum fuisse censendum est, quod regio munere dignum visum fuit, taleque & tantum, ut in eo magnitudo atque majestas Etrusca tota eluceret! quantum vero inde etiam vobis, Miniatenses cives, viri utique optimi, omnique virtute praestantissimi, splendoris atque dignitatis accessit! Civitas erat illa quidem vestra, qualis praeclara quaeque & laudabilis civitas esse potest, nobilis, locuples, copiosa, legibus & moribus egregie instituta, clarisque civibus, omniumque rerum laudandarum exemplis referta, talis denique, qualem uno verbo decet esse beatam civitatem. Sed humanarum gentium jure illa vobis erat civitas: sacro Pontificioque jure civitas vobis nondum erat. Talis tandem ut vestra vobis civitas, hoc est, utroque jure, tum humano,tum etiam divino, omnique ex parte perfecta atque absoluta civitas obtingeret, auctoritate sua singularique sapientia perfecit Domina tunc vestra, sanctissima femina atque optima, Maria Magdalena Austriaca, quae Sacerdotem vobis vestrum, propriique gregis pastorem, a Pontifice Romano impetravit. Testes vosmet locupletissimos, viri Miniatenses, appello, qui, statua Dominae vestrae, Mariae Magdalenae, in media urbe erecta, collati ab ea in vos beneficii, gratique animi vestri, publicum apud vos testimonium, ad gloriam Miniatensis civitatis sempiternam, exstare voluistis. O fortunatam civitatem Miniatensem! O bonis civitatem auspiciis natam atque adultam! O felicem beatamque civitatem! Quae enim tota Etruria civitas tete beatior, atque fortunatior? aut quid tibi unquam deest ad summam perfectamque, pro rerum humanarum natura, felicitatem? Ego quidem sic existimo, felicitatem civitatis, tum ex pluri-

bus

bus aliis rebus, tum maxime ex religione, atque etiam ex virtute militari, optimarumque artium liberalissimis studiis, & litterarum scientia coalescere. Sunt enim illa minora, quae tamen & ipsa in partem veniunt felicitatis, sitam esse urbem loco amoeno ac salubri, caeloque puro uti, & agro perquam opimo ac fertili laetari, omnibusque rebus tum ad usum, tum ad oblectationem vitae, opportunis atque necessariis abundare. Haec omnia de urbe Miniate quis non sibi oratione persequenda esse arbitretur, quae tamen omnia de Miniate miris ad caelum laudibus Gregorius Pontifex Quintus decimus extollit, cum civitatem eam esse decernit? Atque ut de militari virtute primum aliquid dicam, quae mirum est, quantum ad civitatum felicitatem conducat, cum religioni ea & patriae atque justitiae inservit, quis nescit, Miniatenses in Etruscis bellis, tanquam in quadam palaestra, ad militarem virtutem assidue exercitatos, ad bella illa tum conjungenda, tum disjungenda, superiori memoria plurimum valuisse, & quocunque se partium vertissent, victoriam plerumque apportasse, itaque saepe Florentinis periclitantibus virtute sua salutem attulisse, auxiliaque eis ad duo aliquando peditum millia misisse, ex eaque Miniatensi palaestra, tanquam ex equo Trojano, tum alios fortissimos heroes, tum in primis Mangiadorios, atque Malpighios & Rossias & Grifonios, & Orlandinos, homines tum rei militaris scientissimos, tum rebus magnis gestis clarissimos, prodiisse? de quibus Grifonii in defendenda contra Benedictum Mangiadorium patria fidei & virtutis suae ad memoriam posteritatis gloriosum specimen dederunt. Age vero, religio quanto est illa quidem firmamento, quantoque praesidio atque ornamento civitati! Atque haec etiam quam sancte atque studiose culta semper est a Miniatensibus! quamque in omni genere pietatis apud eos observata,

quo-

quorum ſingularis religio erga Miniatem, militem Chriſti fortiſſimum, uſque adeo eluxit, ut de Miniatis, viri ſanctiſſimi, nomine, oppidum ſuum Samminiatum appellaverint. Nam de religioſa quidem Miniatenſium pietate adverſus beatiſſimam Virginem matrem Dei, & prae ceteris ſanctis viris, erga Geneſium, virum ſanctitate percelebrem, & teſtimonio, quod pro Chriſto, profuſo ſanguine, tulit, perilluſtrem, quid attinet dicere? quorum alteri, ſecundum matrem Dei, patrono & tutelari ſuo praeſentiſſimo, ſe ſuaque omnia Miniatenſes, templo etiam civitatis maximo, eoque magnificentiſſimo, in ejus honorem dedicato, conſecrarunt. Fuit ſemper Miniatenſium, fuit, Auditores, pietatem ac religionem colere, virique omni tempore apud eos ab eximio religionis ſtudio apprime ſancti, planeque beati, omni virtutis genere floruerunt: quales de multis Geneſius alter, vir de Auguſtinianis penitus factus ad exemplum verae ſanctitatis, & Borromaeus, & Bonincontrius, & Gherardus Bonamicus, homines religioſi & ſancti, perfectique Franciſci, viri ſanctiſſimi, imitatores, Landuinus denique Malpighius, fuiſſe referuntur. Haec igitur religio quum pura ſemper & ſancta, nulliſque prorſus erroribus infuſcata apud Miniatenſes in omni cultu pietatis enituerit, quam ea tandem aucta confirmataque eſt, cum Pontificem ipſi ſuum, qui verbo & exemplo ad virtutem, atque ad Chriſtiana officia praeſens praeiret, acceperunt! Nam, Deus bone, qualis vir & quantus, quamque egregia virtute & ſanctimonia praeditus, is fuit, qui primus Miniatenſibus Pontifex datus eſt, Franciſcus Norius, qui, ut nihil antiquius, atque ſanctius religione habuit, ita vix dici poteſt, quam ſedulam aſſiduamque diligentiam in ſtudia quaeque pietatis contulerit; qui tamen paucis poſt annis ex peſtilentia moriens, & maximum ſui deſiderium civibus, & grandia atque immortalia virtutum ſuarum

exem-

exempla successoribus suis, Miniatensibus Pontificibus, reliquit. Quid enim ceteros nominatim recenseam? quid Alexandrum Strozzam? quid Angelum Pichum? quid Petrum Frescobaldum? quid Ioannem Baptistam Barduccium? quid Maurum Corsium? quid Morigiam? quid Cortigianium? quid Poggium? quid Ludovicum Catanium? nota homines nobilitate & sanctimonia, qui sedulitate, atque industria sua perfecerunt, ut, quae magna apud Miniatenses erat in Deum & res divinas religio, multo ea major fieret, eaque nusquam alibi tota Etruria magis, quam Miniati, eniteret. Nam & ejus nunc Pontificis, qui superiorum Pontificum exemplo, rem sacram Miniatensem rectissime ac diligentissime administrat, erunt, qui laudes olim atque virtutes celebrabunt. Reliqua est doctrina, magnum ipsa quidem decus atque ornamentum religionis Christianae. Quis enim nesciat, quantum commodi atque opportunitatis ad usum religionis Christianae non litterae modo divinae, sed etiam humanae, & liberales quaeque disciplinae conferant? quum sine artium liberalium optimarumque disciplinarum scientia ne ipsa quidem oracula divina persaepe alicubi perfecte intelligantur. Namque illud ego tandem dicere audeo, Auditores, quod ab unoquoque vestrum perinde accipi velim, atque egomet intelligo, conjunctionem atque societatem omnium humanarum disciplinarum necessariam esse illam quidem, nedum utilem, ad Theologiam, cui veluti reginae suae, ipsae ancillae famulantur, tamque illam esse necessariam, quam Theologia necessaria est, quae maxime certe est necessaria, ad religionem Christianam, sartam tectam conservandam: quippe quum vera religio sine Theologia pura atque a pestiferis opinionibus inviolata servari nullo modo possit. Quae quum ita se habeant, vigeatque ibi maxime Theologia, ceteraque litteratura, ubi

Zz ma-

maxime omnium florent studia pietatis & religionis, quis dubitabit, quin in urbe Miniate primas semper litterae tulerint tum divinae, tum etiam humanae, omnesque disciplinae liberalissimae, ubi quam maxime semper excellere visa est religio? Nam, quod ad Theologiam attinet, jam inde a tempore Marcovaldi Portigiani, magni in paucis Theologi, qui se totum inter Franciscanos ad Francisci, viri plane admirandi atque divini, virtutes imitandas conformavit, ubi Theologia cultior atque honoratior, quam Miniati? ubi ea frequentior atque celebratior, quam Miniati? ubi quotidiano fere ea usu tritior, atque limatior, quam Miniati? Quid enim de ceteris doctrinis, artibusque liberalissimis? quid de jurisprudentia? quid de arte medica? quid de Philosophia? quid de Mathematicis disciplinis, quid de poetica? quid de oratoria? quid de litteris humanioribus, iisque reconditis atque exquisitis? quae omnes disciplinae a bonis & eruditis magistris traditae, mirum est, quantum decoris & dignitatis civitati Miniatensi conciliaverint: quippe quum praestantia & varietate disciplinarum, quae Miniate publice docerentur, doctorumque ibi virorum multitudine, qui excellenti eruditione sua multarumque rerum scientia patriae gloriam amplificarent, motum se atque impulsum Gregorius Pontifex fateatur, ut jus civitatis Pontificium Miniatensibus impertiretur. Adde cetera doctrinarum litterarumque subsidia, quae ad studia optimarum artium excolenda, omniumque rerum scientiam comparandam tam magna atque opportuna urbs Miniatensis habet, ut ea maxime urbs ad otium litterarum facta esse videatur, loci amoenitatem, salubritatem aeris, liberum & apertum caelum, adspectum, unde longo studio fatigatus animus subinde recreetur, e nitidissimo colle maximeque aprico in subjectos late campos multo jucundissimum, uber-

bertatem agri, beatam rerum copiam, publicam bonisque atque utilibus libris refertam bibliothecam, accuratum exquisitumque tabularium, ceteras, easque maximas, cujuscunque generis, ad liberalissima quaeque & praeclarissima studia commoditates. Quod si velim hic enumerare viros sapientissimos ac doctissimos Miniatenses, qui doctrina & sapientia mirabilem civitati suae splendorem attulerunt, quem tandem finem inveniat oratio? Sunt enim jam inde ab antiquitatis memoria fere innumerabiles: in quibus tamen summis viris, cui non statim, probitatis & doctrinae nomine, in mentem veniat utriusque Michaelis Mercati, ac praesertim Minoris, hominis doctrina & sanctimonia celeberrimi, Philippoque Nerio, viro sanctissimo, planeque admirabili, amicitia & familiaritate conjunctissimi? aut quis non sibi a sapientia commemorandum in primis ducat Ioannem Bonapartium, tanta virum auctoritate, tantaque prudentia, ut Guelfos & Ghibellinos acerbissimis inter se odiis diffidentes, sancita pace, inter se ipse conciliaverit; eumque factiones illae duae potentissimae, sponsione maximarum pecuniarum facta, praedem acceperint? aut Nicolaum Bonapartium, hominem rerum usu peritissimum, cui, ob eximiam ejus rerum agendarum scientiam, Nicolaus Quintus Pontifex Maximus honorificentissimas legationes decrevit, & impeditissima quaeque reipublicae negotia expedienda commisit? aut Andream Bonapartium, magna virum rerum praesertim divinarum, doctrina, qui sacro Liburnensis civitatis regimini primus omnium est praepositus? aut Antonium Morahum, acutissimum, & subtilissimum sui temporis Philosophorum? Aut quis etiam non continuo Recuperum utrumque Spadalungium, magnum utrumque jurisconsultum, itemque Iacobum Malpighium, ipsum quoque perinsigni hominem juris scientia, & An-

faldos recordetur? aut non etiam memoria prae ceteris Bonincontrium, excellenti virum singularique jurisprudentia praeditum, repetat? aut denique de Bonincontriis non Laurentium propter reconditam, ejus exquisitamque litteraturam admiretur, hominem in omni eruditione atque doctrina versatissimum, Philosophum, Astrologum, Poetam, qui Poetae Manilii Astronomica commentariis primus illustravit? Haec, pauca de sexcentis (quis enim enumeret omnia?) sapientiae & doctrinae clarissima Miniatensium exempla, quum mihi saepe ante oculos proponam, ipsamque illam urbem attente intuear, quae tot ac tantos viros tulit, quid aliud dixero, quam Miniatum non tam oppidum esse nobile Etruriae, quam bonorum esse ingeniorum patriam, & doctorum sapientiumque Etruriae hominum seminarium? Immo vero, si ego dixero, Miniatum seminarium esse & fuisse sapientiae hujus Pisanae, non me equidem putem valde aberraturum, propterea quod singulari viri doctrina saepe inde effloruerunt, qui Pisanam hanc Academiam omni genere eruditionis maximarumque rerum scientia fecundarent, atque locupletarent. Quorum omnium loco unus tu mihi esto, qui instar omnium es, jurisconsultorum, qui ad tua usque tempora in Etruria, fuerunt, longe maxime, & si quis alius, de civili jure in Academia Pisana optime merite, Nicolae alter Bonaparti, quippe qui juris civilis studium, superiori barbarie incomptum atque horridulum, itaque fere neglectum, instauraveris, jurisque consultos, qui Romane loqui dedidicerant, Romane tandem & Latine loqui docueris, Romanasque leges a barbarie ad pristinam elegantiam revocaveris. O vos de litteris, deque ipsa sapientia Pisana praeclare promeriti, viri Miniatenses! Quam debita vobis haec erat ab Academia Pisana, pro tot tantisque vestris in eam

pro-

promeritis laudatio! Atque haec ista laudatio quam bene, atque apte cum ſapientiae laudibus cohaeret! Quae tota laudatio eo tandem ſpectat, ut adoleſcentes noſtri, magnis his virtutis gloriaeque exemplis propoſitis, de ſpatio curriculoque ſapientiae ne tantulum quidem deflectant; ſed habeant in hoc curriculo, quod rectis ſtudiis ſequantur, ad gloriam patriarum ſuarum ſempiternam.

ORATIO XVIII.

DE LAUDIBUS ARRETINIS.

MUltae quum mihi caussae esse videantur, quamobrem hunc totius anni principem diem, eundemque litterarum studiis renovandis sollemnem atque legitimum, ab Etruscarum urbium laudatione auspicandum esse censuerim, tum illa in primis caussa visa est, quod nullo alio tempore opportunior atque commodior haec accidere possit laudatio. Nam, si maximo totius Graeciae conventu, ludis Olympiacis, celebratae potissimum sunt civitates Graecorum, quod earum laudibus fortes viri, veluti quibusdam stimulis, ad Olympia certamina concitabantur, iisdemque laudibus, veluti praemiis, si forte victores evasissent, donabantur, quanto magis hodierno die in hoc amplissimo, non dicam jam Pisanae, sed Etruscae Sapientiae theatro, quum huc se nobilissimi studiosissimique adolescentes ad anniversarios Sapientiae ludos instaurandos diligentissime contulerint, Etruscarum civitatum laudes dicere oportebat, quibus ipsi laudibus incitati, verae & virtutis & gloriae stadium conficerent! Equidem hic Pisis Olympia sunt, Auditores, hic ludi universae Etruriae celeberrimi, hic, tanquam in quinquertio, omnium honestissimarum artium atque disciplinarum plurima exercitatio, hic de doctrina & sapientia certamen, hic victoribus corona, hic vestra vobis,

bis, qualis Olympionicis tribui consuevit, laudatio. Atque ego sane eo mihi ad vos laudationis genere utendum esse judicavi, quo Pindarus nobilis Poeta, usus fuisse dicitur; qui quum Xenophontem Corinthium Olympionicam, virum fortissimum, exornare laudibus vellet, ipsam ejus patriam, urbem clarissimam Corinthum, sibi in caelum laudibus efferendam suscepit. Ita igitur & ego mihi jam inde ab aliquot annis vobiscum agendum arbitratus sum, Adolescentes, ut quo laudibus vos vestris ad litterarum virtutisque studia vehementius provocarem atque incenderem, hac tanta hujus diei celebritate, atque hoc tanto Etruscarum civitatum concursu, patriarum vobis vestrarum laudes praedicarem. Ac plures huc usque Etruriae ego civitates laudavi. Tempus nunc est, ut, quam maxime possum, urbem vobis Etruriae commendem, ab antiquitate, a nobilitate, a virtute, a sapientia, a doctrina, ab opulentia, a ceteris omnibus ornamentis, vel in primis facile adnumerandam. Arretium dico, cujus vel unum ac solum nomen ad omnem abunde laudem sufficere posse videatur.

Quis enim in Etruscorum rebus paullo versatior non statim fateatur, Etruscarum laudum partem multo maximam Arretinis laudibus contineri? Ac primum omnium habetote, Auditores, ceteris Etruscorum urbibus Arretium, quippe quod opibus & potentia ante floruisset, quam Etrusci in hanc istam regionem, quae ab illis Etruria est nominata, advenirent, vetustate multum antecelluisse. Itaque cum Etruscorum urbes dico, ne eas urbes cogitetis, quae in Etruscorum postea censum ac nomen concesserunt; sed quas primas ipsi Etrusci in his locis condiderunt, quales certe fuerunt Volaterrae, urbs quondam princeps Etruscorum. At vero Arretium urbs antea fuerat Umbrorum, quae a Pelasgis capta, iis demum expulsis, una de princi-

pi-

pibus Etruriae urbibus evasit. Quantum vero inde in crementi ac dignitatis putandum est res Etruscas accepisse, quantamque eam urbem, & quam validam ac potentem exstitisse, quae tantum nominis ac potentiae Etruscorum rebus attulisset! Nam veteri quidem historia proditum est, fuisse Arretium inter tria capita populorum validissimorum Etruriae, fuisse Arretium unam de urbibus duodecim principibus Etruriae, fuisse Arretium vel ante tempora Trojana, cum tota Italia Etrusci terra marique dominabantur, urbem maxime omnium memorabilem Etruriae. Eccuinam veterum seu Graecorum, seu Romanorum Scriptorum, dum de Etruscorum rebus agerent, non prae multis Etruscorum oppidis, Arretium commemoratum? quasi rerum summa Etruscarum Arretinis potissimum populis niteretur. Pervolutate hic mihi, quaeso, historias Romanorum, pervolvite Dionysium Halicarnassensem, Diodorum Siculum, Livium Patavinum, Polybium Megalopolitanum, quos non Scriptores veterum historiarum, seu etiam Poetas? Videre in his est, Arretium in oppidis & civitatibus Etruscis, honoris saepe caussa, nominatum. Legere est, Arretinos, pariter atque Clusinos & Volaterranos, auxilia Latinis contra Tarquinium Romanorum Regem misisse. Cernere est, Arretinos, universa Etruria ad arma contra Romanos concurrente; Sutrioque oppido oppugnato, pacis consilia agitasse, simulque cum Cortonensibus & Perusinis, missis Romam legatis, inducias in triginta annos impetravisse. Erat Arretii gens Cilnia, praepotens atque opulenta: quae quum ex divitiarum invidia apud Arretinos laboraret, inde ab eorum seditionibus ortum narrant novum bellum Etruscum, quod & magnum & difficile, tamen brevi, seditionibus iis sedatis, Cilniaque gente cum populo in gratiam tandem reducta, restinctum fuit. Alia subinde in Livio legere est renata bella Etruscorum,

quae ita Arretini, Volfinii, Perufini, Oratoribus Romam miffis, compofuiffe feruntur, ut quadraginta annorum inducias cum Senatu Romano iniverint. Infequentibus poftea temporibus, quum Annibal in Italia bellum gereret, eamque a Romanorum fide atque focietate avertere fummo opere conaretur, quis nefcit, Romanos magis fibi ab uno Arretio, urbe potentiffima atque opulentiffima Etrufcorum, quam a tota reliqua Etruria, metuiffe, ideoque ab Arretio moveri exercitum vetuiffe, atque ab Arretinis etiam Senatoribus obfides centum viginti, eorumdem liberos, accepiffe, eorumque urbi, ne quid ea tumultus faceret, validum firmumque praefidium impofuiffe? qua urbe quieta, nihil a reliqua Etruria fibi timendum effe videretur. Rebus ita Arretinis paratis & tranquillis, quam brevi, & quanta Arretinorum opulentia affloruit, qui P. Cornelium Scipionem, ad bellum Carthaginenfe proficifcentem, prae ceteris omnibus populis Etrufcis, frumento & armis juverunt! Satis bene ac feliciter actum deinceps eft cum Arretinis, donec in Syllanorum iidem temporum acerbitatem inciderunt. O tempora illa Syllana! o tempora illa mifera & calamitofa, diuque & multum & Arretinis & Volaterranis, ceterifque municipiis deplorata, quibus Lucius Sylla, quod contra fe a Mario ftetiffent, & civitatem & agros ademit! Quippe Arretium municipium fuit longe nobiliffimum, ex eo hominum genere, ut ego quidem opinor, quorum univerfa civitas in civitatem Romanam venerat. Nondum enim tunc ante Syllanam calamitatem Arretium in coloniae jus transferat: ut minime ego probare vobis poffim, Viri pereruditi, quod arbitrati eftis, fuiffe tunc Arretinos ex eo municipum genere, qui in civitatem ita Romanam fufcepti effent, ut fuae municipes fimul effent & civitatis & coloniae. Arretinis igitur Lucius Sylla, pariter atque Volaterranis, & ci-

vi-

vitatem & agros ademerat: quorum caussae quis ignorat, Marcum Tullium, hominem eloquentissimum, eumdemque in civili jure versatissimum, ita patrocinio suo adfuisse, ut, quod ad agrum a Sylla publicatum, sed non divisum, attinebat, Volaterranos & Arretinos in sua possessione retineret; quod vero ad Romanam civitatem, apertissime & constantissime negaret, civitatem a Sylla Arretinis & Volaterranis adimi unquam potuisse, eaque de caussa Arretinae mulieris libertatem contra Cajum Cottam, hominem Romanorum disertissimum, vehementissime atque acerrime defenderet. Tanti Ciceronis interfuit municipii Arretini dignitatem atque libertatem, pro summis Arretinorum in se meritis sartam tectam conservare & tueri. Iam vero Arretium, colonis eo a Sylla missis, coloniae jus obtinuerat, ut municipes iidem simul essent suae & civitatis & coloniae: quo etiam, lege postea triumvirali, novam coloniam deductam fuisse, historiae Romanae Scriptores testantur. Unde etiam tres illae Arretinorum appellationes celebratae, Arretini veteres, Arretini Fidentes, Arretini Iulienses. Quid tibi ad Plinium in mentem venerat, Harduine doctissime, ut ex hoc triplici Arretinorum nomine oppida Arretinorum tria re & loco diversa excogitares? quasi scilicet, semel atque iterum Romanorum colonia Arretium deducta, non potuerint novi coloni, neque vero debuerint, tum inter se, tum a veteribus Arretinis, cognomine aliquo separari ac distingui. Itaque, Harduine, Arretini veteres nuncupati, qui & veteri municipio erant, Arretini Fidentes, quos dictator Sylla, Arretini Iulienses, quos triumvirali lege Augustus Caesar, colonos Arretium deduxerat. Hanc vos etiam, Viri pereruditi, mecum fatebimini, esse Plinianorum verborum sententiam. Videtis hic, Auditores, me, dum de rebus Arretinis & reconditiori ultimaque antiquitate diligentius aliquid in-

vestigo, locum me Plinianum, perobscurum sane & ancipitem, obiter declarasse. Quid enim minora illa persequar; quae homines veterum doctissimi, iique diligentissimi investigatores antiquitatis, minime sibi praetermittenda esse duxerunt, vasa Arretina, ejusdem ferè pretii atque Samia; & calices Arretinos, & lateritium murum mirabili altitudine Arretinum? quid talpanam atque etesiacam & consemineam de vitibus Arretinis? quid uvas Arretinas? quid alia in primis memorabilia, eaque rariora Arretina? Quanto illa praeclariora, atque ad Arretinum nomen commendandum accommodatiora Arretinae urbis decora atque ornamenta, quae a doctrina atque ab auctoritate summorum clarissimorumque virorum ad ejus urbis gloriam profluxerunt! Quorum omnium loco unus tu mihi esto, vir nobilissime, Cai Cilni Mecaenas, qui ceteris omnibus doctrina atque auctoritate longissime antecellis, quippe qui patrocinio litterarum tuo, liberalique erga doctos homines beneficentia, id sis consecutus, ut, quod nemini adhuc cuiquam mortalium contigit, tuo ipsius nomine Mecaenates liberalissimorum studiorum patroni appellarentur, ii nimirum, qui doctorum hominum egestatem opibus suis sublevarent. Tibi, Mecaenas, viro locupletissimo, equitique Romano splendidissimo, patria, Arretium: cujus etiam genus ad priscos Etruriae reges referebatur. Namque atavi tui, reges Etruriae. Unde vos tandem, Auditores, antiquam Arretii inter cetera oppida Etruriae dignitatem atque potentiam colligere facile possitis: qua ex urbe reges in tota reliqua late Etruria dominarentur. Quid enim tu mihi male eruditus Etruscos illos reges de Mecaenatis majoribus, optimates dumtaxat, virosque primarios atque opulentos, non qui vere reges fuerint, intelligas? Scilicet nulli unquam antiqui Etruriae reges exstiterunt, ex quibus Cilnia gens pernobilis atque patricia oriri apud Arreti-

nos

nos potuerit. Atque haec quidem interea satis, Auditores, de veteri dignitate atque splendore urbis Arretinae. Nam qui Clemens fertur Arretinus, maxima vir nobilitate, & cum Vespasiano Imperatore affinitate devinctus, non fuit ille quidem, ut doctis hominibus visum fuit, Arretinus, sed Aricinus. Nunc mihi quisque vestrum animum ad subsequentia tempora intendat, cum Romano Imperio labente atque inclinato, eadem plane fortuna, quae ceteros Etruscos, Arretinos quoque variis casibus & calamitatibus afflixit. Longam malorum Iliadem contexere esset, Auditores, si, quibus subinde incommodis Arretina respublica est conflictata, atque in maximum saepe discrimen adducta, ea vellemus omnia in medium proferre. Quid enim malorum urbs Arretina non perpessa est? quas clades non accepit? quae pericula non adivit? a Gothis & Longobardis crudeliter habita, bello a Florentinis saepius divexata, civilibus misere factionibus agitata, tyrannidis jugo indignissime oppressa, in servitutem data, Florentinis divendita, ac tantum non funditus perdita. Quibus omnibus malis ereptum divinitus Arretium, ita nunc omnibus rebus omnique laude abundat ac floret, ut pristinam felicitatem suam, quam, re maxime Etrusca vigente, antiquitus habuerat, cum videlicet inter Etruriae capita numerabatur, nunc tandem veluti postliminio recepisse videatur. Nam, Deus bone! quid unquam est beatiorum fortunatiorumque civitatum Etruriae, quod non civitas etiam Arretina pariter atque illae, vel etiam aliquando prae illis civitatibus, jactitet atque ostentet? Quid enim dicam de situ urbis? jacet Arretium in campis amoenis & perjucundis, situ communito, atque ad adspectum praeclaro. Quid de aëris salubritate? aere Arretium fruitur puro & aperto, &, si alibi tota Etruria, maximo temperato. Quid de fertilitate agrorum? quae fertilitas tanta est agri Arretini a magna fructuum frugumque omnis generis, frumenti-

tique in primis copia atque ubertate, ut Arretium totius Etruriae horreum esse videatur. Quid de Arretinae urbis opulentia? quae urbs opes sibi maximas ex uberrimis atque amplissimis agrorum proventibus comparavit. Quid de Arretina nobilitate? quando tota longe lateque Etruria nulla est antiquior, nullaque purior, atque jam inde ab Etruscis regibus illustrior nobilitas quam Arretina. Quid de urbis Arretinae gloria ab urbis potentia, & rerum gestarum magnitudine? quando nulli alii populi Etruriae, peraeque atque Arretini, armis in finitimas regiones propagatis, nobile praeclarumque argumentum Etruscae Florentinaeque historiae suppeditarunt. Quid de sapientia atque virtute civium Arretinorum? quae mirum in modum eluxit, cum Arretini, semetipsi in libertatem superiori memoria vindicantes, sexaginta viris creatis, rempublicam per se suam aliquamdiu felicissime atque sapientissime rexerunt. Quid de litterarum apud Arretinos studiis, omnique genere doctrinarum? de quibus paullo post aliquanto nos uberius, Auditores. Quid denique de religione, singularique in Deum pietate civium Arretinorum? quandoquidem ita semper Arretini jam inde a Christiano nomine suscepto pietatis religionisque studia coluerunt, mihi ut plane quovis tempore persuaserim, Deum Optimum Maximum religioni illud Arretinorum retribuisse, ut summo eos ex discrimine, extremisque ex calamitatibus liberatos, in clarissima rursus Etruriae luce collocaret. Veteri historia proditum est, eandem a principio Arretinis, quae ceteros Etruriae populos illustravit, Christianam lucem affulsisse, quae Decii Imperatoris tempore tam altas validasque radices in Arretinorum animis egerat, ut Pergentinus ac Laurentius fratres, nobiles adolescentes Arretini, litterisque satis eruditi, simulque cum iis viri etiam quadringenti, pro Christiani nominis confessione mortem Arretii subire minime

omnium

omnium dubitaverint. O nobile illud & praeclarum ſpectaculum, neque hominibus modo, ſed etiam caelo ac terris admirabile! cum in Arretinae multitudinis conſpectu videre fuit, adoleſcentes duos, ſummo loco natos, eoſdemque fratres, ipſo aetatis flore, poſt acerbiſſimos cruciatus, mori alacriter pro Chriſto, & ſanguine ſuo, tanquam ſemine, Chriſtianam religionem in ſpectatorum animis progignere, atque, ut ita dicam, procreare. O grande illud in poſteros exemplum, atque in omnem aeternitatem memorabile! Quam exemplum illud valuit ad religionem Chriſtianam apud Arretinos confirmandam, atque etiam in dies magis magiſque augendam! quam etiam multo poſt tempore religionem Donatus vir ſanctiſſimus, atque in omnibus & divinis & humanis diſciplinis eruditiſſimus, ſanguine ſuo glorioſaque Chriſti confeſſione conſtabilivit. Hic ille eſt Donatus, Auditores, Pontifex Arretinus, qui Saturo, eximia homini ſanctitate, in Pontificatum ſucceſſit: quem Donatum cives Arretini tutelarem ſuum & patronum urbis praeſentiſſimum venerantur: cujus quum egregia & ſingularis ſanctimonia, ac mira admodum facinora in ore omnium verſentur, tum illud maxime celebre ac memorandum viſum eſt, quod Zenobium Tribunum, virum Senatorium, hominem praepotentem, copioſum plane atque locupletem, Chriſtianum reddiderit. Donate, vel hoc unum benefactum tuum quam glorioſum atque illuſtre ad memoriam Arretinae, atque adeo Etruſcae nobilitatis! quo ex facto tot ac tanta promerita tua, Donate, in Arretinam urbem exſtiterunt, ut affirmare propemodum poſſe videar, quod admirabile videri poteſt, & tamen verum eſt, magis te unum, quam ceteros ſimul omnes Arretinos Pontifices, plurimos illos quidem, & magnos viros (abſit verbo invidia) de re Arretina promeritum fuiſſe. Nam quod Pontifex Arretinus dominationem ſuam mirifice amplia-

ve-

verit, finesque jurisdictionis suae quoquoversus prorogaverit, quod Senensis quae nunc est territorii partem magnam obnoxiam sibi atque subditam habuerit; quod totam Cortonensem dioecesim ac Pientinam in potestate ac ditione sua tenuerit, quod montes & Alcinum & Politianum sub imperii sui jura subjunxerit, quod Burgensem civitatem nutu atque jure suo gubernaverit, quod plura alia loca atque oppida in ditionis suae finibus numeraverit, quod auctoritatem denique ac dominatum suum in circumjectas late regiones pro imperio exercuerit, fructus hic maximus atque uberrimus fuit pietatis religionisque Zenobii Tribuni, qui sacro Christianorum ritu a Donato Pontifice initiatus, amplissimis copiosissimisque latifundiis, regiisque plane largitionibus Arretinum Sacerdotium locupletavit, & possessiones suas, &, quae multa castella aedificaverat, & totum patrimonium suum amplissimum atque lautissimum Arretino Pontifici donavit, ejusque jurisdictioni, quae sui juris suique regiminis erant, loca omnia submisit atque subjecit. Unde tandem intelligimus, quod frustra huc usque a me atque ab aliis quaesitum fuit, quid caussae fuerit, quamobrem Cortona, nobilis in primis & antiqua civitas, suo tandiu proprioque Pontifice caruerit, quae eum demum nacta esse fertur ab hinc annos amplius quadringentos, eo quia nimirum, quam Zenobius Tribunus longe lateque circumcirca regionem in potestate sua habebat, atque administrabat, eam ipse jam Christianus totam sub Arretini Pontificis, per quem se Christo mancipaverat, jurisdictionem subegisset; itaque Arretinae jurisdictionis ac dioecesis fines quoquoversus dilatasset. Ac videte jam, Auditores, quam latis atque amplis olim terminis Arretina dioecesis, cum una ea atque indivisa erat, circumscriberetur, quae, posteaquam tam multa inde, & tam magna membra discissa & divulsa fuerunt, tanta adhuc, tamque in o-

omnem

mnem partem extenta, superest, ut parvum quid de magno corpore detractum tantum videatur. Itaque desinite jam mirari, quod & ego vobiscum mirabar, si Arretinorum Pontificum nonnulli eo potentiae atque audaciae devenerunt, ut bellum etiam Florentinis atque Senensibus inferre non dubitaverint. Quod quidem quis ignorat fecisse utrumque Ubertinum, Guilielmum & Bosum, & principem gentis Tarlatorum Guidonem de Petra Mala, homines plane armis magis natos, quam religioni? Qui utinam Pontifices tanta illa potentia non ad imperium augendum, sed ad religionem amplificandam atque condecorandam abusi fuissent! qui tamen eo ipso, quod male usi sunt, satis declararunt, quantum Pontifex Arretinus ceteris omnibus Etruriae Pontificibus potentia ac viribus antecelleret. Atque hinc etiam quis non intelligat, quantum contra pietati religionique Christianae profuerint boni illi Pontifices Arretini, qui tantam illam potentiam suam non ad ambitionem, sed ad pietatem, non ad imperium, sed ad divinarum rerum cultum, non ad fastum atque insolentiam, sed ad vitae morumque sanctitatem, atque ad Christiana religionis officia adhibuerunt? Et quam illi multi & quam celebres; & quanta sapientiae sanctitatisque gloria praestantes! in quibus non quis sibi commemorandum praesertim esse ducat Gelasium, eum, qui Donatum Pontificem, sanctissimum excepit, & Gaudentium, & Decentium; & Laurentium, quorum quidem celeberrimus, sanguine Religionis Christianae caussa profuso, Gaudentius? aut non prae ceteris Elimbertum extollat, qui Romualdi Camaldulensis, viri plane admirandi, opem suam in Camaldulensi altissimae contemplationis instituto inchoando atque perficiendo implorantis, patrocinium suscepit? aut non memoriae etiam hominum Theodaldum commendet, ea virum integritate atque innocentia, ut animum purum & castum corporis valetu-

 di-

dini longissime praetulerit? aut non etiam hominum sanctissimorum & religiosissimorum atque in Arretini Sacerdotii jure defensitando fortissimorum, Constantini & Vidonis de Guidiis Comitibus recordetur? aut non etiam Laurentium Acciajolium Florentinum, Gentilemque Bechium Urbinatem, excellenti homines prudentia ac doctrina, maximis laudibus efferat? aut non etiam Cosmum Pactium, hominem Graeca Latinaque litteratura perinsigni, eundemque ingenio ad consilia quaeque gravissima atque difficillima expedienda accommodatissimo, omni laude exornet? Dies me deficiat, Auditores, si, qui Arretinum Sacerdotium Pontifices optimi ac sapientissimi, summa pietatis & doctrinae gloria administrarunt, proferre in medium omnes velim, eorumque virtutes enumerare. Quid enim utrumque Minerbettum, Franciscum & Bernardum, praedicem? quid Stephanum Bonuccium? quid Thomam Salviatum? quid Nerium Corsinum? quid Alexandrum Strozziam? quid lumen quondam & ornamentum Academiae Pisanae, Benedictum Falconcinum Volaterranum? quid denique alterum Volaterranum, ut alios praetermittam, qui & olim pro benefactis suis celebrabuntur, quid, inquam, Franciscum de Comitibus Guidiis, qui ad Pisanum Pontificatum translatus, Pontificibus quibusque Etruriae exemplo ad omnem, sacram praesertim Christianamque eruditionem, fuit? His Arretinis Pontificibus, qui toto pectore & animo in eam curam & cogitationem incubuerunt, ut tanquam boni pastores viam salutis errantibus monstrarent, & monitis atque exemplis salutaribus gregem suum pascerent, quantum putatis incrementi rem divinam apud Arretinos accepisse, quando, Guidone etiam Tarlato Pontifice, qui tamen militem potius, quam Pontificem, agere visus fuit, magna ad religionem accessio facta videri potuit per Bernardum Ptolemaeum, & Franciscum Patricium, homines

nes plane sanctos & religiosos, qui, auspice ac patrono Guidone de Petra Mala Pontifice, religiosi in Olivetano monte instituti initia posuerunt. Iam vero ex illo Arretinorum Pontificum in res divinas ac religiosas studio mirum, quantum apud Arretinos pietas atque religio effloruit! quae ita etiam nunc esslorescit, ut Christianae religionis officiis, templorum ornatu atque magnificentia, cultus divini frequentatione, quotidiana exercitatione pietatis, non una modo via urbis Arretinae, quae sacra vocatur; sed urbs plane universa, sacra merito appellanda, neque ulla alia urbs in Etruria sanctior atque religiosior, quam Arretina, esse videatur. Quid enim de litterarum doctrinarumque honestissimis studiis attinet dicere? quae ita fere apta & connexa cum religionis Christianae veraeque pietatis studiis esse consueverunt, ut, ubi Christiana vere religio floret ac viget, ibi litterae, tanquam in regno suo, exultent ac triumphent. Quae autem urbs in Etruria doctior atque litteratior, quam urbs Arretina? quae profecto urbs de litterarum doctrinarumque principatu cum doctissimis quibusque atque litteratissimis urbibus facile contenderit. Nam si dixero, Mecaenatem civibus suis Arretinis illustre exemplum suum, veluti optimam hereditatem, omnique patrimonio praestantiorem, reliquisse, ut & ipsi litteras omni studio prosequerentur atque excolerent, & iis, qui litterarum studia profiterentur, praesidio atque ornamento essent, ego quidem puto, vos mihi, Auditores, statim esse assensuros. Tam multi in nobilitate Arretina & studiosi sunt ipsi doctrinarum, & doctorum hominum fautores: quibus etiam verae avitaeque nobilitatis argumentum minime omnium obscurum habitum est, litteratura. Quid enim de Arretinis civibus eos potissimum nominem, qui & litterarum summam scientiam & litterarum sommum patrocinium cum rerum bellicarum scientia, armorumque felicitate,

 utra-

utraque in re Caesares, conjunxerunt? Itaque, quum Florentia, quae princeps nunc urbs est Etruriae, restitutarum post longissima tempora litterarum gloriam sibi in primis vindicet, quis nesciat, in partem multo maximam principemque hujus gloriae Arretium venire vel propter unum Leonardum Arretinum, qui reipublicae Florentinae a secretis fuit, hominem Graece Latineque eruditissimum, quem primum in Italia narrant Graecas litteras, immani barbarorum tyrannide a multis saeculis proculcatas erexisse atque restituisse, itemque primum inconditam, quae tunc erat, scribendi consuetudinem ad numerosum quendam & concinnum sonum inflexisse? cui quidem Leonardo quis non proximum in Graecarum Latinarumque litterarum scientia universaque eruditione Carolum Arretinum fateatur, qui & a magna doctrinae celebritate Leonardo in idem Florentinae reipublicae munus successit? aut non etiam tertium in eodem munere Benedictum Arretinum adjiciat? quem Benedictum e gente nobili Accoltia, hominem oppido quam doctum & eruditum, ferunt, bello Asiatico magno atque difficili diligentissime conscripto, nobili hoc argumento, veluti exemplari proposito, Torquato postea Tasso, Poetae clarissimo, ad praeclarum Poema de bello Hierosolymitano, quod Christiani gesserunt, condendum praeluxisse. Quid enim alium Benedictum Arretinum Accoltium referam; avumque ejus Petrum Accoltium; utrumque magna virum dignitate atque doctrina? aut etiam, ut ad superiora paullo tempora redeam, Franciscum Arretinum Accoltium, unum omnium doctissimorum jurisconsultissimum, commemorem? quo de viro fama erat, nihil litteris mandatum, nihilque in artibus disciplinisque omnibus traditum fuisse, quod ab illo homine non esset aut cognitum, aut investigatum; memoria autem tanta eum fuisse & verborum & rerum, ut omnia quae unquam

le-

legeret, meminisset; aut Guidonem Arretinum Baccium, hominem plane sapientem, recorder, qui sex primus musicas notas admirabili solertia adinvenit? aut denique Ioannem Arretinum Tortellium praedicem, hominem & ipsum doctissimum, unumque de iis, qui ingenio & labore suo sopita bonarum litterarum studia excitarunt? Non enim aut instituti mei est, aut hujus temporis, oratione persequi recentioris memoriae homines Arretinos, qui partam a majoribus doctrinae ac litteraturae famam conservare, aut, si fieri unquam possit, amplificare studuerunt. Prima illa ego vobis, optimi adolescentes, renatarum litterarum praeclarissima exemplaria propono, unde ipsae nimirum litterae, quae veluti intermortuae erant, & renatae sunt, & per totam late Etruriam, atque adeo Italiam, & Galliam, & Germaniam propagatae. Fontes vobis aperio, unde vos, elegantissimi adolescentes, magis decet omnium doctrinarum elegantias haurire, quam rivulos, qui non ita inde puri deducti sunt, consectari. Haec vos grandia exempla capite, adolescentes, haec sequimini, haec imitamini, atque in his etiam exemplis videte, quam justas Arretium & meritas laudes inter ceteras Etruriae urbes, in hoc amplissimo Pisanae sapientiae theatro, atque in his Pisanae sapientiae ludis celeberrimis, hodierno a nobis die, religionis & sapientiae nomine, repetiverit: quippe quae urbs luculenta maxime & illustria doctrinae atque religionis exempla ceteris omnibus Etruriae urbibus suppeditaverit.

ORATIO XIX.

DE LAUDIBUS CORTONENSIBUS.

QUod moris fuit Graecorum, ut, quum totius Graeciae conventum celeberrimum maximo ludorum apparatu in Olympiis agerent, laudes dicerent urbium Graeciae nobilissimarum, unde Olympionicae exstitissent, hoc ipsum fere jam inde ab aliquot annis hodierno mihi, eoque anniversario die faciendum esse duxi, Auditores, ut, tota propemodum Etruria huc Pisas in hoc amplissimum universae sapientiae theatrum, ad studia litterarum instauranda, quotannis coeunte, Etruscarum ego civitatum laudes panegyrica oratione concelebrarem. Idque eo magis muneri meo consentaneum esse judicavi, quod non, ut illi, ad corpora gymnicis ludis quinquertioque exercenda, sed ad ingenia optimis disciplinis excolenda, atque ad animos nostros sapientia informandos convenimus. Quod si illi, quinquertiones videlicet & fortes viri, patriarum suarum ita gloria afficiebantur, ut multo inde promptiores atque alacriores in certamina descenderent, quot & quantos, quamque vehementes atque acres doctrinarum stimulos putandum est verissimas & justissimas urbium Etruscarum laudes adolescentibus Etruscis esse admoturas, qui non huc ad palaestram, sed ad disciplinas honestissimas atque liberalissimas; non huc ad saltum atque ad discum, sed

ad

ad rerum praeclarissimarum scientiam; non huc ad caestus atque ad cursum, sed ad eruditionem atque doctrinam; non huc ad ludos, sed ad sapientiam, frequentissimi confluxerunt? Equidem sic ego existimo, adolescentes Etruscos urbium suarum laudibus, veluti quibusdam gloriae stimulis, ad curriculum virtutis atque sapientiae tum ingrediendum tum conficiendum maxime impelli atque incitari. Vidimus, Auditores, proximis superioribus annis, quam sese ad has laudes juventus nostra tota commoverit atque excitaverit. At enim inter urbes Etruriae laudationem in primis jure a nobis exigere videbatur Cortona, urbs illa Etruscarum multo vetustissima atque nobilissima, quae de antiquitate cum ipsis Pisis facile contendat, &, quod ad doctrinam, atque ad sapientiam attinet, totius nunc Etruriae principatum petere sibi posse videatur. Quibus fere capitibus summa ejus laudationis continetur, quam hodierno nos eoque auspicatissimo die in tanto doctissimorum sapientissimorumque virorum conventu, ad Etrusci nominis gloriam, Cortonensi urbi apud Academiam Pisanam impertimur.

Unde vero nos Etrusci auspicatius atque opportunius vertentis anni, annuique litterarum cursus exordia, quam a Cortonensibus laudibus duceremus? Neque enim tota Etruria urbs est honoratior atque nobilior Cortona. Siquidem neque est in Etruria urbs Cortona antiquior. Athenienses ceteris Graecis nobilitate longe praestare, ex eo Isocrates ille eloquentissimus in Panegyrico ostendit, quod ipsi ceteris antiquitate anteirent. Quam quidem antiquitatem suam tanti fecisse Athenienses dicuntur, ut ipsi se terrigenas, quasi terra primum ortos, nuncuparent, magisque hoc cognomine, quam ceteris quibuscunque appellationibus, gloriarentur, atque ad hoc ipsum ostentandum, tanquam certum atque exploratum antiquitatis hujus

suae

suae insigne, cicadas aureas capillis implicatas atque annexas gestarent. Profecto magnum nobilitatis argumentum, antiquitas. Quid? Barbaras ipsas nationes, quae tum ceteris rebus, tum potentia, rerumque gestarum gloria in primis floruerunt, nonne litterarum monumentis proditum est diu inter se de generis vetustate contendisse, eaque vi & contentione animorum, ut de imperii finibus non acrius inter se, neque vehementius armis certaturae fuisse viderentur? At quae unquam urbium Etruscarum de antiquitate cum Cortonensibus contendat? quando ne contenderint quidem Volaterrae. Atque ut omnes intelligant, nihil hic me de laudibus Volaterranis detrahere, quas bene vos meministis & veras & multas ex hoc ipso amplissimo loco biennio me ante pro viribus meis, meisque officiis erga Urbem praeclare de me, meique Ordinis hominibus promeritam, dixisse; scitote, quod tunc dixerim, id me nunc liquido & sancte confirmare, Etruscos primas urbium suarum Volaterras exaedificasse, indeque Volaterras reliquarum civitatum Etruriae principatum quondam habuisse, & Volaterranos ipsum nomen Etruscum, quod commune erat gentis, proprium sibi quasi suo jure vindicasse. Hae a me verae & justae & propriae laudes datae sunt Volaterris, atque ita, Auditores, ut nemo alter quisquam peraeque Volaterras, ex hoc isto certe loco, laudaverit. Sed enim Cortona multo est Volaterris, atque adeo ceteris urbibus Etruscorum antiquior. Illa mehercule magna est temporum inter utramque hanc urbem differentia, quod Volaterrae primae conditae sunt ab Etruscis; Cortona, tametsi relata postea est in censum civitatum Etruscarum; tamen multo illa prior fuit adventu Etruscorum. Quid autem in commentariis Graecorum vetustissimis exploratius atque perspectius, quam Cortonam, urbem prius Umbrorum, longe ante tempora Trojana po-

tentia omnibusque copiis floruisse, unamque de numero urbium beatarum fuisse, eamque urbem Pelasgos, bello Umbris illato, repentino incursu cepisse? De Pelasgis non una sententia Graecorum fuit, quibusdam opinantibus, vocatos eos postea Tyrrhenos, qui Pelasgi antea appellabantur. Sed ego facile credo Dionysio Halicarnassensi, gravi cum primis & accurato Scriptori, alios Pelasgos, alios Tyrrhenos fuisse. Unde etiam ego prorsus existimo, quod idonea certaque veterum auctoritate nixum est; inclinata ante bellum Trojanum Pelasgorum fortuna, Tyrrhenos urbem Pelasgorum Cortonam occupavisse, eamque in urbium Tyrrhenicarum numerum retulisse, &, quod Pelasgi fecerunt, ea urbe munienda praesidium Tyrrheniae contra Umbros quaesivisse. Urbem autem Pelasgicam Cortonam aliquando fuisse quis neget? quando ex Herodoto compertum est, quod & Dionysius Halicarnassensis testatur, Cortonenses linguam olim Pelasgicam, eamque a Tyrrhenica diversam, adhibuisse. Quo in primis argumento usus est Dionysius, ut Pelasgos a Tyrrhenis omnino diversos demonstraret. Quod si Cortonam Pelasgi longe ante Tyrrhenos possederunt, videtis plane, Auditores, hanc illam urbem omnibus urbibus Tyrrhenicis multo esse antiquiorem, hoc est iis urbibus, quas Tyrrheni aedificarunt: cujus sane antiquitatem vel usque ab ultima hominum memoria Poetae repetunt, cum Dardanum illum antiquissimum, Corithi filium, gentisque Trojanae inclytum conditorem, ex ea urbe profectum commemorant. Iam vero quanto tum nomine, quantaque urbem existimatione Cortonam fuisse oportuit, cum eam sibi urbem primum Pelasgi, deinde Tyrrheni, arcem belli ac munimentum contra potentissimos hostes firmissimum delegerunt? Quae porro urbium Tyrrhenicarum, una fortasse Caeretanorum urbe excepta, in commentariis olim Graecorum frequen-

quentior atque celebratior Cortona? quam memoratu in primis dignam Dionysius appellavit: quam etiam urbem antiquitatum Graecarum Scriptores vetustissimi, iique oppido non contemnendi, narrant, Ulyssi, quum ab expeditione is Trojana redux, rebus Penelopes, uxoris suae cognitis, in Tyrrheniam abiisset, certum ac stabile domicilium praebuisse, ubi is & reliquum vitae transegerit, & demortuus, Pergam, montem proximum, nobilem ac memorabilem tumulum acceperit. Et quot illa, quaeso, & quam varia; & quam clara atque illustria urbis Cortonae olim nomina apud Graecos! Nam Cortona recentiori hodieque usitato nomine est Ptolemaeo, Croton Dionysio Halicarnassensi atque Stephano, Gortynia Lycophroni, atque Theopompo, Cyrtonia, seu Cyrtonium Polybio, Cothornia rursus Dionysio, Creston Herodoto: immo & Corithus, Graecis sine dubio auctoribus, eadem est urbs a Poetis nostris appellata. Graecis scilicet, magnis rerum suarum aestimatoribus, placuit, quae nomina urbium Graecarum clarissimarum ac nobilissimarum erant, ea ad hanc istam urbem Pelasgicam, seu Tyrrhenicam, celebrem in primis & gloriosam, transferre atque accommodare. Ego quidem certo fabulas Poetarum in tanta praesertim certarum verarumque laudum copia minime omnium sequor. Verumtamen unde firmius atque efficacius antiquitatis urbis Cortonae argumentum sumi potest, quam ex auctoritate summorum gravissimorumque Poetarum, qui peculiari quadam vetustatis nota urbem Cortonam prae reliquis urbibus Tyrrhenicis insignitam repraesentant, in eaque urbe Corithum, Iovis filium, Dardani patrem, primum regnasse, eamque de nomine suo Corithum vocasse fabulantur? Euminde longe lateque imperium in regionem, quae postea a Tyrrhenis Tyrrhenia dicta est, propagasse, indicio illud fuerit, quod Latinorum Poetarum princeps,

idemque antiquitatum Etruscarum scientissimus, Corithi urbes, Tyrrhenicas appellat, ad quas Aeneas auxilia conquisiturus penetraverit. Quare ego etiam facile arbitror, Graecos Cortonam primariam urbem Tyrrheniae, urbiumque Tyrrhenicarum matrem nuncupasse, non quod, quo tempore Corithus, quae Cortona postea dicta est, principatum regionis obtinebat, Tyrrheni in iis tum locis dominarentur; sed quod ejus tum urbis imperio regio subjecta esset, quam postea regionem Tyrrheni occuparunt. Quis enim jam non fateatur, quod alias opinor me ex hoc ipso amplissimo loco satis demonstrasse, Tyrrhenos postea urbi Volaterranae, quam ipsi primam urbium suarum exaedificarunt, totius Tyrrheniae principatum detulisse? Sed & temporibus illis Tyrrhenicis quanta dignitas atque auctoritas urbis Cortonae fuit! cum Tarcon ille Tyrrhenius sedem ac domicilium suum in ea urbe collocasset. Quanta etiam temporibus Romanis! quum illis etiam temporibus Cortonenses, pariter atque Arretini & Perusini, inter populorum Etruriae capita censerentur, itaque inter eos populos viribus & potentia excellerent, ut de pace & foedere cum Senatu Romano egisse, induciasque in triginta annos impetrasse memorentur. Quid? Cortona, similiter atque Clusium & Arretium, nonne tanti a Romanis habita fuit, ut Silius ille Italicus, nobilis Poeta, qui bellum Punicum secundum elegantibus versibus descripsit, in Poemate suo Flaminium Consulem arci Cortonensi, pariter atque muris Clusii & Arretii, ipsique urbi Romae ab Annibale metuentem inducat? Credo scilicet Romanos urbem non neglecturos fuisse, natura & situ munitam, omnibusque rebus copiosam: qua in urbe Romani ad res suas, Romanamque fortunam tuendam maximum momentum inesse, pro certo habuissent. Itaque Augusti tandem, seu potius Triumvirorum, temporibus, facta est Corto-

tona Romanorum colonia: quam profecto urbem Dionysius Halicarnassensis & nomen & cives paullo ante tempora sua mutasse testatur. Nam de agro quidem Cortonensi omitto hic dicere, quam ille ager fertilis sit & opimus, quam pascuus & salubris, quam jucundus & frugifer, quam fructuosus & amoenus, quamque ubertate & varietate fructuum nulli alii agro Etruscorum cedat, multis Etruscorum terris antecellat. Nec vero frustra arva beata vocare illa visus est Rutilius Numatianus. Cives autem Cortonenses tribu Stellatina censos fuisse, quis jam hominum eruditorum ex veteribus lapidibus non fateatur? Quid deinde, Romano imperio penitus inclinato atque everso, factum sit Cortona, non promptum est dicere, Auditores, in tanta historiarum praesertim obscuritate, rerumque Cortonensium oblivione: nisi forte dicendum illud videatur, quod verisimillimum est, id ipsum Cortonensibus, quod reliquis Etruriae populis, contigisse; Cortonam tandem cecidisse, cum a gentibus Barbaris Imperium Romanum cecidit, ex eoque postea casu Cortonenses surrexisse, seque in libertatem vindicasse. Quam vellem, urbs nobilissima, vetera laudum tuarum atque amplissima monumenta nancisci potuissem, ut in eas laudes, tanquam in apertum quendam & immensum campum, mea se diffunderet atque explicaret oratio. Nam antiquae nobilitatis tuae pristinaeque tuae libertatis insignia adhuc clarissima exstant, victoriati, quos illis temporibus juris ac consuetudinis tuae fuit, prae ceteris Etruriae liberis civitatibus, percutere: quibus in nummis videre plane est expressam veluti imaginem Etruscae antiquitatis. Quid enim dicam, optimis te legibus rempublicam tuam munivisse atque firmasse, eamque per Consules ac Senatum, more Romano, sapientissime administrasse, omnibusque belli & pacis praeclaris artibus adornasse, atque ad omnem felicitatem instruxisse? Quae

ti-

tibi bona, urbs nobilissima, multo diuturniora fuissent, nisi quae in ceteras civitates Etruriae, in tuam etiam rempublicam factiones civium perniciosissimae, invasissent. Nollem, Auditores, recordari tempora illa calamitosissima, cum, scissa in partes Etruria, altera alteri civitas perfidiose insidiabatur. Sed tamen magno sensu doloris recordor, urbem Cortonam ex intestina illa civium suorum discordia in praedam Arretinis cessisse. Quae vero, & qualis, & quanta, & quam misera atque miseranda clades illa Cortonensis ab Arretinis! cum cives Cortonenses clarissimi atque opulentissimi, alii rebus ac fortunis suis spoliabantur, alii exsules a patria atque extorres agebantur, civitas denique olim domina, princepsque regionis, & divitiis atque armis praepollens, libertate ac dominatione exuebatur, &, quod ipsa morte acerbius ac luctuosius erat, servire Cortona Arretio cogebatur. Sed sua Cortonensibus, viris bonis ac fortibus, virtus non defuit, ut servitutis tandem Arretinae jugum fortiter excuterent, seque in libertatem suam adsererent, ac vindicarent. Hic mihi locus erat percommodus & peropportunus, Cortona, gratulandi tibi de recuperata libertate & dignitate tua. Quam etiam tibi libertatem Henricus Septimus Imperator, quem hospitem publice ac magnificentissime acceperas, jurisjurandi religione adhibita, confirmavit. Videbare tum, Cortona, vicinis civitatibus, quae jam inde a longinquis temporibus aemulae felicitatis tuae exstiterant, &, quibuscum de dignitate ac principatu saepe armis disceptaveras, praeire exemplo tuo posse ad Etruscam dignitatem atque amplitudinem tuendam; tanta sapientia ac probitate, tantaque fortitudine ac prudentia respublica a Consulibus tuis regebatur. Sed enim hac pace & felicitate frui diu tibi non licuit per factiones civiles. Seditio te popularis in servitutem rursus dedit, Cortona, sed ita, ut ex eo casu, ex eaque gravi cala-

mi-

mitate melior ac florentior, multoque beatior surgeres. Nam & illud in tanta rerum tuarum perturbatione, tantoque illo infortunio perbelle accidit, ut Pontifex tuus, quo tota superiori memoria caruisse ferebare, tibi divinitus tribueretur. Enimvero fatendum est, Auditores, me unquam a memetipso extorquere illud potuisse, ut crederem id, quod in vulgari hominum sermone versatur, quum ceterae urbes Etruriae jam inde a primis Christianis temporibus Pontificem, ac Sacerdotem suum habuerint, qui sacris Christianis eas urbes imbuerent; tamen Cortonae, urbi antiquissimae & celebratissimae, & temporibus adhuc Honorii & Theodosii Imperatorum, inter Etruriae urbes perinsigni, Pontificem suum defuisse; quumque Romulus, vir sanctissimus, primum Volaterras, deinde Fesulas, alii alias civitates Etruriae luce antiquitus Christiana perfuderint, & Pontifices, Herculanus Perusiae, Donatus Arretii, miris ad caelum laudibus extollantur; tamen uni urbi Cortonae de universa Etruria, qui Christum Sospitem, humanique generis Servatorem nuntiaret, & Sacra Pontifex ministraret, neminem quemquam exstitisse. Quis autem sibi facile persuadeat, quum salutaris Christi doctrina reliqua passim Etruria priscis illis temporibus mirifice propagaretur, non eam etiam Cortonae dispersam in populum & disseminatam fuisse: quumque tota alibi Etruria sacrosanctum Christi nomen divulgaretur; & viri & mulieres religionem certatim Christi amplecterentur, sacrorumque Christianorum coetus inirent, neminem unum mortalium Cortonae Christo nomen dedisse, coetusque Christianos sociasse? aut, quum Imperatorum complurium Romanorum, puta, ut uno, aut altero exemplo utar, Marci Antonini, aut Maximiani Herculii, jussu, tota Italia homines Christiani vinculis ac verberibus omnique supplicio excruciati, pro Christi nomine necarentur, nullos omnino eorum qui Chri-

stum

ſtum Cortonae, ejuſque doctrinam, profiterentur, mortem pro Chriſto obiiſſe? Quod ſi Cortonae tum etiam, cum gentes in Chriſtianos omnem crudelitatem adhiberent, fuerunt Chriſtiani; ſi Cortonae Chriſtiani coetus ſuos frequentarunt, laudeſque Chriſto Deo dixerunt; ſi Cortonae Chriſtiani vitam pro Chriſto glorioſiſſime profuderunt, cur non etiam Cortonae loco nobili, celebrique ac frequenti urbe eademque Sede Rectorum, ſeu Praeſidum Etruriae, fuerit Antiſtes ſuus Chriſtianis, qui ſacrà iis adminiſtraret, pabulumque iis veritatis divinae, pro boni paſtoris munere atque officio, praeberet? Nam & in urbe Cortona, tanquam in magno & illuſtri Theatro, ſpectata eſt virtus mirabilis ac propemodum divina Chriſtianorum; ſpectaculum illud quam egregium, quam praeclarum, quam admirabile! cum tempore Decii Imperatoris, ſaeviente quam cum maxime impiorum hominum rabie in Chriſtianos, videre fuit in urbe Cortona milites Chriſti, fortiſſimos planeque heroes, Secundianum & Marcellianum ac Verianum (hoc enim nomine vocabantur), tanquam in juſta pugna, fortiter pro Chriſto dimicare, & ſupplicia graviſſima conſtantiſſime perferre, fuſtibus caedi, in equuleo ſuſpendi, ungulis abradi, igne ad latera aſſari, capite cervicibus abſciſſo, mortem oppetere, itaque, victoria clariſſima reportata, de impietate atque errore glorioſiſſime triumphare. Non me equidem fugit, de loco hujus certaminis Scriptores cum primis graves, atque in ſacrarum hiſtoriarum monumentis oppido quam verſatos, mecum diſſentire, qui locum hujus certaminis Centumcellas aſſignant. Sed multo mihi potior Uſuardi auctoritas. Atque is eſt Uſuardus, Auditores, quem in faſtis ſacris diurnis auctorem certo exploratoque conſilio ſecuti ſunt, & nunc etiam fere ſequuntur, quorum ceteri auctoritatem ſequi debent, Pontifices Romani. Teſtem cito te, Uſuarde, in faſtis

ſtis tuis, cum viros illos ſanctiſſimos ac fortiſſimos dicis apud Cortoniam urbem Thuſciae, morte pro Chriſto obita, praeclarum atque illuſtre in primis certamen peregiſſe. Nec vero putetis, Auditores, imprudentem me atque invitum Cortoniam dixiſſe, quam voſmet & ego ſciens Cortonam. Nam Coloniam quidem Thuſciae ſcripſiſſe videtur Uſuardus; pro quo iu promptu fuit coniicere, ſcribendum ab Uſuardo fuiſſe Cortoniam, quo tandem nomine Crotonem, urbem Tyrrheniae, cum eo Romani coloniam deduxerunt, eſſe appellatam, in veteribus certe codicibus legimus apud Dionyſium Halicarnaſſenſem. Sed maneat apud Uſuardum nomen urbi Coloniae. Croton, quae Romanis Cortona, urbs illa celeberrima Etruriae, a colonia eo a Romanis miſſa e tribu Stellatina, nomen aliquando ſuum non in Cortoniam modo, ſed etiam in Coloniam, mutaverit. Hinc etiam quam clarum & illuſtre novae eximiaeque laudis argumentum exoritur, cum certo inde colligimus & praedicamus, urbem Cortonam inter omnes urbes Etruriae adeo excelluiſſe, ut, quum aliae etiam urbes Etruſcae, ipſae etiam Piſae urbs nobiliſſima Etruriae, coloniae factae fuerint Romanorum, tamen una Cortona, propria quadam & inſigni excellentiae nota, Coloniae ſibi appellationem, prae reliquis Etruriae urbibus, ipſiſque Piſis, ſuo veluti jure vindicaverit! Quis autem nunc hominum pereruditorum neget, Coloniae in Thuſcia nomine urbem aliquando Cortonam veniſſe? quando antiquae appellationis veſtigium etiam nunc exſtat una portarum urbis Cortonae, cui hodieque nomen Colonia; & hanc iſtam urbem, Coloniam diſerte nominat ſtratagematum Scriptor, Sextus Iulius Frontinus: apud quam urbem Frontinus narrat, Aemilium Conſulem copias in ſubjectos campos demiſſurum, e citatiore avium volatu inſidias hoſtium latitantes intellexiſſe. Apage hinc a Fronti-

tino, homo erudite, de oppido Colonia vanas atque inutiles conjecturas tuas. Quod obiter dictum esto. Nunc si Christianis temporibus vetustissimis Cortonae in Thuscia Christianorum hominum de impietate devicta triumphi, iique gloriosissimi, visi sunt, quis non facile inde percipiat, lucem tunc Christianam Cortonam accepisse, ipsamque adeo urbem Cortonam, pariter atque alias urbes, quas veritas divina illustrasset, Sacerdotem suum, gregisque Christiani pastorem habuisse? At enim pervolutemus licet omnia monumenta antiquitatis, nullum in iis plane Pontificatus tum Cortonensis vestigium apparet. Scilicet, credo, post imperium Decii, aut post Honorii Theodosiique minoris tempora, cum Claudius Rutilius Cortonam urbem in Etruria celebrabat, ne fuit quidem per sexcentos & amplius annos urbs Cortona, quando totidem fere deinceps annorum de Cortona silentium fuisse in historiis videtur. An tu inde mihi ex tanto illo & tam diuturno silentio, atque ex illa tam longa temporum oblivione existimas, nullos unquam antea Pontifices Cortonenses exstitisse? Ego vero silentii illius inde potius caussas investigaverim, quam suos olim urbi Cortonae Pontifices denegaverim. Quanto enim illud probabilius, Auditores, atque ad faciendam fidem accommodatius, quod Ioannes Villanius, Scriptor historiarum non ignobilis, adfirmat, Pontificem urbi Cortonae ab Ioanne vigesimoprimo, Pontifice Romano, non quidem datum, sed restitutum. Scribit Villanius, quod ex populari fama acceperat, homines olim Cortonenses Pontificem suum interfecisse, seque ipsos regendos ac gubernandos Pontifici Arretino tradidisse. Quod seditione aliqua civili fieri potuisse quis neget? Ego quidem sic censeo, Pontificis olim Cortonensis mentionem in vetustis alicubi monumentis Christianis inveniri; sed, qui vocandus erat Cortonensis, dictum hunc antiquitus Crotonensem, ex

ex usu Graecorum, quibus Cortona, quae nobis vocatur, Croton est appellata. Sic igitur & Cortonensis Pontifex fuit Iordanes, quem tamen alii Crotonensem nominarunt: cujus quidem meminit Vigilii Pontificis Maximi sententia contra Theodorum Caesariensem. Fuit & Cortonensis Theodosius, is, qui aliis Crotoniensis: qui Concilio Lateranensi sub Martino Primo Pontifice subscripsit. Alii etiam quin olim Pontifices Cortonenses fuerint, minime est dubitandum, Auditores. Verum subsequentibus temporibus videntur Pontifices Arretini viribus atque armis praepotentes in Sacerdotii Cortonensis jura commodum invasisse, illudque sibi Sacerdotium usurpasse, & cum Pontificatu Arretino ita in unum conjunxisse, atque consociasse, ut Pontificatus Cortonensis in Arretinum totus transisse, nomenque etiam suum penitus amisisse videatur. O misera sequiorum illorum temporum conditio! o rudis & inculta temporum illorum barbaries! cum lux veritatis & temporum testis ita historia negligebatur, ut ne rerum quidem suarum historias plerique Italiae populi memorarent. Quanta illorum temporum obscuratio; quanta vis oblivionis, quae vel ipsorum Pontificum Cortonensium omnem omnino memoriam obruisset atque exstinxisset! Itaque, perinde quasi superiores illi Pontifices ex omni hominum memoria evulsi fuissent, planeque evanuissent, dicitur tandem Ioannes vigesimusprimus, quem alii secundum & vigesimum numerant, Pontifex Maximus Pontificem Cortonensem de novo creasse atque instituisse, communique oppidi Cortonae petenti enixeque roganti concessisse. Quid quod Ioannes ibi Pontifex jura se civitatis dare ait Cortonae, & quae sunt ejus verba, Cortonam se in civitatem erigere? Et bene Ioannes, si tum primum Pontifices Cortonae esse coeperunt. Quid? an non Cortona civitas antiquissima Etruriae? an non Cortona similiter atque

Arretium, inter capita quondam Etruriae? an non primaria ipsa olim civitas, & veluti mater civitatum Etruriae? Intelligite hinc, Auditores, post Etruriam Christiana luce illustratam atque perfusam, tam caruisse antiquitus Cortonam Pontificibus suis, quam ea antiquitus civitas non fuit. Nam si civitas Cortona fuit, & una de primariis ac principibus civitatibus Etruriae, cur ea una sine Pontifice suo civitas in Etruria? Quae omnia eo spectant, ut quisque jam vestrum videat ac fateatur, quo jure civitas fuit olim Cortona, eodem plane jure Pontifices eam olim suos habuisse. Sed enim maxima aliqua atque incredibilis calamitas visa est urbem aliquando Cortonam afflixisse ac propemodum perdidisse, quae Cortonam Cortonae eripuerit: hoc est, non pristinam modo felicitatem ex ea urbe abstulerit, sed etiam memoriam prioris fortunae ac felicitatis. Scilicet sui suaeque pristinae dignitatis oblita erat Cortona, civitas Etruriae nobilissima, cum eam Ioannes Pontifex Maximus civitatem esse decrevit. Namque alioquin jura se civitatis Cortonae restituere, quum ei Pontificem restitueret, Ioannes Romanus Pontifex dixisset. Nunc quum Pontificem dare se dicat Cortonae, dicit etiam se Cortonam facere civitatem. Qua in re (id enim tandem fatendum est) ex antiquorum temporum veraeque historiae ignorantia illi tum homines vehementer fallebantur. Me vero, cum temporum illorum infelicitatem egomet mecum multum & diu cogito, valde admodum tui miseret, beatissima quondam & fortunatissima urbium Etruscarum, Cortona, quod tanta temet tui, & pristinae dignitatis tuae, & veterum laudum tuarum, oblivio cepisset. Verum, cum animo me & cogitatione ad Pontifices postea tuos converto, quam ego non jam in sinu, quod dici solet, sed vulgo ac publice gaudeo, quanta jam laetitia gestio, atque exsulto, quam tibi egomet, Cortona, de felici-

ta-

tate ac dignitate tua gratulor! Nec sane nescio, Auditores, pro rerum humanarum varietate, aliquos interea casus, tum a factiosis turbulentisque civibus, tum a Ladislao in primis rege Neapolitano incidisse, qui quasi libertatis luce reviviscentem civitatis Cortonensis fortunam interturbarent atque permiscerent. Sed quam tum etiam prospere ac commode evenit, ut tandem Cortonenses ex tot illis ac tantis tamque ancipitibus rerum suarum discriminibus in ditionem ac potestatem Florentinorum transirent! cum per Florentinos nobilitatis & antiquitatis Cortonensis justos ac veros aestimatores, civibus tandem Cortonensibus licuit e vadis veluti emergere, eoque jam gloriae adspirare, ut in omni genere laudis nulli penitus civitatum Etruscarum secunda esse Cortona videatur. Quae enim nunc urbs Etruriae, sive belli, sive pacis artes praeclaras respicias, nobilior atque illustrior Cortona? quae quum omni tempore viros fortes & magnos, & industrios & ingeniosos, omnique laude excellentes, & sapientia ac sanctimonia perinsignes protulerit, habet nunc, Academia Etrusca instituta, quod doctrinae studiis ac litterarum celebritate supra reliquam se Etruriam longius extollat. Nam, quod ad religionem attinet, tametsi superiori etiam memoria egregie ibi ea semper culta atque observata fuit, quod & sanctissimi & religiosissimi viri quamplurimi Cortonenses exemplo satis suo demonstrarunt, de quibus etiam fuit Guido, discipulus atque adsecla Francisci, mirabili vir pietate & sanctimonia; tamen mirum est, quantum religio Cortonae suis sub Pontificibus effloruerit. Fatendum namque est, quod Ioannes Pontifex Maximus litteris suis testatum voluit, rem divinam Cortonae, sub Pontificibus aliquando Aretinis negligentius curatam jacuisse, quae, post Pontifices suos urbi Cortonae restitutos, ita ibi resurgere ac virescere visa est, ut reliqua nusquam Etruria cultior

tior

tior atque florentior videri unquam potuerit. Qua in urbe spectaculum illud quam admirabile, quamque ad veram religionem comprobandam luculentum, corpus a quadringentis & quinquaginta annis integrum adhuc & incorruptum Margaritae Cortonensis, mulieris sanctissimae, quae, cum ad frugem bonam se recepit, ut exemplo fuit, dum viveret, omnis sanctimoniae & virtutis, ita & demortua integritatem incorruptam corporis, testimonium divinitus certissimum atque clarissimum habet sanctitatis suae! Quis autem Pontificum Cortonensium laudes pro dignitate unquam celebraverit, quorum unum ac solum fere nomen ad omnem abunde laudem suffecerit? Namque id Cortonae datum divinitus videtur, ut ejus urbis Pontificatum summi fere & sapientissimi viri magna cum laude administraverint. Quid enim dicam de Raynerio Ubertino, primo seu dato, seu restituto Cortonensibus Pontifice, viro fortissimo & acerrimo juris Cortonensis contra Guidonis Tarlati tyrannidem propugnatore, cujus maxime Raynerii virtute, atque consilio Cortonensis est Pontificatus confirmatus atque stabilitus? Quid de Ubaldino Florentino, viro magno & praeclaro, qui Florentini Senatus nomine nobilem ad Caesarem legationem de gravissimis ac difficillimis negotiis obivit? Quid de Christophoro Ugolino, qui Concilio Florentino interfuit? Quid de Mariano Salvino, mira viro doctrina & probitate, quem Antoninus Pontifex Florentinus, vir sanctissimus, ad mores suorum populorum rectius informandos atque componendos socium sibi industriae & laboris adscivit? Quid de Francisco Cardinali Soderino? Quid de Guilielmo Capponio? Quid de Silvio Passerino Cardinali? Hic est ille Passerinus, Auditores, vir temporum suorum sapientissimus, neque de patria modo sua Cortona, sed etiam de universa Etruria praeclare meritus, cujus maxime prudentia ac consilio do-

mus Medicea ad Etruriae felicitatem & gloriam ſtetit. Quid de Hieronymo Gaddio? Hic eſt ille Gaddius, qui Florentiae nobili loco natus, Angelo patre, Senatore clariſſimo, Iſabella Guicciardinia matre, femina longe honeſtiſſima, ſapientia & doctrina tum generi ſuo, tum urbi Cortonae, maximo ornamento fuit, atque a Coſmo Primo, Magno Etruriae Duce, legati nomine ad Concilium Tridentinum miſſus, qua legati, qua Pontificis perſonam, neque Cortonae modo ſuae, ſed etiam totius Etruriae, Magnique Etruriae Ducis dignitatem tam plene cumulateque ſuſtinuit, ut Senatum illum, univerſi orbis Chriſtiani ampliſſimum atque ſanctiſſimum, in magnam admirationem ſui traduxerit. Quid ego longius perſequar reliquos Antiſtites Cortonenſes? quid Ioannem Albertium? quid Philippum Bardium? quid Coſmum Minerbettum? quid Ludovicum Serriſtorium? quid Sebaſtianum Zucchetium? quid ceteros noſtra etiam memoria viros celeberrimos & ſapientiſſimos, qui Cortonenſi Sacerdotio Pontifices praefuerunt? qui quum omnes omni Chriſtiana virtute, ſalutiſque populorum ardentiſſimo ſtudio mirabiliter excelluerint, neſcias profecto, quis eorum ceteris praeferri poſſe videatur. Quid plura? his ducibus atque auctoribus, his religionis ac pietatis Chriſtianae magiſtris atque anteſignanis, quid miremur, rem divinam, religioniſque ſtudia Cortonae ita exculta eſſe, ac florere, ut, tametſi ea urbs omnibus omnino laudibus circumfluat, atque abundet, tamen nulla alia re magis, quam re divina & religione, ſit ea urbs laudata? Nam ſi omnes quidem laudes civitatis Cortonenſis velim ego dicendo comprehendere, aut etiam in his praeſertim temporum anguſtiis percurrere, quem tandem finem inveniat oratio? quum ex laudibus quibuſcunque urbis Cortonae aliae aliaeque ſubinde laudes, tanquam ex germine quodam fecundiſſimo, pullulent atque naſcantur. Quid ſi

enim

enim homines hic ego Cortonenses a fide collaudem? fidem Cortonenses Florentinis, etiam cum Florentini a reliquis Etruriae civitatibus in bello Caesariano perfidiose desererentur, inviolatam atque integram servaverunt. Quid si a nobilitate? nulla est tota Etruria nobilitas neque antiquior, neque purior Cortonensi. Quid si a virtute militari, reique bellicae gloria? summa haec est virtus equitum Cortonensium, eaque in utroque equestri nobilissimo Ordine tum Etrusco, tum Hierosolymitano, spectatissima, Quid si a summa summorum artificum in artibus quibusque nobilioribus planeque ingenuis peritia atque excellentia? neque in statuaria, neque in scalptura, sculpturave, neque in pictura, neque vero in architectura, ullos unquam reperias praestantiores celebrioresque artifices hominibus Cortonensibus. Quid si a patria, hoc est, ab ornatu urbis, aediumque tum publicarum, tum privatarum splendore, majestateque basilicarum? nusquam tota Etruria neque aedes, neque basilicae, quam in urbe Cortona, augustiores. Quid si ab urbis situ, descriptioneque aedinciorum? urbs Cortona, natura & situ munita, firmissimis moeniis circumdata, descriptioneque aedificiorum nobilis, in edito monte collocata, loco maxime salubri, prospectum habet in subjectam late regionem multo pulcherrimum atque jucundissimum. Quid si ab opulentia? quum ager Cortonensis mira sit frugum vinique & olei, omnisque generis fructuum ubertate, ac metallis etiam nobilium versicolorumque lapidum abundet. Quid si tandem a studiis sapientiae & celebritate litterarum? hoc videlicet postremum, propositum mihi caput erat hujus laudationis Cortonensis. Illud enim denique fatendum est, quo mea in primis jam inde a principio tendebat oratio, urbem Cortonam sapientiae ac doctrinae, artiumque liberalissimarum laude toti longe Etruriae antecellere. Nec de antiquissimis jam tempo-

po-

poribus disputo, cum Cortonae nomen fuit Crotoni, & Pythagorae fama in omnes regiones manaverat. Quis enim illis de temporibus dubitet, quin Cortona prae reliqua tunc Etruria doctrinarum studiis & Philosophorum praestantia floruerit, immo & sapientiae tota Italia principatum obtinuerit, si verum est, quod vulgo jactitant, Pythagoram, summum Philosophum, eum, qui nomen Philosophiae invenit, genere Etruscum, patria Cortonensem fuisse, ibique in patria sua sectam Italicam condidisse, secretioremque sapientiam, & reconditiores quasque atque exquisitiores litteras docuisse, ex eaque schola viros multos sapientissimos omnique eruditione ac doctrina excultissimos prodivisse? Verum sunt illa multo antiquiora, quam ut in hodiernas urbis Cortonensis laudes commodum cadere posse videantur: praesertim quum in magna veterum opinionum diversitate nihil minus nobis tutum atque integrum sit, quam judicium nostrum de Pythagorae patria interponere, qua de patria nihilo sane minor, quam de patria Homeri, fuit quondam inter celeberrimas ac florentissimas civitates concertatio. Neque vero eget nunc Cortona antiquis illis laudibus eruditionis & sapientiae. Quae enim nunc tandem urbs, non dico universa Etruria, quanquam id etiam dico, sed tota Italia, litterarum gloria atque dignitate urbi se Cortonae praeferat, aut cum ea etiam se urbe exaequet? quando per societatem Cortonensem, quam Academiam Etruscam appellant, omni barbarie depulsa, elegantiores reconditioresque ita litterae, quasi luce humanitatis recreatae, revixerunt, ut domicilium ibi ac sedem suam collocasse, ac veluti in regno dominari videantur. Et quid miri est, Auditores, si, quum tot ac tanta decora atque ornamenta in unam urbem Cortonam confluxerint, Magni Etruriae Duces Medicei prae multis Etruriae urbibus veluti in oculis Cortonam tulerunt,

 & ma-

& magnus nunc Imperator Romanorum, idemque Magnus Dux Etruriae Franciscus Primus Lotharingus, Cortonam auctoritate sua cohonestandam in primis atque exornandam judicavit? Ac quale illud ac quantum beneficium est litterarum, quibus factum est, ut, quam olim res Cortonenses obscurae, temporumque injuria veluti in tenebris involutae fuerunt, tam nunc clarae illustresque evaserint, atque in aperta jam orbis terrarum luce versentur! Namque eo jam famae & celebritatis Cortona a litterarum splendore, veluti e longa multorum saeculorum oblivione emersit, ut, ubicunque litterae in pretio habentur, gloriosius propemodum ac majus apud homines doctos atque eruditos ducatur, in Academiam Cortonensem cooptari, quam patriae suae principem locum tenere. Enimvero Etruscae patria eruditionis est Cortona: cujus etiam urbis ea, quae reconditiorum est litterarum, societas nobilissima, museo pulcherrimo atque elegantissimo exstructo, omnisque doctrinae ac litteraturae, qua in rarioribus quibusque antiquitatis monumentis, qua in libris quibusque melioribus ac pretiosioribus, copiosissima supellectile sumptuosissime undique ac laboriosissime accumulata, assiduaque omnium bonarum artium ac disciplinarum cultura, inter omnes celebriores florentioresque societates Etruriae tantum una excellit, ut, quum ceterae, suo quaeque peculiari nomine, propriaque nota distinguantur, ipsa una ac sola societas Cortonensis Academiae sibi Etruscae generalem appellationem asseruerit. Huc spectare vos decet, optimi adolescentes, veraeque gloriae, quae a litteris atque a sapientia est, studiosissimi. Nam ad vos potissimum excitandos atque cohortandos mea haec pertinet urbis Cortonae laudatio. Videte, quantum Cortonae nominis atque gloriae litterae conciliaverint, ut quae urbs, litterarum quondam incuria, pro temporum illorum in-

infelicitate, veluti in ſilentio oblivionis ſepulta, diutiſſime jacuerat, litterarum tandem beneficio, ſupra reliquam ſe Etruriam erexerit, longiuſque extulerit. Vos, quibus patria Cortona eſt (nam & praeſentes aliqui adeſtis) exemplum domeſticum omnis doctrinae & eruditionis habetis, ut ne glorioſam patriam veſtram, veſtra ipſi ignavia atque inertia dedecoretis. Ceteri vero, quibus alia, eaque fortaſſe obſcurior, patria eſt, clarum vobis & inſigne exemplum, quod ſequamini, Cortonam proponite, ut & ipſi, quantum in vobis eſt, ſplendore ſapientiae atque doctrinarum patrias veſtras illuſtretis.

FINIS.

[illegible]

